BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OPERA OMNIA

IN TOMOS XVII. DISTRIBUTA.

TOMUS SEPTIMUS.

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPUS

DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

IN SEPTEM VOLUMINA DISTRIBUTUM.

EDITIO NOVISSIMA

AD POSTREMAM REMONDINIANAM OMNINO EXACTA.

TOMUS SEPTIMUS

CONTINENS

ACTA CANONIZATIONIS SANCTORUM FIDELIS A SIGMARINGA, CAMILLI DE LELLIS, PETRI REGALATI, JOSEPHI A LEONISSA, ET CATHARINAE DE RICIIS A BENEDICTO XIV. CELEBRATÆ,

ALBER GHETTUS ET SOC.

PRATI

IN TYPOGRAPHIA ALDINA

MDCCCXXXXII.

DEDICATIO

PRÆFIXA EDITIONI ROMANÆ

ANNI 1749.

JOANNI V.

LUSITANIÆ, ET ALGARBIORUM REGI FIDELISSIMO

EMMANUEL DE AZEVEDO SOCIETATIS JESU

Cum librum de re divina a Summo Pontifice BENEDICTO XIV. copiosissime sapientissimeque conscriptum tanquam Scholae Sacrorum Rituum primitias Majestati nuncuparem Tuae, REX FIDELISSIME, id unum mihi proposueram, ut aliquod qualecumque demum id esset, *meae erga Potentissimum Lusitaniae* REGEM *servitutis, erga Munificentissimum Litteratorum omnium Protectorem observantiae, erga Amantissimum Patriae Parentem charitatis testimonium* extaret. Graviter enim officio defuissem meo, si tot ac tantis a Te beneficiis ornatus perpetuo gloriosissimum nomen Tuum silentio in operibus a me editis involvissem. Nunc longe aliam in hoc opere, quod sub Majestatis Tuae auspiciis prodit, causam sequar, quam ut aliis, ita etiam Tibi vehementer probatum iri confido. Etenim cum illud mea cura typis editum BENEDICTO XIV. nomine Canonicorum Regularium Nationis Lusitanae de me optime semper meritorum supplex offerrem, eumdem audivi haec mihi mira benignitate dicentem: *Accipio munus gemino titulo meum, et quia a me profectum, et quia mihi redditum. Velim tamen, ut quemadmodum hoc mihi Tu alieno jussu tradis, ita idem ipsum Tu meo nomine ad* REGEM FIDELISSIMUM *mittas*. Quare etsi ego tenuitatis meae conscius sim, quadam tamen dulcissima necessitate constringor, ut quem librum Sanctissimus Pontifex ad Te mittit, eumdem ego nomini inscribam Tuo.

Nec vero ulla me dubitatio tenet, quin hunc librum Tu ea animi voluptate excepturus sis, qua ceteri Reges munera omnium pretiosissima solent accipere.

Nam Auctor rerum omnium, quae in eo describuntur (describuntur autem perquam maximae) Is est, qui sapientia, pietate, religione, ceterisque virtutibus ita Praedecessorum suorum Romanorum Pontificum assecutus est laudem, ut eorum nemini cedat, cujus plurima semper, ac summa et in Te ipsum, et in universum genus nostrum promerita constiterunt; cui Tu non solum eximio in eum amore, verum etiam mutuis erga ipsum officiis nunquam non respondisti; quem tanquam absolutissimum quoddam veteris disciplinae exemplar consecutura saeculorum omnium aeternitas intuebitur; in quo denique colendo patriam Tibi sanctitatem constitutam esse voluisti. Liber vero ea continet acta sapientiae erudictionisque plenissima, quae in quinque Beatis Sanctorum numero adscribendis habita sunt; ex quibus pronum erit sapientiae Tuae omni doctrina tam sacra quam profana mirum in modum excultae colligere, quid mihi agendum sit in iis virorum sanctimoniae fama praestantium causis, quas in hac urbe tractandas meae fidei concredere dignatus es.

Quanta autem tua sit religio cum erga omnes Sanctos, quorum Tibi Regnoque Tuo patronos esse voluisti, tum erga illos, qui inter Sanctos connumerati nuper sunt, vel ex eo intelligitur, quod honores eisdem publice decretos tanta tuis sumptibus magnificentia Ulyssipone celebrandos curasti, ut qui exteris ex nationibus ea in Urbe versantur (versantur autem pene innumeri) ii omnes uno eodemque ore fateantur, nihil aut ad Religionem illustrius, aut ad pietatem accommodatius, aut ad Magnificentiam splendidius fieri potuisse. Novum id quidem mihi in communi omnium admiratione non accidit, utpote qui, Ulyssipone cum essem, eadem plane perspexerim pietatis ac munificentiae tuae monumenta, quibus laetissimam Joannis Francisci Regis, et Vincentii de Paulo inter Sanctos cooptationem festa per octo dies celebritate, piaque Regiae Majestatis praesentia es prosecutus.

Quocirca *cum Tu res toto vitae tuae cursu ad Catholicae Religionis gloriam, atque ad sanctae Sedis dignitatem magis amplificandam praeclarissimas gesseris,* consentaneum prorsus fuit et pene necessarium, ut quem Lusitaniae Regem, cunctis virtutibus, ac praecipue erga Deum, Caelitesque pietate, erga Divinam legem religione, erga sacras missiones beneficentia, erga mortales universos liberalitate BENEDICTUS XIV. instructum ornatumque esse sciret, eumdem ipse Apostolico Senatu comprobante, universaque Roma plaudente honorificentissima FIDELISSIMI REGIS appellatione ad tuos etiam Successores perpetuo transmittenda sponte sua insigniret. Si enim, quemadmodum olim Sebastiano Regi S. Pius V. honorifici alicujus tituli optionem dedit, sic parem tibi BENEDICTUS XIV. facultatem fecisset, eamdem tu, ac

Rex ille secutus est, rationem tenuisses, ut oblatam tibi appellationem pro Christiana animi tui demissione constantissime deprecareris. Est enim viri humano fastigio celsioris virtutem ita diligere, ut in ea excolenda intimam ipsius honestatem, non extima ejusdem ornamenta requirat. Hoc BENEDICTUS XIV. cum cogitaret, responsionem antevertit tuam. Noverat quippe Pontifex sapientissimus, iis potissimum honores tribuendos, in quibus et meritorum dignitas emineat, et modestia ab honoribus optandis refugiat.

Merito igitur amplissimum hunc FIDELISSIMI REGIS titulum Lusitania nostra eo majori Tibi gaudio gratulatur, quo potiore ipsa jure eumdem ad te pertinere cognoscit. Ii quippe honores caeteris anteferendi sunt, qui non aulicae adulationi, sed verae virtuti, non eblanditis suffragiis, sed rebus praeclare gestis, non precibus, sed animo intra fortunam suam se continenti redduntur. Jam vero quaenam et quanta sit FIDELISSIMI REGIS appellatio non ex aliis, quibus caeteros Reges Apostolica Sedes honestavit titulis, sed ex ipsa vocabuli, quam nemo non tenet, significatione, nobis est metiendum; nam comparatio illa aliquibus fortasse molesta esset; haec ratio ab omnium offensione sejuncta est.

Ac mihi quidem divinas literas memoria repetenti unus dumtaxat occurrit Moyses (a), quem FIDELISSIMUM in domo sua Deus ipse appellaverit. Sancto deinde Petro Apostolorum Principi (b) hunc eumdem titulum sanctus Joannes Chrysostomus impertitus est. Porro utrunque ea appellatio mirifice decebat, propterea quod alter in veteri lege primus Populi ductor, alter in nova primus Christi Vicarius a Deo renunciatus. Equidem crediderim BENEDICTUM XIV. similem in dissimili tamen ratione virtutum tuarum praestantiam tunc spectasse, cum egregia Tua merita universae posteritati commendanda FIDELISSIMI REGIS appellatione remunerari decrevit. Hanc enim ipse benefici erga Te animi causam in suis literis profert quod *Majestatem tuam prae caeteris Portugalliae atque Algarbiorum Regibus magno pii Regiique animi Tui Fervore Catholicam Fidem non modo in omnibus ditionum tuarum, sed in alienis quoque regionibus ab inita Regnorum tuorum possessione promovere et augere, verum etiam tot sapientiae, industriae, pietatisque consiliis et immensis opum profusionibus tueri et conservare contendens maximus emineas, et praediceris*. Est etiam in Pontificia ad

(a) *Num.* 12. c. 7. In omni domo mea Fidelissimus est.

(b) S. *Jo. Chrysost. serm. S. Petri apud Metaph.* Tu cum omni fiducia in manus Domini, assidue et ejus Sponsae Ecclesiae servisti; qui ferventi spiritu Dominum dilexisti omnium Apostolorum Fidelissimus.

Purpuratos Patres allocutione *Lusitanicos Reges omnem operam contulisse, ut Catholicam religionem in sua ditione illibatam tuerentur; et cum deinde plures Asiae, Africae, Indiarum, et Americae populos in suam potestatem redegissent, barbaras gentes sanctissimae religionis mysteriis imbuendas curasse, accitis peritissimis Ministris, qui recentem Domini vineam diligenter excolerent.* Qua in re exitu comprobatas fuisse perspicimus praedictiones eas multo celeberrimas, quibus Alphonso Regi, praeclarissimi generis Tui, ac florentissimi Lusitani Regni Conditori adversus innumerabiles Maurorum copias cum exigua militum manu jamjam pugnaturo, caelestemque opem enixis precibus flagitanti Christus ipse spectandum se objiciens animos ad victoriam adjecit, Regium nomen a militibus donatum confirmavit, aureum clypeum quinque suis sacris vulneribus interpunctum pro Regio stemmate dedit pollicitusque inter caetera est primo sese stabile sibi imperium ad sui nominis per exteras gentes propagationem in eo ejusque Nepotibus fundaturum: deinde Regnum ipsum Lusitanum FIDE PURUM, ac dilectum pietate fore: denique ex ipsa Lusitania impigros a se Messores delectum iri, qui plurimam ex longinquis regionibus messem in caelum inferant.

Talis ac tantus Rex Fidei armis insignitus, et strenuus Divi Petri Miles dignissimus erat qui primus omnium ab Apostolica Sede Fidelissimi nomen reciperet. Eum quippe et Deo et Petri Successoribus Fidelissimum semper fuisse, juramentum in ipsa Regia inauguratione emissum, quaeque de eo extant scriptis tradita monumenta aperte docent, res domi bellique praeclare gestae luculentius confirmant, plurima denique patrata miracula Divinitus evincunt. Haec eadem appellatio Regibus continua successione in ejus locum suffectis jam diu debebatur; quid enim in eadem appellatione latet, quod non abunde Reges nostri praestiterint? An sedula in coercendis haereticis diligentia? At nemo eorum invenietur, qui non modo ullam errorum pestem in Regno suo vagari, sed ne ad ipsam quidem aspirare passus sit. An debita Apostolicae Sedi reverentia? At quivis eorum nullam sibi pro eadem tuenda jacturam, nullum laborem, nullum discrimen defugiendum arbitratus est. An bellica in Mauris debellandis fortitudo? At multi eorum plurimos in Hispaniam hujusmodi hostes ad internecionem deleverunt; alii trajecto in Africam exercitu munitissimas urbes expugnarunt, alii barbaros Reges in servitutem abduxerunt, alii autem profuso sanguine sempiternam gloriam adepti sunt. An aestuans quidam Fidei Catholicae per exteras regiones disseminandae ardor? At hoc ardore inflammati Sanctius, Alphonsus IV., Emmanuel, Sebastianus, Henricus Cardinalis Rex, Petrus II., quinque Joannes. Sed quid haec? omnes omnes, inquam, Lusitaniae

Principes nullis unquam pepercere impensis, ut superstitiosas primum Europae, deinde Africae, Indiarum, atque Americae nationes suavissimo Christi jugo subjicerent.

Verumtamen cum amplissimam illam Fidelissimi Regis appellationem Majores Tui universi suo quodam modo jure sibi postulare possent, Tu fuisti unus, qui eandem primus in familiam Tuam, Tuumque Regnum inveheres; quod certe divino consilio accidisse credendum est; propterea quod tanta est in Te virtutum omnium complexio, ut non modo universam Majorum gloriam unus exaequasse, verum etiam longe superasse judiceris. *Illi debent tempori quod Te praecesserint; Tu Tibi quod eos praedecessores superes* (a): *unum vero eorum gloriam reddit incomparabilem, nempe Te genuisse; hanc tamen a Te accepere; factum est enim ut eorum sanguinis haeres eos quoque Tuae gloriae haeredes efficeres. Ergo Regum optime, ut ab illis adepta et a Te addita per Te fiat sempiterna, accipe quem sacramus librum* (b). Accipe Divi Petri Miles Acta rerum in Vaticano Templo gestarum, quibus nihil sanctius, nihil majori solemnitate celebratur; accipe, obedientissime Ecclesiae Fili, descriptionem honorum, quos Ecclesia militans nuper triumphanti solvit. Accipe, Fidelissime Rex, donum ab eodem, qui Te perhonorifica hujusmodi appellatione insignivit, transmissum. Praedicent alii veteres Imperii Lusitani fines a Te feliciter productos, nova exterarum gentium commercia Ulyssipone instituta, pacem in Tuo regno medias inter omnium ferme Regum simultates conservatam, victorias in extremo Oriente nuper partas, majestatemque Tui nominis toto terrarum orbe diffusam. Nos praeclarissimum Fidelissimi *in Domo Dei* titulum, Moysi a Deo olim concessum, nunc Tibi a Christi Vicario communicatum, crebrius in Te laudando libentiusque usurpabimus. Illa enim Tibi communia cum pluribus Regibus sunt; Hic Tuus unice est. Illorum partem fortuna sibi vendicat; In hujus societatem nemo se admiscet. Ex illis aliquid fortasse temporis imminuet injuria; De hoc nulla unquam posteritas conticescet. Atque ut ab eo potissimum ordiar, unde caetera consequuntur, quid de Tua in deum pietate dicam? Domus Dei Ecclesia Catholica est, quae certe validissimis a Te classibus in Turcas immissis, Sancta Sede a Te defensa atque ornata, vera Religione in extremis terrarum finibus Tuo praesidio Tuisque opi-

(a) SS. D. N. in literis Apost. circa tit. Fidelissimi: *Maximus emineas et praediceris.* Quae verba supra etiam retulimus.

(b) Eruditissimus Scriptor R. P. Emmanuel Monteiro Lusit. Congr. Orat. in libro cui titulus: *Joannes Portugalliae Reges*: Edito Ulyssip. an. 1742.

bus sustentata, maximis Tibi beneficiis sese profitetur obstrictam. Eadem domus Dei appellatio in Religiosos Ordines cadit, quorum alii Te adnitente ad veterum legum observantiam revocati sunt, alii ad severiorem sanctimoniae disciplinam sunt traducti. Pro domo Dei Templa etiam intelligenda sunt; quis unquam Te in iis aut instaurandis, aut construendis, aut omni sacrarum rerum suppellectile exornandis magnificentior? Postremo ad domum Dei Catholicae etiam Provinciae sunt referendae, quarum nulla est tanto locorum intervallo a Nobis sejuncta; ut non illic plurima sint munificentiae Tuae ad sempiterni temporis praedicationem impressa vestigia. Perge igitur strenue *Divi Petri Miles, Fidei armis insignite* tanquam alter Alphonsus, *Obedientissime Ecclesiae Fili*, tanquam alter Sebastianus, *Barbararum Gentium Domitor* tanquam alter Emmanuel, (Pontificiis jam verbis utar) *Perge*, Rex Fidelissime, *certare bonum certamen Fidei, ut vitae aeternae praemia ab Auctore Fidei nostrae et consummatore Jesu Christo consequaris.* Interim tamen me Solio Tuo suppliciter advolutum mirifica illa tua in omnes humanitate suscipe, et librum hunc Pontificia auctoritate satis commendatum Regali patrocinio complectere. D. O. M. Majestatem tuam ad Lusitani Regni (quod Fide purum sub Fidelissimorum Regum praesidio semper fuit, semper futurum speramus) Felicitatem, ad Regiae Familiae solatium, ad Ecclesiae Catholicae praesidium, ad Sanctae Sedis ornamentum, ad totius Europae decus, ad communem mortalium omnium utilitatem quam diutissime incolumem servet.

JOANNI V.

LUSITANIÆ, ET ALGARBIORUM REGI FIDELISSIMO
IN MAXIMIS EVROPÆ MOTIBVS
PACE TERRA MARIQVE SERVATA
AVCTO VBIQVE COMMERCIO
FAMILIIS SVBLATO LVXV LOCVPLETATIS
PVBLICÆ FELICITATIS AVCTORI
AD RERVM IN LVSITANIA GESTARVM PRODENDAM MEMORIAM
INSTITVTA IMMENSO SVMPTV HISTORIÆ ACADEMIA
STVDIIS CETERARVM EXCITATIS
ADDITIS REDITIBVS, PRIVILEGIIS, HONORIBVS
PRÆMIO ETIAM QVOTANNIS PROPOSITO
BONARVM ARTIVM PATRONO
INSTRVCTISSIMA CLASSE
AD CORCYRAM A TVRCARVM OBSIDIONE
LIBERANDAM MISSA
PROFLIGATIS IN ASIA RELIGIONIS HOSTIBVS
AD DEPORTANDOS IN INDIAS, ALENDOSQVE MISSIONARIOS
MAGNA PECVNIÆ VI ASSIDVE COLLATA
CATHOLICÆ FIDEI ASSERTORI
COERCITA IMPROBORVM LICENTIA
RESTITVTA RELIGIOSORVM ORDINVM DISCIPLINA
TEMPLIS PARTIM ERECTIS, PARTIM INSTAVRATIS
ET PRETIOSA SVPELLECTILI, ORNATVQVE INSTRVCTIS
PIETATIS, DIVINIQVE CVLTVS PROPAGATORI
REGIARVM VIRTVTVM MAGNITVDINE
PRÆDECESSORVM REGVM NVLLI SECVNDO
POSTERIS OMNIBVS EXEMPLO
EX OCTO VOLVMINIBVS DE CANONIZATIONE SANCTORVM
QVATVOR PRIMIS AVTORI IPSI
OPTIMO MAXIMOQVE ECCLESIÆ HIERARCHÆ NVNCVPATIS
RELIQVOS
REGI SVO BENEFICENTISSIMO
PERENNE ADDICTI, GRATIQVE ANIMI MONVMENTVM
EMMANUEL DE AZEVEDO SOCIETATIS JESV
D. D. D.

ALTERA DEDICATIO
EIDEM ROMANÆ EDITIONI PRÆMISSA

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

P. O. M.

CANONICI REGULARES SANCTI AUGUSTINI CONGREGATIONI SANCTÆ CRUCIS IN PRISTINAM OBSERVANTIAM RESTITUTÆ LITURGICÆ ACADEMIÆ CONIMBRICENSIS.

Tuo inscripta nomini prodeunt, BEATISSIME PATER, Acta quinque Sanctorum, quae pro sui muneris ratione et pro ea, qua praestat praecipue in hujusmodi rebus scientia, jam antea collegerat, atque digesserat praestantissimus Praesul Ignatius Reali Pontificiarum Caeremoniarum Praefectus. Haec quidem ita Tibi debebantur, ut cum ea Sanctitati nuncupamus Tuae, illud usurpare possimus, nec immerito, quod Ædi sanctae Sophiae cum eam dedicaret, Justinianus Imperator olim inscripserat, *Tua ex tuis Tibi offerimus Servi Tui;* editis enim libris cum tam praeclare egeris de Canonizatione Sanctorum, ut ad eam non minus ingenio, quam omni doctrinae genere viam expeditissimam communieris; idem vero eos, de quibus agimus, in Sanctorum Album ita retuleris; ut ex illa veluti radice fructus hic fuerit amplissimus consequutus; nemo est, qui non videat, ex Tuo tanquam penu a nobis depromi, quod tibi tribuatur. Amplissimum id quidem Tibi est, BEATISSIME PATER; cum supremum imiteris Numen, cujus in terris Vicariam potestatem obtines; nobis vero jucundissimum; cum id largiris, quo Tibi iterum oblato aliquam observantiae erga Te nostrae pro tuis innumeris in nos beneficiis partem assequi videamur. Suscipe igitur, BEATISSIME PATER, quod Tuum est, Nosque ante Te provolutos ad terram, qua soles, benignitate complectere, qui novo eoque maximo beneficio idipsum Tibi debemus, quod muneribus Tuis Tibi repraesentandis ingratos omnino esse non pateris. Interim Deum orantes, ut totius Ecclesiae bono Te quam diutissime sospitet, sanctissimos pedes Tuos humillime exosculamur.

A C T A

SOLEMNIS CANONIZATIONIS

BEATORUM SERVORUM DEI

FIDELIS A SIGMARINGA, CAMILLI DE LELLIS, PETRI REGALATI, JOSEPHI A LEONISSA, ET CATHARINÆ DE RICCIIS.

Civitas Sancta Jerusalem, quae (a) sursum est, mater nostra de triplici profligato hoste victoriam referentes excipiens, non omnibus eumdem assignat locum; sed cum in ea (b) mansiones multae sint, secundum varietatem (c) meritorum suum unicuique gloriae quoque gradum attribuit: Nam *alia*, inquit Apostolus, *claritas solis*, *alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate* (d).

Hinc terrestris ista, quae adhuc militat, perfecta illius aemulatrix (e), decedentes Christi Famulos, qui cum Mundo, ac veteri serpente carnem quoque vicerunt, non paribus attollit honoribus; sed prout animadvertit Sanctitatis eorum famam percrebrescere, miraculorumque et gratiarum fulgore coruscare, venerationem ipsorum et cultum multimoda, ac varia ratione permittit, adauget, et praecipit; quod in beatificandis canonizandisque iisdem Dei Servis maxime elucet: Plura enim in album Sanctorum allectis tribuuntur, quae in Beatorum numerum dumtaxat adscriptis decerni non consueverunt.

Hanc vero in terris curam ad visibile Ecclesiae Caput, Romanum scilicet Antistitem spectare, cui Christus ligandi atque solvendi potestatem fecit, constanti et non intermissa plurium saeculorum praxi comprobatur: etsi auctam adultamque contendant aliqui, solum ex eo tempore, cum Alexander Papa III. edita Decretali Primatibus, Episcopis, aliisque omnibus interdixit, ne cuiquam inposterum Beati nomen et cultum tribuerent, privativum hoc jus Apostolicae Sedi reservans sive tanquam de novo inductum, sive postliminio restitutum. Ceterum (f) *hoc sublime judicium ad eum tantum pertinere, qui est beati Petri Successor, et Vicarius* JESU CHRISTI, ex eo facile evincitur, quod sicut aeternarum Sedium designatio, quae non personis parantur, harum enim non est acceptor Deus, sed meritis, quae solum sequuntur ex hac vita decedentes, a supremi Patris arbitrio pendet, et voluntate, ut Divina nos docuit Sapientia, cum Zebedaei filiis per matrem sibi primatum postulantibus respondit (g) *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Ita consentaneum fuit, ut dispensatio earum rerum, quae ad decus praesidiumque faciunt Ecclesiae, et ad Dei Servorum in terris glorificationem, in supremo illius Hierarcha, qui unctione Christus, successione Petrus est, solum resideret. Petrus quippe a petra illa dicitur, quae (h) *lapis est angularis*, (i) *faciens utraque unum:* quaeque illum post se praecipuum militantis Ecclesiae fundamentum, et

(a) *Ad Galat cap*, 4. *v*. 26.
(b) *Joan*. 14. *v*. 2.
(c) *Cap. Gloriosus de Reliq. et vener. SS. in* 6.
(d) 1. *Corinth. cap*. 15. *v*. 41.
(e) *Gloss. in Clement.* Ad nostram *verb*. Ecclesia.
(f) *Innoc. III. in Lit. Canonizat. S. Kunegundis.*
(g) *Matth*. 20. *v*. 23.
(h) *Ad Ephes*. 2. *v*. 20.
(i) *Ibid. v*. 14.

caput collocavit. Unde vocatis ceteris in partem solicitudinis, posthabitoque eo etiam Discipulo, quem supra reliquos Apostolos, teneriori amoris affectu prosequebatur, uni tantum Petro dictum a Domino est: (*a*) *Tu me sequere* (*b*) *in individuae unitatis consortium*, *idest in veri Pastoris officio*, *et potestate imitare*: *adeout* (*c*) *quae sibi erant potestate propria*, *eidem voluerit esse participatione communia*.

Cum igitur ad utrumque, potestatem scilicet, et magisterium pertineat Beatificatio Servorum Dei, atque Beatorum Canonizatio, recte statutum est, ut a solo militantis Ecclesiae Capite penderet de regnantibus in caelo publicum prodere testimonium, et de honore, qui deferendus eisdem esset in terris, tuto decernere, ac definire. Sed ne plura dicam hoc loco impedior aureo Opere jam vulgato, cui nihil aut addere, aut detrahere ulli unquam dabitur, PROSPERI CARDINALIS LAMBERTINI, quem summa Dei providentia post diuturnam sex mensium Ecclesiae viduitatem ad Apostolicae Navis regimen sexto abhinc anno vidimus evocari BENEDICTI XIV. nomine, Pontificem merito, et dignitate maximum. Hic tanquam (*d*) *sapiens Architectus* positus (*e*) *in opus Ministerii, in aedificationem Corporis Christi, ad consummationem Sanctorum*, pluribus voluminibus, Beatificationis et Canonizationis originem ac progressionem persequitur: antiqua praxi ad trutinam revocata, quae perscripta postea est pro valida confectione Processuum, Causarum introductione, continuatione, ac felici consummatione tradit, ac explicat; Constitutiones, Leges, et Decreta Praedecessorum suorum allegat: indulta, dispensationes, et gratias recenset: Ritus et caeremonias refert, easque illustrat mysticis rationibus, confirmat exemplis: Quod unum desiderabatur post tam egregium opus, ut praestantissimus Auctor suprema Romani Pontificis auctoritate ipse per se exequeretur, quae tam sapienti magisterio alios edocuerat: hoc ad commune Ecclesiae bonum in Petri Cathedra constitutus effecit; quandoquidem inter Beatos relatis Alexandro Saulo Episcopo Aleriensi et Camillo de Lellis, cultuque, qui Nicolao Albergati Cardinali Episcopo Bononiensi et Benedicto a S. Philadelphio Laico professo Ord. Min. Observant. S. Francisci, annis centum et ultra tanquam Beatis tributus fuerat, approbato; hoc anno tandem Sanctis adscripsit Beatos quinque, videlicet Fidelem a Sigmaringa, Camillum ipsum de Lellis, Petrum Regalatum, Josephum a Leonissa, et Catharinam de Ricciis.

Quanto autem apparatu, labore, ac studio id factum sit, instituti ratio postulat, ut, quantum fieri potest, diligenter enarretur, ac exponatur. Occurrit prima, juxta temporum seriem, causa B. Fidelis a Sigmaringa, in qua duobus ex quatuor, quae post indultam Beato venerationem proposita fuerant, approbatis miraculis die 18. Januarii anni 1744. supererat dubium; an tuto procedi posset ad solemnem ejusdem Beati Canonizationem. Quia vero causae relator Eminentissimus D. Pompejus Card. Aldrovandi, ob demandatam sibi Romandiolae Legationem, Roma discesserat: Eminentissimus D. Alexander Card. Albanus, in ejus locum a Pontifice suffectus, in generali sacrorum Rituum Congregatione habita coram SANCTITATE SUA die 24. Martii in aula Palatii Quirinalis, ubi et Consistoria secreta hiemis tempore haberi solent, titulo causae perlecto, compendiariam Actorum relationem, quae fieri consueverat, Pontificis jussu missam fecit, et simplex, de quo supra diximus, dubium proposuit. Cum omnes, quot aderant, DD. Cardinales unanimiter affirmative respondissent; Summus Pontifex sententiam ferre distulit; ut in re tam gravi largius sibi lumen a Deo precibus postularet. Post mensem Pontifex peracto Missae Sacrificio in Ara principe Templi Capuccinorum, in qua B. Fidelis Reliquiae propositae venerationi fuerant, se recepit in Chorum; ubi sedens, laudato prius eodem Ordine, quem Deus tanti Martyris sanguine voluit etiam commenda-

(*a*) *Joan.* 21 *v.* 19.


(*b*) *S. Leo M. in Annivers. Assumpt. suae et serm.* 2. *in Natali SS. Apostolorum.*

(*c*) *S. Ambrosius serm.* 47. *et epist.* 80.

(*d*) 1. *Corinth. cap.* 3. *v.* 10.

(*e*) *Ephes.* 4. *v.* 12.

Aula Consistorii Secreti in Quir. Palatio pro Congregatione ordinaria Sac. Rituum adstante Summo Pontifice



1. Sedes Pontificia sub Umbella a terra per gradum elevata.
2. Mensa Scriptoria pro Papa.
3. Altera oblonga pro Cardinalibus.
4. Cardinalium Sedilia.
5. Praealtum Scamnum ad scribendum pro Secretario.
6. Lignea vestibula (vulgo Bussole).
7. Ianuae ab Aula Parafrenariorum.
8. Fenestrae versus Quirinale Atrium.
9. Aliae versus Viridarium.
10. Infumibulum.

tum, per Secretarium deinde Congregationis Sacrorum Rituum sequens Decretum vulgari praecepit.

CONSTANTIEN., SEU CURIEN.

Canonizationis Beati FIDELIS A SIGMARINGA *Ordinis Minorum Capuccinorum, primi ex Missionariis S. Congregationis de Propaganda Fide ab Haereticis in odium Fidei interempti.*

Cum Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PAPA XIV. in causa Constantien. seu Curien. BEATI FIDELIS A SIGMARINGA Ordinis Minorum Capuccinorum declaraverit die 18. Januarii 1744. ex quatuor propositis miraculis duorum tertii generis approbationem, Primi videlicet: *Instantaneae sanationis Fratris Candidi a Mediolano Religiosi Professi ejusdem Ordinis Capuccinorum ab inveterato fere per decennium morbo epileptico, cum instantanea perfecta et absoluta fractarum virium restitutione per Beati Effigiem capiti reverenter impositam, exclusa quacumque in morbum reincidentia*: ac Secundi: *Josephi Kirner pueri quadriennis, qui omni pedum usu triennalem ob rachitidem amisso, in eodem statu permanens, ductus a matre ad ecclesiam ante Imaginem Beati, relictis fulcris, domum pedes rediit, et deinde semper undequaque sanus incessit;* hodie vero postremum, quod supererat dubium nimirum: An *stante approbatione duorum praefatorum miraculorum tuto deveniri possit ad solemnem Beati Fidelis Canonizationem;* Sanctitas Sua in generali sacrorum Rituum Congregatione die 24. Martii currentis anni 1744. coram se habita, ad humillimas preces Fratris Maximiliani a Wanghena Ordinis Capuccinorum Definitoris Generalis, et hujus causae Postulatoris, referente Eminentis. et Reverendiss. Domino Cardinali Alexandro Albano idem praefatum dubium, loco Eminentiss. et Reverendiss. Domini Cardinalis Aldovrandi absentis, examinari dignata fuit praecipere; Cumque in ea tam Dominorum Consultorum, quam Reverendissimorum Cardinalium suffragia audiverit unanimiter *Affirmative* respondentium, resolutionem ea die adhuc differre censuit, ut uberioris prius auxilii, luminisque caelestis copiam imploraret. Quo tandem abunde impleto, accitis coram se R. P. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, meque praedictae Congregationis Secretario infrascripta die Festivitatis ac Martyrii ejusdem BEATI anniversaria, post celebratum in Ecclesia Capuccinorum ad altare, ubi venerationi erat exposita insignis BEATI FIDELIS Reliquia, Divinum Sacrificium, praesens ejusdem BEATI Canonizationis quandocumque faciendae Decretum expediri ac publicari mandavit. Hac die 24. Aprilis 1744.

C. Card. de Marinis Praefectus.
Loco † Sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

Ubi Pontifex discessit, Fr. Maximilianus a Wanghena, causae Postulator, a R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore sacris vestibus induto prope altare majus ad cornu Epistolae sedente acceptum Decretum recitandum in Templo palam curavit: Quo facto idem Praesul hymnum *Te Deum* ab altari praecinuit, eumdem subsequentibus ad finem usque Symphoniacis, et Musicis, succensis etiam eodem tempore minoribus aeneis tormentis, non sine magno populi plausu, et diei illius celebritate.

Parem nactae sunt exitum causae BB. Petri Regalati, et Catharinae de Ricciis, quarum primam eadem praedicta methodo retulit Eminentissimus Card. De Gentilibus, alteram Eminentissimus Lercarius, in Congregatione generali, coram SS. D. N., die 22. Septembris ejusdem anni 1744. super Dubio, An stante miraculorum approbatione tute procedi posset ad Canonizationem; Etsi enim auditis Cardinalium, et Consultorum suffragiis, judicium ferre Pontifex supersedisset; ut, quid sibi decernendum foret, maturius deliberaret; Tamen post dies non amplius quindecim, quae infra subjicimus, Decreta seorsim edidit.

OXOMEN.

Canonizationis Beati PETRI REGALATI *Ordinis Minorum, apud Hispanos Regularis Observantiae S. Francisci Restauratoris.*

Cum, post absolutas de more Antepraeparatoriam et Praeparatoriam Congregationes, referente Reverendiss. D. Card. Antonio Xaverio De Gentilibus, proposita fuerit in Congregatione Generali, habita coram Sanctissimo, die 2. Junii currentis anni, Causa Oxomen. Canonizationis B. PETRI REGALATI super Dubio, *An et de quibus Miraculis constet post indultam a Sede Apostolica eidem BEATO venerationem;* Cumque Sanctitas Sua, praemissis praemittendis, duo ex eis in tertio genere approbaverit, uti colligitur ex Decreto edito die 14. Julii currentis anni; Deventum tandem fuit in alia Generali Congregatione, habita pariter coram Sanctissimo, die 22. Septembris proxime praeteriti, ad postremum, quod supererat, Dubium: *An stante approbatione supradictorum duorum Miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem ejusdem BEATI Canonizationem;* Omnibusque *Affirmative* respondentibus, Sanctitas Sua resolutionem differre voluit, ut prius, effusis ad Deum precibus, caelestis luminis opem in tam gravi deliberatione imploraret. Quibus impletis, idem Sanctissimus Dominus Noster, post Missae celebrationem ad altare S. Brunonis in Ecclesia S. Mariae Angelorum ad Thermas Diocletianas, accitis coram se R. P. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, praesens Canonizationis B. PETRI REGALATI, quandocumque faciendae, Decretum expediri et publicari mandavit. Hac die 6. Octobris 1744.

S. Card. Valenti.

Loco ✝ Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolym. S. R. C. Secr.

FLORENTINA

Canonizationis Beatae CATHARINÆ DE RICCIIS *Monialis Professae in Ven. Monasterio S. Vincentii Civitatis Prati Ordinis Praedicatorum.*

Relata in Congregatione Generali Sac. Rituum habita die 24. Martii currentis anni coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO PAPA XIV. per Reverendissimum D. Card. Lercarium Causa Canonizationis B. CATHARINÆ de RICCIIS super Dubio: *An, et de quibus Miraculis constet post indultam eidem Beatae Venerationem in casu, et ad effectum de quo agitur:* Cum ex tribus, quae tunc fuerunt proposita, et examinata Miracula, Sanctitas Sua duo approbaverit secuta post formalem dictae Beatae CATHARINÆ Beatificationem, uti colligitur ex Decreto edito die 26. Maii currentis anni, et postmodum die 22. nuper elapsi mensis Septembris, coacta iterum Generali Congregatione Sac. Rituum coram eodem Sanctissimo Domino Nostro propositum fuerit per supradictum Reverendissimum D. Card. Lercarium alterum, quod examinandum supererat, Dubium: *An stante approbatione duorum Miraculorum tuto deveniri possit ad solemnem ipsius Beatae CATHARINÆ Canonizationem*: Omnesque, qui in ea Congregatione suffragium tulerint, affirmativum dederint responsum: Sanctitas Sua resolutionem ea die differre voluit, ut tum suis, cum aliorum precibus in tam gravi deliberatione lumen a Patre luminum prius imploraret, quod cum abunde sequentibus diebus peregerit, novissime infrascripta die S. Brunoni Carthusianorum Fundatori dicata post celebratum in Ecclesia S. Mariae Angelorum Missae Sacrificium, accitis coram se R. P. Ludovico de Valentibus Fidei promotore, meque infrascripto Sac. Rituum Congregationis Secretario, ut novum decus Praedicatorum Ordini adderet, praesens Canonizationis memoratae Beatae CATHARINÆ de RICCIIS, quandocumque faciendae, Decretum expediri ac publicari mandavit. Hac die 6. Octobris 1744.

S. Card. Valenti

Loco ✝ Sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secr.

Et quoniam in Decreto superiori mentio facta est de inclyto Carthusianorum Parente Sancto Brunone, ad cujus altare sacris operatus Pontifex, festo illius die recurrente, B. Catharinam Sanctis accenseri quandocunque posse declaravit; non esset abs re meminisse etiam quid circa eximium ejusdem Instituti Sectatorem Nicolaum Albergati, Civem et Episcopum Bononien. clarissimum sacri Cardinalium Collegii decus et ornamentum Sanctitas Sua constituerit, coram decem Eminentissimis Patribus, nempe Lercari, de Gentilibus, Guadagni, Spinula, de Valentibus, de Montibus, Lucino, Bolognetti, Hieronymo Columna, Prospero Columna de Sciarra jussu Pontificis convocatis, atque una cum Oratore Bononiae Comite Bentivolo in intimo ejusdem Ecclesiae Choro congregatis; nisi nos apprime instructos redderent ipsae Apostolicae literae, quas referrem hoc loco, nisi eas jam impressas una cum Decreto, Lectionibus propriis, et peculiari Elogio ejusdem Beati Nicolai Albergati in Martyrologio Romano apponendo, haberemus Tomo Sexto, pag. 461. * aurei revera Operis de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione, novissime a Sanctissimo ipsius auctore BENEDICTO PAPA XIV. summopere aucti, et tertio sub praelo positi pro Conimbricensi Liturgica Academia, quae peculiarem super hoc demandavit curam praeclarissimo viro P. Emmanueli de Azevedo Societatis Jesu Alumno, cum ad promovendas non paucas Servorum Dei Causas a Lusitaniae et Algarbiorum Rege selectus est prae omnibus, et Romae detentus; ubi ab eodem Sanctissimo Patre Sacrorum Rituum Congregationis Consultor renunciatus, summa vigilantia, et omnium Eruditorum expectatione praefatum Opus magnificentissime exsequitur.

Elaborabant inter haec Postulatores BB. Camilli de Lellis, et Josephi a Leonissa, ut quantocius causas, quas susceperant, ad optatum Canonizationis finem perducerent. Ambae ita processerant, ut coram Sanctitate Sua rite perpensis, quae post impertitum eisdem Beati cultum a Deo facta fuerant eorum intercessione miraculis, Pontificium dumtaxat de iis expectaretur oraculum. Tempus non modicum intercesserat, nec de Petri Cathedra vox incorrupta judicantis, de quibus constaret miraculis, adhuc intonuerat: Publicae propterea privataeque preces in horum Beatorum Templis, et Coenobiis eo dirigebantur, ut ad id obtinendum, quod petebatur, opportuna e caelo Pontificiae menti lux affulgeret.

BENEDICTUS vero, licet haec ei cura alte insedisset in animo: tamen, ut populum sibi commissum, omni, quo poterat, studio acceptabilem Deo magis redderet, sacram visitationem instituere per id tempus decreverat, cujus initium a domo Dei se facturum primo die Maji anni 1745. etiam edixit.

Is dies erat Apostolorum Philippi, et Jacobi triumpho consecratus. Summo igitur mane cum ad Lateranum se contulisset Pontifex, a Capitulo Basilicae, ejusque Archipresbytero Nerio Cardinali Corsino Sancti Eustachii Diacono exceptus, post effusas ante augustissimum Eucharistiae Sacramentum preces, aliasque praeparatorias ad Missam perlectas in eodem Altari Sacrificium confecit; quo absoluto, in proximum Columnensium Sacellum, e qua familia Cardinalis Hieronymus utriusque Apostolici Palatii Pro-Praefectus praesens aderat, secedens Defunctorum animas consuetis orationibus absolvit. Mox utrasque custodias, et eam scilicet, quae caelestem Angelorum panem in Pyxide servat, et illam, qua sacrorum Oleorum vasa conduntur, intus et extra diligenter inspexit. Deinde Capita beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ceterasque plurimorum Sanctorum Reliquias, quae in alto pegmate instar turris intra Templum erecto servantur, propius veneraturus, per amplam scalam de industria paratam, et ab Ara majori, quae ex adverso est, non longe applicitam superius ascendit.

Crates ferreae inauratae, quibus circumundique pegma concluditur, et quarum claves penes se habent, alteram Praefectus Domus Pontificiae pro Papa, alteram Conservatores Urbis pro Populo Romano, reseratae

* *In hac nostra Editione habentur eodem Tom. VI. ad finem.*

jam prius fuerant, velaque pariter demissa. Cuncta lustravit Pontifex; recognovit documenta, quae de identitate Reliquiarum testabantur, pertractans inde manibus etiam suis, quas exosculari volebat, lipsanothecas.

Ab alto descendens Altarium mensas et ornatus earum inspexit, sacram supellectilem, singulaque omnia ad Divinum cultum, majestatemque, ac Ministrantium decorem spectantia, in Sacrarii ambitu disposita sedulo aspexit: tandem ad Cappellam Domus Corsinae divertit.

Est haec ultima ad dexteram e Basilica exeuntium, a san. mem. Clemente XII. Laurentio Corsino Sanctitatis suae Praedecessore in memoriam S. Andreae Fesulani Episcopi Cognati sui erecta atque fundata. Pario lapide ornata est, caelaturis aeneis multo auro illitis, anaglyptis, signisque marmoreis, et egregia Divi Andreae imagine ex opere musivo, quae tabulae loco sacram Aram mirifice illustrat: Praeterea est in ea nobilis ex porphyrite Sarcophagus, quem vivens e Pantheon, olim Delubro, nunc Templo B. Mariae ad Martyees, uni ex Cardinalibus S. R. E. in Diaconiam attributo, ipsius Ecclesiae Canonicis exhibentibus asportatum ad mortalis sui Depositi custodiam constituit sibi Clemens, cujus voluntati obsequentes Gentiles sui, cum vix ab obitu praefinitus annus effluxisset, ejus cadaver e Sancti Petri in Vaticano Basilica, ubi depositum fuerat, privato funere elatum, prout ipse Chirographo mandaverat, in eo deponendum curarunt.

Itaque Cappellam ingressus Papa BENEDICTUS, defuncti Pontificis animae intercedentibus B. Andreae meritis a Deo precatus est pacem; Et quamvis non ignoraret praeter Ministros ad Ecclesiastica obeunda munia certis redditibus attributis in ea institutos, Sacrarium quoque vestibus et vasis, tum aureis tum argenteis, omnique alio cujusvis generis apparatu, large instructum esse, honorifica tamen potius, quam censoria animadversione, nihil voluit inobservatum praeterire.

Postremo remeavit ad Quirinale egrediens per Orientalem portam. Nova hic porticus, novaque templi facies ipsummet Clementem habet Auctorem; ut inscriptum ejus nomen, et stemma gentilitium ostendunt. Et quidem tantae molis fabrica ita admirationi omnibus est, ut oculos etiam in se animosque intuentium convertat, et Triclinium Leonis restitutum, et oblonga via ad agrum Sessorianum aperta, utrumque regnantis Pontificis nobile opus. Neque vero in his dumtaxat se continuit munificentissimus Princeps: Longe majora sunt, quae suo quaeque loco, si quidem scribendi copia fuerit, enarrabuntur. Unum tamen modo praetermittendum non est, tanto nimirum Pontifici tribuendum esse, si non amplius flexus et invius, sed facilis et rectus accessus est ad Basicam Helenianam, quae Sanctitatis Suae, dum Presbyter Cardinalis esset, Titulus fuit: Si Frons hujus Templi molimine ipso, et columnarum numero nobilis assurgit: demum Ædes tota velut nova Hierusalem deposito senio, et quasi sponsa ornata monilibus suis conspicitur. Quae omnia summatim indicat lapis super ostium in interiori aedis parte ita inscriptus.

BASILICAM SESSORIANAM
A CONSTANTINO MAXIMO MATREQUE HELENA
A FUNDAMENTIS ERECTAM
ATQUE A LUCIO II. BONONIENSI RESTAURATAM
BENEDICTUS XIV. PONT. OPT. MAX.
JAM EAMDEM IN TITULUM HABITAM
FRONTE PORTICU ABSIDE THOLO EXTRUCTIS
VIAQUE AD LATERANUM
COMPLANATIS UNDIQUE MACERIIS AGGERIBUSQUE
EXCITATIS INGENTI LIBERALITATE
ORNAVIT RESTAURAVIT DITAVITQUE
ANNO REP. SAL. MDCCXLIII. PONT. IV.

Providam hanc Vicarii sui curam in restaurandis Christianae Religionis monumentis, in reficiendis ornandisque Basilicis saeculorum injuria collabentibus, in promovenda Ecclesiasticorum disciplina, tanto animi studio susceptam (a), qui scrutatur corda et scit quid Spiritus desiderat, Christus Jesus benigno statim favore est prosequutus. Nam cum Papa eo ipso die primo Maji ex Laterano redux in domesticum se recepisset cubiculum, advenisse tempus intellexit, quemadmodum diu precibus efflagitaverat (b), quo divitias gloriae magni Dei mirabilia facientis in Servis suis, quos praeparavit in gloriam, palam ostenderet: Quapropter accersitis RR. PP. Congregationis Sacrorum Rituum a Secretis, ac Fidei Promotore sequentia duo Decreta super approbatione Miraculorum in Causis Canonizationis BB. Camilli de Lellis, et Josephi a Leonissa vulganda tradidit.

ROMANA, SEU THEATINA

Canonizationis BEATI CAMILLI DE LELLIS *Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.*

Postquam solemni Ritu inter Beatos relatus fuit Venerabilis Dei Famulus CAMILLUS DE LELLIS Fundator Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, instantibus de more Postulatoribus pro impetranda ejusdem Causae Reassumptione, ut ad finem optatum, nempe Canonizationem, ipsa perducatur, signata fuit Commissio Reassumptionis Causae, et Apostolici Processus confecti (quorum validitas diligenter etiam examinata, atque inde probata fuit) de Miraculis, quae ob intercessionem Beati CAMILLI a Deo patrata ferebantur, postquam ille Beatorum numero adscriptus est: Cum deinde eadem Miracula in examen revocari coepissent, et accuratissima disquisitio de ipsis facta esset, uti mos est, in duabus Congregationibus Antepraeparatoria, ac Praeparatoria, demum coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. die 16. Martii nuper elapsi habita fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum, in qua propositum fuit Dubium, quod antea jam fuerat propositum in duabus Congregationibus Antepraeparatoria, ac Praeparatoria, quas superius nominavimus — *An, et de quibus Miraculis constet post indultam eidem BEATO Venerationem in casu, et ad effectum* — Sanctitas Sua, priusquam accederet ad Congregationem, omnia Consultorum suffragia perlegere voluit, quemadmodum facere consuevit, atque illa deinde coram universo Coetu dilucide exposuit: Post haec auditis Cardinalium suffragiis nihil novi constituit, non solum, ut Causam accuratius perpenderet, sed etiam, ut Divinam opem in tam gravi, difficilique negotio diuturnis precibus imploraret: His omnibus peractis duo ex propositis Miraculis adprobavit: Primum illud est, quod in Ordine secundo loco describitur, et Luciae Teresiae Petti contigit, quae ab ipsa Nativitate asthmate oppressa, gravissima respirandi difficultate laborabat, et cum magis aetate procederet, tanta malorum accessio facta est, ut non modo ineptam prorsus efficerent ad quemcumque vel levissimum laborem, sed etiam macilento vultu, fractisque viribus Corporis penitus extenuarent: Quin etiam gibbum contraxit, et sanguinem immixtum sanie despuere coepit, itaut de ejus vita actum esse Medici unanimes adfirmarent: sed illa post invocatum B. CAMILLUM momento temporis pristino respirandi impedimento, et marcidis sputis libera protinus evasit, Corporis curvamine soluta fuit, et se ad labores omnes suscipiendos idoneam, et expeditam sensit, cum nulla antea Crisis, seu mali mutatio eidem Mulieri contigisset: Atque ita restitutis viribus, postquam septemdecim annis graviter vexata fuit, integra, perfectaque gaudet valetudine.

Secundum Miraculum, quod in Ordine tertium locum obtinebat, a Sanctitate Sua probatum, accidit Margaritae Castelli Puellae annorum duodeviginti, quae Parentem habuit pustulis infectam, et eodem morbo ita oppressa fuit, ut pustulae in diversis par-

(a) *Parali. cap.* 28. *v.* 9. *et ad Rom. cap.* 1. *v.* 27.
(b) *Ad Ephes.* 22. *versu* 18.

tibus erumperent, et postremo ulcus per totum Corpus, et ingentes crustas sanie manantes, et supramodum graveolentes inducerent. Tandem Mense Julii anno 1743. cum Puellam febris acuta corripuisset, et nullum a medicinis levamen acciperet, omnem de ipsius sanitate spem Medici deposuerunt: Divinum Eucharistiae Sacramentum ipsi tanquam proxime moriturae fuit administratum, et omnia, quae ad luctum et funebrem pompam spectant, jam parabantur; Interim ejus Mater, ac Soror ad intercessionem Beati CAMILLI pie confugerunt, et statim admirabile portentum evenit: Nam moriens Puella excitatur, et se incolumem, et sanam exclamat: Lecto prosiliit, inflatum corpus detumuit, tabidae Crustae deciderunt, cibum sumpsit integris ac restitutis viribus; nec ulla tunc temporis Crisis, seu mali mutatio intercessit; Optimam pariter valetudinem, quam recuperavit, nunc etiam firmam retinet ac tuetur.

Haec duo Miracula tanquam tertii generis Sanctitas Sua probavit, postquam in Lateranensi Basilica Sacrum hac die confecit, quemadmodum R. P. Fidei Promotori, et mihi infrascripto Secretario declaravit, dum Sanctitas Sua praesens Decretum mihi tradidit. Hac die prima Maji Sanctis Apostolis Philippo, et Jacobo dicata anno 1745.

C. Card. de Marinis Praef.

Loco ✝ Sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secret.

SPOLETANA

Canonizationis BEATI JOSEPHI A LEONISSA *Sacerdotis Professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum.*

Peracta jam a Clemente XII. fel. record. Beatificatione Venerabilis Dei Famuli JOSEPHI DE LEONISSA Sacerdotis Professi ex Ordine Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, et signata deinde Commissione Reassumptionis Causae, confectis auctoritate Apostolica Processibus de Miraculis, quae post eandem Beatificationem contigerunt, examinata pariter sedulo, ac probata validitate ipsorum Processuum, postremo in duabus Congregationibus Antepraeparatoria, ac Praeparatoria, quarum prima coacta fuit die 18. Junii anno 1743.; altera vero die 3. Martii anno 1744.; In his, inquam, Congregationibus propositum de more fuit: *An, et de quibus Miraculis constet post indultam dicto BEATO venerationem in casu, et ad effectum etc.* Idem prolatum dubium fuit in Congregatione Generali Sacrorum Rituum habita coram Sanctissimo Domino Nostro Papa BENEDICTO XIV. die 22. Septembris anno 1744.

Sanctitas Sua, priusquam in Congregationem veniret, omnia Consultorum suffragia perlegit, eaque fuse retulit coram universo Coetu: Post haec auditis Cardinalium suffragiis, nihil omnino decernendum censuit, ut rem totam magis accurato studio perpenderet, et seipsum Deo commendaret, ut lumen suum in hoc gravissimo negotio impertiretur.

Itaque Sanctitas Sua, dum ejusmodi Causae privatum studium impenderet, nonnullas difficultates deprehendit: Etenim circa primum, ac secundum Miraculum, quae Consultores et Cardinales majori plausu exceperunt, advertit Sanctitas Sua nequaquam missos fuisse Romam articulos, seu capita rerum, ut super illis a R. P. Fidei Promotore Interrogationes conficerentur, quae solum propositae fuerunt a Judicibus Remissorialibus Apostolicis: Id profecto novum et inusitatum Sanctitati Suae visum fuit, eo quod de Processu ageretur Spoleti confecto, quae Civitas procul dubio paucis milliariis Roma distat: Quare contrarium id esse constat Sacrae Congregationis praxi, quam Sanctitas Sua in suis libris — *De Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 47. n. 3.* fuse explicavit.

Accedit etiam, quod in Miraculis tertii generis *Instantaneitas* necessario demonstranda sit, quae cognosci quidem nullo modo potest, nisi prius ostendatur status anterior immediatus morbi, qui deinde momento temporis mirabiliter sanatus fuit: Quamobrem Sanctitas Sua percurrens Testium dicta, nihil sane dubitandum putabat de prae-

cedenti immediato, ac miserrimo statu morbi, sed in apertam lucem manifesto illum non deduci, eo quod opportunae ac necessariae Interrogationes praetermissae fuissent; ideoque Processum ejusmodi spicae comparandum esse, quae licet matura ac frumenti granis repleta sit, tamen illa non effundit, nisi alicujus manu excutiatur.

Cum haec ita essent, Sanctitas Sua desiderio, atque amore cognoscendae veritatis solum adducta, scribendum duxit ad Episcopum Spoletinum, qui suffectus est in locum sui Praedecessoris, qui Processui condendo interfuerat, ac vitae cursum absolvit: Illum secrete admonuit, ut accitis improviso Testibus jam antea examinatis, et aliis pariter, qui vocari in examen poterant ac debuerant, sed vocati nequaquam fuerant, illos opportune interrogaret de statu immediato, qui sanationi praecessit: Episcopus ad Leonissam se conferens indicta jam sacra Visitatione Sanctitatis Suae mandatis prudenter, accurateque satisfecit: Novum Processum, quem condidit, Romam misit, consentaneum penitus illis omnibus, quae ipsi commissa fuerant: Quem Processum Sanctitas Sua tradidit, ut in Tabulario Sac. Congregationis collocetur, et ipsius causa difficultates omnes prorsus se exuisse adfirmavit. Addidit, Se nullam haesitationem habuisse, ut litteras daret ad Episcopum Spoletinum, uti dictum est, quamvis adversari videatur Decretum Alexandri VII. promulgatum anno 1658. quod Sanctitas Sua commemorat in Libris — *De Canonizatione Sanctorum lib.* 2. *cap.* 53. *num.* 11. — Quo sane Decreto praecipitur, ne in causis ejusmodi per quoscumque adjungantur robora, ac veluti subsidia iis probationibus, quae in Processibus jam perfectis continentur: Sibi enim persuasit Decretum Alexandri VII. locum non habere, cum Pontifex ipse pro cognoscenda diligentius veritate hujusmodi subsidia perquirat: Accedit etiam, quod illud Decretum editum fuit ad coercendos Postulatores, ne Testes novos pro libito suo imbuerent, priusquam in examen vocarentur, aut cum veteres Testes iterum examen subire deberent: Porro hoc periculum obvenire nullo modo potuit ob accuratam diligentiam ac rationem, qua totum negotium administratum fuit: Postremo, etiamsi idem Decretum impedimentum aliquid afferre posset, Sanctitas Sua, quatenus opus esset, pro hac vice tantum illud prius abrogare constituerat.

Illustratis hoc pacto ob novas et opportunas interrogationes assertionibus Testium, qui prius examinati fuerant; iisdemque magis corroboratis aliorum testimoniis, qui minime ad examen accesserant, licet acciri debuissent, apertissime patuit status morbi, qui sanationi instantanae praecessit, et cognitio habita est de illius continuatione, sicuti in primo ex propositis Miraculis contendebatur: Quippe Spoletinus Episcopus testatus est, se vidisse Puerum, de quo sermo instituitur, integrae sanitati restitutum, et pedibus omnino liberum atque expeditum: Itaque Sanctitas Sua peracto Sacro in Basilica Lateranensi, accito R. P. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario sua auctoritate adprobavit tanquam Miraculum tertii generis incolumitatem redditam Josepho Dionysio, quam Postulatores primo loco exposuerunt: Is Puer duorum annorum tam magnam corporis totius debilitatem ab ipso vitae exordio contraxerat, ut stare nullo modo posset; carnem vero lentam adeo, ac flexibilem habebat, ut, veluti sudariolum, complicaretur: Eum Mater ad Ecclesiam detulit, ubi B. JOSEPHI Corpus repositum est, et super Altare Puerum collocavit, BEATUM invocans magna religione ac pietate, ut illum ab aegritudine liberaret: Tunc Puer absque ulla mora pedes suos ita corroborari sensit, ut incedere sine difficultate, et currere potuerit; quo sanitatis beneficio adhuc fruitur, uti superius commemoravimus.

Insuper Sanctitas Sua quoque probavit tanquam Miraculum tertii generis sanationem Antoniae Morelliae, quam Postulatores secundo loco statuerunt: Illa graviter laborabat fistula, quae Callum etiam induxerat, et saniem permixtam sanguine fundebat: Ex eadem fistula, cum hians pateret, ventus tam vehemens erumpebat, ut Candelam posset extinguere: per duos annos hoc morbo cruciata fuit, cui dolores etiam, Tussis, ac Febris superaddebantur, donec pius Sacerdos illam oblinivit oleo, quod ante sacrum

Corpus Beati JOSEPHI ardere consuevit: Tum momento temporis integram sanitatem consequuta est, fistula penitus occlusa, doloribus, Tussi, ac Febri omnino cessantibus, pristinae vires, et color naturalis ipsi redierunt, qua bona valetudine deinceps semper usa est: Quare, ut de Pontificia adprobatione horum Miraculorum certum documentum existat, Sanctitas Sua mihi infrascripto Secretario praesens Decretum tradidit, hac die prima Maji Sanctis Apostolis Philippo, et Jacobo dicata anno 1745.

C. Cardinalis de Marinis Praefect.

Loco ✝ Sigilli.

F. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

Postero die rediit Summus Pontifex ad Lateranum, inceptam Visitationem prosequuturus. Peracto Sacro in Aldobrandino Sacello, ubi Eucharistia custoditur, cum Eminentissimo Archipresbytero et Canonicis, qui Sanctitatem Suam iisdem ac pridie Caeremoniis advenientem receperant, in Vestiarii recessu consedit: Libros ad Animarum curam spectantes, tum qui de Baptizatis, vel Confirmatis, seu Matrimonio conjunctis, seu vita functis testantur, tum eum, in quo Sacrificia pro Populo diebus saltem festis applicanda, juxta Sanctitatis Suae encyclicam Epistolam datam Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque Locorum Ordinariis per Italiam die 19. Augusti 1744. debent adnotari, sedulo ne conscripsisset et caute asservaret Ecclesiae Rector, studiose quaesivit; Quia vero inter praecipua Parochorum munia, utpote qui in Episcoporum adjutorium assumuntur, comprehenditur obligatio instituendi ad Catholicam fidem rudes, ac pueros; qua methodo, quo loco, et tempore, quove adjutorio id ageretur, perscrutatus est, ac nonnulla zelo et vigilantia pastorali plena edidit decreta. Sane quantae id Pontifici curae sit, palam faciunt instructiones ejus jam editae, cum Bononiensem Cathedram obtineret, eaque benignitas, et humanitas, qua Christum ducem sequutus parvulos ad se venientes non semel erudivit ignaros, confirmavit instructos, omnes ad solidiorem scientiam muneribus allexit. Haec ipsa Patriarchalis Basilica Lateranensis contemplata est hoc die, de quo loquor, tradentem pueris fidei rudimenta BENEDICTUM, quem ante quinquennium in summo Apostolicae dignitatis fastigio positum exultans ostenderat: Testis est etiam Congregatio, seu Societas, ut vocant, Doctrinae Christianae, quam permutata Ecclesia antea nimis angusta, aucto ad Ministros saluberrimi operis alendos censu, aliisque praeterea beneficiis cumulavit et gratiis. Ad haec ut verbum Dei, cujus est custos, in proximorum corde parere, atque alere Pontifex valeat; norunt omnes, quo honore in Apostolicas Ædes advehi sinat, qua comitate excipiat, variisque donis muneretur, quicumque ex pueris in annua generali disputatione de fidei nostrae Institutis tanquam omnium peritissimus donatus laurea sit.

At non minori sollicitudine Ecclesiasticae disciplinae teneri demonstravit Pontifex, cum die tertio praefati mensis Maji Visitationem eamdem prosequutus multas tulit saluberrimas leges, quibus ii tenerentur, qui in sortem Domini vocati ad concinendas divinas laudes Choro debent interesse, pluresque alias de bonorum Ecclesiae procuratione, et Legatorum adimplemento: Cetera delegans cognoscenda Eminentissimo Archipresbytero, et nonnullis sibi adjunctis Convisitatoribus ejusdem Patriarchalis Canonicis. Revertar modo unde fueram digressus: Etenim ab enarratione Actorum, nimis dilapsus est sermo.

Expeditis itaque Miraculorum approbatione Causis BB. Camilli, et Josephi, reliquum erat dubium, an idcirco videretur posse tuto procedi ad eorum Canonizationem. Indicta de more super eo generalis Congregatio habita fuit coram Sanctissimo Domino Nostro die 3. sequentis Augusti, in qua licet singuli Suffragatores unanimi responso *Posse* censuissent: Pontifex tamen animum suum patefacere noluit, ut a Deo, ad cujus gloriam dirigitur Canonizatio, novis precibus et sacrificiis, quid sibi in tali negotio statuendum foret, exposceret; quod quanto Religionis

studio, quaque assiduitate praestiterit, compertum iis est, qui BENEDICTUM viderunt, quotidie, ut consuetum ei est, ante Augustissimum Eucharistiae Sacramentum publicae expositum venerationi diu procumbentem; raro pietatis exemplo.

Imminebat interim dies 17. Augusti universae Christianae Reipublicae felix, quo post longam sex mensium viduitatem, talem sponsum extemplo sibi datum, ita gavisa Ecclesia est, ut ejus magnitudini animi, prudentiae, sapientiaeque confisa, difficillimis hisce temporibus bello, fame, pestilentia, praecipue vero iterata Romani Imperii vacatione interturbatis, malorum, quae timebantur, depulsionem sibi merito praesagierit, et redintegratam in posterum felicitatem, pace inter dissidentes Principes composita, sibi obventuram firmissime speret.

Hunc igitur diem praeelegit Pontifex ad sequentium Decretorum promulgationem; ut precibus BB. Camilli, et Josephi Deus ex Alto ineuntem suscepti Ministerii sui annum sextum benigno prosequeretur auxilio.

ROMANA, SEU THEATINA

Canonizationis BEATI CAMILLI DE LELLIS *Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.*

Proposito in Sacrorum Rituum Congregatione Generali habita die tertia labentis mensis Augusti coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO PP. XIV. Dubio — *An in Causa Beati CAMILLI DE LELLIS Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis;* in qua Sanctitas Sua die prima Maji currentis Anni bina approbaverat Miracula sequuta post indultam eidem BEATO Venerationem, *tuto procedi posset ad solemnem ipsius Canonizationem* — cum, omnibus affirmantibus, Sanctitas Sua resolutionem distulisset, ut a Deo in re tam gravi opem imploraret, accitis postmodum coram Se R. P. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, meque infrascripto Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, post celebratum in Cappella domestica Sacrum, praesens Canonizationis Beati CAMILLI DE LELLIS quandocumque faciendae Decretum expediri ac publicari mandavit. Elegisse autem ait pro editione et publicatione Decreti hanc ipsam diem decimam septimam mensis Augusti anni 1745. utpote anniversariam suae Assumptionis ad Summum Pontificatum: *Diem videlicet, quam ipsi honorabilem fecit Divina dignatio, quae dum humilitatem suam in summum gradum provexit, quod neminem suorum sperneret, demonstravit;* vivam spem in Deo collocans, quod, intercessione BEATI stato tempore inter Sanctos solemni ritu recensendi, Sibi pro sufferendo intolerabili onere, suis humeris reclinato, validissimo suo caelesti auxilio praesto futurus sit; *ne suscepti operis magnitudo creberrima sit offensionis occasio*, bene agnoscens, *quod quamvis singuli quique Pastores speciali sollicitudine gregibus suis praesint, et pro commissis sibi ovibus rationem reddituri sint, sibi tamen cum omnibus cura communis est*: Quae verba sunt Sancti Leonis *in primo, et quarto Sermone in Anniversario assumptionis suae ad Summum Pontificatum.* Hac die 17. Augusti 1745.

C. Card. de Marinis Praefectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

SPOLETANA

Canonizationis BEATI JOSEPHI A LEONISSA *Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum.*

Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PP. XIV. die prima Maji currentis anni 1745. bina approbavit Miracula a Deo patrata intercessione Beati JOSEPHI A LEONISSA Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, sequuta post indultam dicto BEATO Venerationem, uti ex Decreto Sanctitatis Suae dictis die et anno, edito plane colligitur.

Cum autem in Congregatione Generali Sacrorum Rituum habita coram Sanctitate Sua die tertia labentis mensis Augusti propositum de more fuisset Dubium — *An tuto*

procedi posset ad solemnem dicti BEATI Canonizationem — et affirmantibus omnibus, Sanctitas Sua resolutionem distulisset, ut prius effusis ad Deum precibus caelestis Numinis opem in tam gravi deliberatione imploraret: His adimpletis, accitis coram Se R. P. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, post celebratum in Cappella domestica Sacrum, praesens Canonizationis beati JOSEPHI A LEONISSA quandocumque faciendae Decretum expediri et publicari mandavit.

Addidit Sanctitas Sua, Se pro hujusce Decreti publicatione praesentem diem, decimam videlicet septimam ejusdem mensis elegisse, suae Assumptionis ad Summum Pontificatum anniversariam, sperans orationibus BEATI esse praestandum, *ut Deus misericordiarum ministerii sui tempora benignus aspiciat, Pastoremque ovium suarum et custodire semper dignetur et pascere*: Quae verba sunt sancti Leonis Magni *Serm.* 4. *in Anniversario assumptionis suae ad Pontificatum.* Hac die 17. Augusti 1745.

C. Card. de Marinis Praefectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus S. R. C. Secretarius.

Porro statuta horum quinque BB. Fidelis nempe a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Josephi a Leonissa, et Catharinae de Ricciis Canonizatione, de loco, ubi eam peragi oporteret, dubitandum non videbatur; nam licet fel. rec. Benedictus XIII. Joannem Nepomucenum inter Sanctos Martyres, et Clemens XII. Vincentium a Paulo, et Joannem Franciscum de Regis inter Sanctos Confessores non Pontifices, Julianam Falconeriam inter Sanctas Virgines, et Catharinam Fieschi Adorni inter non Virgines in Lateranensi Basilica nuper retulerint, tamen Vaticanum Templum omnibus praeferendum merito putabatur *pro majore rei dignitate et gloria; dignitate quidem propter Principum Ecclesiae consortia; gloria propter omnium gentium inundantem accursum*: Ut ex Maffeo Vegio, Eugenii IV. Cubiculario refert Dominicus Cappelli Apostolicarum Ceremoniarum Magister in contextu Actorum Beatificationis et Canonizationis S. Francisci Salesii a se collectorum.

Idcirco Sanctissimus Dominus Noster, ut tantae rei dignitati Templi quoque Majestate consuleret, non alio in posterum loco, quam in Basilica Vaticana Canonizationes Sanctorum habendas decrevit: Quod et quatuor saeculorum usu fuerat antea comprobatum, et san. mem. Alexander Papa VII. de formali Servorum Dei Beatificatione ibi celebranda jam pridem stabiliverat.

En Sanctitatis Suae Constitutio.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad sepulcra Apostolorum, quorum consecrata Sanguine Roma, quae fuerat Magistra erroris, facta est discipula veritatis; ad sacros beati Petri cineres, super cujus fidei firmitate extructa totius sacri aedificii Caelo inserenda consurgit sublimitas, Romana Mater Ecclesia in suis triumphat filiis, qui calcatis Mundi blanditiis, et infernalis hostis superatis insidiis ad praemia pervenerunt aeterna; et quos inter Sanctos Dei Servos et caelestis beatitudinis consortes congruo devotionis cultu venerandos Romani Pontificis a Christo Domino accepta, et per Petrum ad Successores suos derivata decernit auctoritas. Quae igitur a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris prudenti consilio et provida ratione instituta sunt, et longo deinde usu recepta, pie sancteque servata, Nos, quorum humilitatem ineffabilis Dei benignitas ad Cathedram Petri evehere dignata est, decet diligenter servare et studiose custodire; et si quid vel temporum vel rerum varietate immutatum est, in integrum restituere, et ad pristinam rationem ac formam revocare atque alia disponere, prout in Domino videtur expedire.

Sane quidem omnes et singulae Beatorum Canonizationes in Urbe nostra peragendae in

Basilica beati Betri Apostolorum Principis semper peractas fuisse, antiqua ac fide digna testantur monumenta: Cum autem fel. record. Benedictus Papa XIII. Praedecessor noster, a quo ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus, in eadem Vaticana Basilica beatos Turribium ex Majorga, Jacobum a Marchia, Agnetem a Monte Politiano, Peregrinum Latiosum, Johannem a Cruce, Franciscum Solanum, Aloysium Gonzagam, Stanislaum Kostkam, et biennio post beatam Margaritam a Cortona Sanctorum cultu honorandos solemniter de more constituisset; ac deinde beatum Johannem Nepomucenum in Sanctorum numerum similiter referre vellet, ei persuasum est, ut id in Basilica nostra Lateranensi solemni ritu perageret. Nos, qui per id temporis Ecclesiae Anconitanae ex concessione et dispensatione Apostolica praeeramus, eumdem Benedictum Praedecessorem per nostras litteras certiorem facere non praetermisimus, Beatorum Canonizationes quoties in Urbe faciendae erant, nonnisi in Vaticana Basilica ab antiquo tempore celebrari consuevisse; et ad hujusmodi officium praestandum eo magis Nos teneri credidimus, quia per plures annos, dum in minoribus eramus, unus ex insignis ejusdem Basilicae Capituli Canonici extitimus, et per plures etiam annos munere Promotoris Fidei functi fuimus. Tum autem Roma benigne Nobis responsum est, quod in Basilica Lateranensi solemnis apparatus pro Canonizatione ibidem habenda jam nimium processerat; nostraeque literae serius quam oportebat, ad Urbem pervenerant.

Postmodum a piae mem. Clemente PP. XII. similiter Praedecessore nostro ab Ecclesiae Anconitanae ad Ecclesiae Bononiensis regimen Apostolica ejus auctoritate translatis Nobis significatum est, praedictum Clementem Praedecessorem BB. Vincentii de Paulis, Johannis Francisci Regis, Catharinae Fieschi Adorni, et Julianae Falconeriae Canonizationem propediem in Ecclesia Lateransi solemniter celebraturum: Sed quoniam per id tempus jam primus Tomus operis nostri de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione in publicum editus fuerat, in quo nullam ante praefati Benedicti Praedecessoris tempora Beatorum Canonizationem in Urbe solemniter, nisi in dicta Basilica celebratam fuisse satis superque demonstratum fuerat, ulterius animi nostri sensus aperire superfluum duximus.

Praeterea, cum ante fel. rec. Alexandri PP. VII. pariter Praedecessoris nostri tempora nulla statuta esset solemnitas in Beatificatione Venerabilium Servorum et Ancillarum Dei observanda; idemque ritum et solemnitatem adhibendam in sacra functione hujusmodi, eamque debita cum pompa in Vaticana Basilica explendam decreverit, ita semper posterioribus temporibus servatum est, ut omnes Beatificationes in eadem Vaticana Basilica celebrarentur usque ad Praefati Benedicti XIII. tempora, quo Romanam Ecclesiam gubernante, quamvis in Vaticana Basilica Beatificatio Ancillae Dei beatae Hiacynthae Mariscottae, et Servi Dei B. Joannis de Prado facta sit; nihilominus Beatificatio Servi Dei B. Fidelis a Sigmaringa paulo post Canonizationem B. Johannis Nepomuceni in Basilica Lateranensi celebrata fuit. Post hanc vero Beatificationem in ejusdem Benedicti Pontificatu in Basilica Vaticana solemni ritu relati fuerunt in Beatorum numerum Servus Dei postea Beatus, et nunc sanctus Vincentius de Paulis, et Servus Dei Beatus Petrus Forerius; in Pontificatu autem Clementis XII., paulo post supradictas Canonizationes in Basilica Lateranensi uno eodemque die unica solemnitate peractas, in eadem Basilica solemniter adscriptus est inter Beatos Servus Dei nunc beatus Joseph a Leonissa: Cum autem a Nobis ob ineffabilem Dei benignitatem Pontificatus honorem ac onus gerentibus decretum fuisset, ut inter Beatos Servus Dei Alexander de Saulis adscriberetur, solemnis ejusdem Beatificationis functio in Basilica Vaticana celebrata est.

Matura igitur consideratione perpendentes, quod a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris omnes Venerabilium Servorum, et Ancillarum Dei Sanctificationes in Urbe nostra solemniter peragendae laudabili instituto, optimisque ex causis ab antiquissimo tempore in Vaticana Basilica, et quod ab Alexandri PP. VII. Praedecessoris nostri, et successivis deinde temporibus Beatificationes quoque in eadem Vaticana Basilica, exceptis nonnullis supramemoratis Canonizationibus

et Beatificationibus ab iisdem Praedecessoribus nostris Benedicto, et Clemente in Basilica Lateranensi peractis, semper celebratae fuerunt: Ne igitur commendabili et antiquae consuetudini, et praedictae Vaticanae Basilicae praerogativae hujusmodi ex B. Johannis Nepomuceni Canonizatione, ac Venerabilis Servi Dei Fidelis a Sigmaringa Beatificatione a Benedicto; nec non ex Beatorum Vincentii de Paulis, et Johannis Francisci Regis, ac Beatarum Catarinae Fieschi Adorni, et Julianae Falconeriae respective Canonizatione, et Venerabilis Servi Dei Josephi a Leonissa Beatificatione a Clemente Praedecessoribus praedictis in Ecclesia Lateranensi celebratis praejudicium aliquod afferatur, hac nostra perpetuo valitura constitutione veterem consuetudinem ac venerandum Praedecessorum nostrorum institutum, Decretumque Alexandri Praedecessoris praedicti ac integrum ejus tenorem Apostolica auctoritate approbantes confirmantes et innovantes, ac illis quodcumque Apostolicae firmitatis robur adjicentes motu proprio, ex certa scientia, ac Apostolicae potestatis plenitudine decernimus praecipimus et constituimus, ut in posterum et perpetuis inde futuris temporibus omnes et singulae Venerabilium Servorum et Ancillarum Dei Beatificationes, ac BB. Canonizationes in Urbe nostra praedicta pro tempore celebrandae, non in aliis quam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe praedicta privative quoad reliquas Basilicas Ecclesiasque ejusdem Urbis celebrari omnino debeant; utque Canonizationes et Beatificationes in eadem Ecclesia Lateranensi a Benedicto, et Clemente Praedecessoribus praedictis, ut praefertur, peractae nullo unquam tempore, perinde ac si in ea celebratae non fuissent, praejudicium aliquod antiquo instituto et Vaticanae Basilicae praerogativae afferre valeant. Insuper quoniam ab eodem Alexandro Praedecessore nostro usque ab anno 1659. alterum emanavit Decretum super contributione tam in Beatificationibus quam in Canonizationibus favore Sacrarii ejusdem Basilicae facienda, quod a Nobis in praedicto Tomo primo operis nostri de Beatorum Canonizatione relatum est, motu, scientia, et potestate simili illud approbamus, et confirmamus, et quatenus opus sit, quae ab ipso Alexandro Praedecessore decreta sunt, rursus decernimus et constituimus; et in futurum ab omnibus inviolabiliter observari volumus et mandamus.

Praesentes quoque ex eo quod interesse ad praemissa habentes ad hoc vocati et auditi non fuerint, aut ex alia quavis juridica et legitima, etiam necessario exprimenda causa, vel quocumque praetextu de intentionis nostrae aut alio quovis defectu notari vel impugnari nullo unquam tempore posse, sed semper firmas validas et efficaces fore, et esse.

Sicque et non alias per quoscumque Judices etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ac quoscumque alios Judices quacumque judicandi facultate suffultos judicari et definiri debere; sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Canonizationibus et Beatificationibus in praedicta Ecclesia Lateranensi, ut praefertur, celebratis, ac nostrae et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo; nec non constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, si quae contra litterarum nostrarum hujusmodi tenorem editae existant, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Decreti, statuti, constitutionis, confirmationis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem nono Cal. Decembris Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentisimo quadragesimo primo Pontificatus nostri Anno Secundo.

D. Cardin. Passioneus.

Visa de Curia
N. Antonellus.

X. Sub-Datarius.

I. B. Eugenius.

Interim postulata cum Regum et Principum, tum Regularium ipsorum Ordinum assidue ad Sanctitatem suam deferebantur, ut quantocius hos quinque Beatos Sanctis dignaretur adscribere; quos preces et vota cum libenti animo Pontifex excepisset, proximo sequenti anno se relaturum Eos in Album Sanctorum benigne affirmavit, Postulatoribus tamen admonitis, ne parcerent sumptui, ut apparatus splendore et magnificentia, quae peragenda erat Canonizatio, superiores reliquas antecelleret. Quod jure petere videbatur post imminutam in strenis et sportulis ipsarum Causarum impensum taxatione certa, ab eodem jam edita, in posterum valitura.

Ac onus quidem parandi omnia, et disponendi quae ad tantam celebritatem requiruntur, ipsorum tantummodo Postulatorum est: Consuevere tamen Romani Pontifices, ut omnia rite fiant atque ordine, aliquem eisdem praeficere non minus authoritate, quam dignitate conspicuum, qui aliquando unus etiam e S. R. E. Cardinalium numero fuit; ut Xisto V. Pontifice factum est in Canonizatione sancti Didaci: Novissimis vero hisce temporibus hanc curam demandarunt aut Praefecto Palatii Apostolici, aut Fidei Promotori ut Sanctitati quoque Suae contigit, cum Fidei Promotor Benedicto XIII. Pontifice Canonizationum, quae tunc factae fuerunt, res administravit. Verum Pontifex cum perspectam haberet, non modo vigilantiam, verum etiam prudentiam R. P. D. Theodori Boccapaduli, quem sibi a secretis eleemosynis esse jam pridem jusserat, ipsi prae omnibus tale negotium commisit nuncio misso per Epistolam Secretariae Status.

Eo ferme tempore admoniti RR. PP. Causarum Postulatores fuere tam de hujusmodi electione, quam de die 29. Junii anni proxime futuri, quem utpote SS. Petri et Pauli Apostolorum martyrio consecratum, ad Canonizationem peragendam Pontifex destinaverat. Moliri statim illi summo studio quid quid aut excogitari elegantius, aut artificio effici magnificentius poterat, et conferre consilia inter se coeperunt; atque ut pro sua quisque parte quid curaturi essent, unanimi consensione deliberarent, primum semel in hebdomada, deinde singulis quindecim diebus Pontificio jussu conveniebant apud Reverendissimum P. Thomam Ripoll Generalem Ordinis Praedicatorum Magistrum et in Causa beatae Catharinae de Ricciis Postulatorem, Virum cum multo rerum usu praestantem, tum etiam nonagenarium. Ea, quae rata ipsis erant, Sanctitati Suae continuo significabantur; cum districte praecepisset Pontifex, ne quid inconsulto Se fieret, et non probante.

Haec cum ita compararentur, vergebat in finem annus; bellicus autem furor, qui Europam, atque adeo nostram etiam Italiam quadriennio amplius afflixerat, non jam, ut optabatur, conquiescere, sed magis augeri videbatur. Conclamabat (a) Pontifex una cum Populo ad Deum, ut (b) fieret Pax in virtute sua et miseratione, placatus (c) indignationem suam averteret a nobis. Cum in his tamen versaremur angustiis, multaque timeremus, quae jam impendebant (d); Pater misericordiarum et Deus totius consolationis (e), qui nos neque jucunditates neque tribulationes sinit habere continuas; sed ita ex (f) adversis et prosperis, mortalium vitam contexit, ut maestis rebus quaedam etiam jucunda permisceat, consolatus est nos laetissimo nuncio, qui Septembri mense allatus Romam est, Franciscum nempe I. Lotharingiae et Vargionum Ducem, atque magnum Ducem Hetruriae, Francofurti electum Romanorum Regem et Imperatorem futurum.

Rem tantam et munus e Caelo datum, ut Sacro Apostolico Senatui significaret Pontifex, Consistorio secreto in diem 15. Decembris indicto, ante Ecclesiarum in eo propositionem Germanicorum Comitiorum eventum diserto narravit alloquio, acceptasque ab electo Romanorum Rege literas coram adstantibus S. R. E. Cardinalibus, a D. Cajetano

(a) *Josue cap. 6. versu 5.*
(b) *Psalmo 121. versu 6.*
(c) *Psalmo 84. v. 4.*
(d) *2. ad Corinth. cap. 1. v. 3.*
(e) *S. Jo. Chrisost. Homil. 8. in Matth.*
(f) *Ibid.*

Amato Litterarum Apostolicarum ad Principes Secretario consueta Cubiculariorum Cappa induto recitari voluit; ad gratias praeterea Deo agendas pro tanto beneficio sequentem Feriam quintam destinavit.

Postero itaque die, cum per impressam schedulam admoniti fuissent Eminentissimi Patres et omnes Praelatorum ordines; frequens, ut in maxima laetitia, etiam populus Pontificium in Quirinali Sacellum complevit. Rem Divinam in gratiarum actionem peregit Eminentissimus Passioneus Brevium a Secretis. Adfuit Papa sacris pretiosis vestibus indutus: Rubeis quoque Cappis supra vestes similiter rubeis, licet id fieri non consueverit Adventus tempore, circumamicti interfuere Cardinales. Urbs tota cum privatim tum publice in magna laetitia biduo versata est.

INTIMATIO

Per Cursores facienda, Domi quoque dimissa copia.

Die decima sexta *labentis Mensis Decembris, feria quinta, in Sacello Paulino Palatii Apostolici Quirinalis* hora decima septima *erit Cappella, in qua adstante Sanctissimo D. N. BENEDICTO PP. XIV. Missam cantabit in gratiarum actionem pro Electione Regis Romanorum Eminentissimus, et Reverendissimus D. Card. Passionei.*

Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales intererunt induti Vestibus, et Cappis rubeis, *quo colore per integram enunciatam diem utentur.*

De sero autem feriae quartae praecedentis, nempe die 15 *ejusdem mensis, et sub nocte pariter hujus diei luminaria ad fenestras accendi, et ante propria Palatia dolia comburi in laetitiae signum mandabunt.*

Ideo intimentur omnes et singuli Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales, Gubernator Urbis, Principes Solii, celerique intimari soliti.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

Transactis subinde Natalitiis Domini feriis, Paschalibusque Sacramentis consummatis intelligens Pontifex, Episcopos a suarum Dioecesium procuratione expeditiores jam esse, ut tam grave Canonizationis negotium consilio juvarent suo, ejusque Majestatem augerent praesentia, eos, qui intra centesimum ab Urbe lapidem erant, datis confestim litteris acciri jussit a Secretario Congregationis Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, qui eodem prorsus exemplo singulis ita scripsit.

Illustriss., et Reverend. D. P. Observandiss.

Mandatum, quod SANCTITAS SUA mihi dedit, ad Ampl. Tuam Ill. harum litterarum officio persequor, ut, cum primis Mensis Junii diebus quinque consistoria Semipublica habenda sint, priusquam in Sanctorum Album solemni Ecclesiae ritu totidem Beati a SANCTITATE SUA referantur FIDELIS a SIGMARINGA, CAMILLUS de LELLIS, PETRUS REGALATUS, JOSEPH a LEONISSA, et CATHARINA de RICCIIS, Urbem postremis Mensis Maji diebus accedas, nisi gravissimae Pastoralis officii curae praesentiam istic tuam desiderent. Te interim reliquum mihi est admonere gratissimum et acceptissimum SANCTITATI SUÆ futurum, si statuto tempore praesto fueris, atque hanc Ecclesiae celebritatem Ampl. Tuae Ill., cujus manus reverenter deosculor, dignitate honestaveris.


Ampl. Tuae Illustrissimae, ac Reverendissimae.

Romae Idibus Aprilis 1746.

Addictiss. et Obsequentiss. Servus
Joseph Furietti S. Concilii Secret.

Quod ad alios Antistites pertinet, qui longius aberant ab Urbe, aperte significaverat Pontifex, si Romam per id tempus venissent, eorum accessum loco statutae a Constitutionibus Pontificiis sacrorum Liminum Visitationis se habiturum; quod Pontificis consilium ac placitum ubi cognitum iis fuit, qui Romae Episcoporum res agunt, suum unusquisque

Ichnographia Aulae Consistorii Secreti in Palatio Quirinali



1. *Sedes Pontificia.*
2. *Consueta Cardinalium Diaconorum Assistentium scabella ad ornatum tantum.*
3. *Sedilia Cardinalium.*
4. *Sedile vacans ad claudendum Tetragonum.*
5. *Similia ad arcendum Populum.*
6. *Aliud pro sustinen libro Taxarum ac tintinnabulo.*
7. *Lignea vestibula ad intima Cubicula Papae (Vulgo Bussole)*
8. *Ianue ab Aula Parafrenariorum.*
9. *Fenestrae versus Atrium Quirinale.*
10. *Aliae versus Viridarium.*
11. *Infiomibulum.*

Praesulem statim commonuit, ut oblatam Pastoralis Officii debitum persolvendi, et celebritatis, quae raro accidit, spectandae opportunitatem ne dimitterent: Ex quo factum est, ut nonnulli Orientales etiam Episcopi interventu suo Canonizationem honestaverint. Interim visum est Sanctissimo Patri, Consistorium secretum habere, in quo juxta Ritus rationem a majoribus acceptam, Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus, vel antiquior in ipsa Congregatione causa adlegendorum inter Cœlites contracta debuisset oratione proponere, ut de auditis Pontifice mox quaerente sententiam suam dicere quisque ex Cardinalibus posset; praefatum tamen onus causarum referendarum eo die Suamet Sanctitas summo labore suscepit. Ejusmodi erat instructio, singulis Eminentissimis Patribus jussu Pontificis opportune per Cursores transmissa.

Eminentissime, et Reverendissime Domine.

In proximo consistorio Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PAPA XIV. methodica, ac compendiosa narratione referet Vitam, Virtutes, et miracula Beatorum FIDELIS a SIGMARINGA Martyris, Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci, CAMILLI de LELLIS Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris, PETRI REGALATI Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, JOSEPHI a LEONISSA pariter Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci Confessorum; et tandem CATHARINÆ de RICCIIS Ordinis Praedicatorum Virginis; necnon Acta in Causa Beatificationis et Canonizationis eorumdem; quae Sacrorum Rituum Congregatio praevio rigoroso examine admisit et approbavit. Quibus expletis idem Sanctissimus Dominus Noster Fratrum suffragia exquiret: An scilicet deveniendum sit ad solemnem eorumdem Beatorum Canonizationem: Et singuli Cardinales per verbum PLACET, vel NON PLACET, sententias aperient, prout ad Dei gloriam et Catholicae Ecclesiae decus magis eis expedire videbitur.

De Mandato Sanctissimi Domini nostri Papae.
Ignatius Reali Apost. Caerem Praef.

Feria igitur secunda post octavam Paschatis die 18. mensis Aprilis constitere in consueta Palatii Apostolici Quirinalis Aula Summus Pontifex et Cardinales deliberaturi super gravissimo Canonizationis negotio. Omitto descriptionem tam loci, quam caeremoniarum hujus Consistorii; quod et in reliquis faciam, de quibus loquar, nisi peculiare in iis aliquid acciderit, et notatu dignum, cum satis diserte atque subtiliter de iis omnibus pertractaverit Clarissimus Vir Justinianus Chiapponus Apostolicae Sedis Caeremoniarius in Actis Canonizationis Sanctorum Pii V. Pontificis Maximi, Andreae Avellini, Felicis a Cantalicio, et Catharinae de Bononia a san. mem. Clemente XI. anno sui Pontificatu et seculi hujus duodecimo habitae.

Post privata cum Sanctissimo Cardinalium colloquia (bis enim unice fas est tempore Consistorii accedere ad alloquendum Pontificem) dimisso Populo clausum fuit de more Consistorialis Aulae Ostium. Tunc primum omnium Cardinali Paulutio, qui ante paucos dies redux in Urbem, licet in Consistorio publico fuisset exceptus, et in eo Galero rubro Pontificali donatus, nulli tamen adhuc secreto interfuerat Consistorio, interdixit Sanctitas Sua, ne sententiam diceret in Consistoriis aut Consiliis, quae ab aliis Cardinalibus haberentur, quousque juxta consuetum Pontifex ei os aperiret. Porro hoc vinculo, quod Liber Caeremonialis *Claudere os* appellat, olim adstringebantur novi Cardinales ad secundum usque vel tertium Consistorium. Cum vero Papa eis os vellet aperire, exibant hi ab Aula, donec a Pontifice aliorum Cardinalium auditis super praefati vinculi solutione suffragiis, iisque consentientibus, in Aulam revocarentur. Tum Pontifex eos stantes gravibus verbis instruebat, qua prudentia modestia et humanitate in omnibus consiliis et judiciis se gerere deberent, in quibus sententiae in posterum dicendae potestas ipsis dabatur. Modo vero praetermissa suffragiorum petitione atque hortatione assolent Pontifices in eodem ut plurimum Consistorio claudere ac aperire os novis Cardinalibus. Ore igitur Cardinali ita clauso, hanc habuit orationem Sanctitas Sua; antequam ad ea veniret, quae de singulis Canonizandorum causis erat dicturus.

VENERABILES FRATRES. Septuagesimum secundum hujus vitae mortalis annum inivimus, illudque affirmare jure possumus annos quinquaginta contulisse, exiguo licet cum fructu, studiis Ecclesiasticis excolendis, atque iis praesertim, quae ad Beatificationem Servorum Dei, ac Beatorum Canonizationem pertinent. Cum enim forensibus studiis operam dare statuissemus, factum est, ut Alexander Caprara tunc temporis Rotae Romanae Auditor, ac deinde Cardinalis, illius Tribunal Secretum, ut ajunt, Nobis communicaret. Cum vero ille pariter inter Consultores Congregationis Sacrorum Rituum fuisset adscriptus, coepimus accurate legere scripta exhibita a Postulatoribus, atque animadversiones Promotoris Fidei; et alia quoque pro his studiis adjumenta consequuti sumus ex domesticis colloquiis, quae idem Praesul Caprara nobiscum interserebat.

Deinde a Clemente XI. felicis recordationis inter Consistoriales Advocatos recensiti, ipsius Pontificis jussu duas causas Canonizationum promovendas suscepimus, nempe Beatae Catharinae Bononiensis, ac Beati Pii V., quae sub eodem Clementis XI. Pontificatu ad finem solemnis Canonizationis perductae fuerunt: praeter has Causas, aliis quoque multis tum Beatificationis, tum Canonizationis operam nostram ac patrocinium impendimus, quas hoc loco recensere supervacaneum ducimus; et quae non pauca neque exigua sane volumina, si colligerentur, efficerent.

Post haec Promotoris Fidei perhonorificum munus ab eodem Clemente XI. Nobis demandatum fuit, quod per viginti et amplius annos, videlicet, cum idem Clemens XI., ac deinde Innocentius XIII., ac Benedictus XIII. Sedem Apostolicam tenuerunt, pro imbecillitate nostrarum virium, quam diligentissime obire curavimus. Illud pro certo adfirmare posse videmur, gravissimas laboris partes Nobis ipsis semper desumpsisse; nec satis existimasse studium ad ea negotia dumtaxat necessarium, quae proponebantur, expedienda, sed Acta universa Congregationis Sacrorum Rituum penitus inspexisse; ipsius Tabularium et monumenta omnia, quae ad rem facere possent, ita pervolvisse, ut ea quoque adnotaremus, quae Nobis opportuna fore videbantur. Illud pariter asserere possumus, eas omnes Beatificationes et Canonizationes, quae vel a Clemente XI., vel a Benedicto XIII. solemniter indictae sunt, nostris laboribus, nostrisque vigiliis ante dispositas ac peractas fuisse. Porro si idipsum Nobis tribueremus de illis Canonizationibus, quas deinde Clemens XII. peregit, nihil a veritate alienum diceremus. Nam in Causis ejusmodi, quae tunc temporis absolutae sunt, non modo earum initia instituta atque expedita, sed etiam praecipuae quaestiones in examen adductae ac solutae fuerunt, cum adhuc Nos ipsi munere Promotoris Fidei fungeremur.

Postea Benedicti XIII. singulari beneficentia in Cardinalium Collegium cooptati fuimus, atque inter Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum adnumerati. Quapropter eo, licet exiguo temporis spatio, quo tunc Romae per-

mansimus, Congregationibus interesse non praetermisimus, ac sententiam nostram, qualiscumque fuerit, libere proferre. Paulo post ad regendam Anconitanam Ecclesiam, ac deinde Bononiensem delecti fuimus, in quibus administrandis duodecim annos insumpsimus: Tum, licet Pastoralis officii sollicitudo Nos plurimum occupatos tenuerit, tamen rationem temporis ita habuimus, et nocturnae corporis quieti aliquas horas ita subtraximus, ut Nobis contigerit, praeter plura, quae in lucem emisimus, simul etiam colligere, disponere, ac sedulo perpendere pene innumeras adnotationes, quas olim congessimus, cum Fidei Promotorem ageremus: Insuper plura superaddere, quae ad explicanda Miracula conferre maxime possunt, cui rei gerendae ac perficiendae magno adjumento Nobis fuit copia librorum tum antiquorum tum recentium, qui ad Physicam ac Medicinam pertinebant; tum praesertim consilia praestantium Doctorum, quos Bononiae deprehendimus. Quamobrem de Beatificatione Servorum Dei, ac Beatorum Canonizatione quatuor Volumina composuimus, quae in lucem edita fuerunt.

Postremo ad Summum Pontificatum, licet immerentes, evecti, cum facillimum sit inventis addere, plura additamenta non parvi momenti ac pretii fecimus iisdem Commentariis, quae magis accurate copioseque lucem publicam secundo adspexerunt. Ad Congregationes Sacrorum Rituum, quae coram Nobis frequenter habitae sunt, convenimus, in quibus non modo sententiam nostram exposuimus, sed ejus quoque rationem palam indicavimus. In qualibet proposita Causa decrevimus ea, quae magis opportuna judicavimus; alia quoque Decreta promulgavimus ad rectum examen hujusmodi Causarum, earumque solutionem instituendam. Tandem aliquos Dei Famulos consueto Ritu inter Beatos adnumeravimus.

Ut ergo nihil deesse Nobis in hac re videretur, illud tantum supererat, ut Beatorum Canonizationem perageremus. Ad quam obeundam haud satis erant, quae hactenus diximus; neque enim a Nobis commemorata sunt ob aliam causam, nisi ut quoddam voluntatis nostrae studium ad ejusmodi Canonizationem suscipiendam ostenderemus, quod tamen parum aut nihil omnino conferre non ignoramus, nisi cetera merita ac requisitae conditiones pariter intercedant. Attamen in eo tota res sita est, quod post accuratum diuturnumque examen plurium annorum, judicium quinque Causarum Canonizationis absolutum jam fuerit a Congregatione Sacrorum Rituum. Accedit, quod ejusdem Congregationis consilio jam pronunciavimus Decretum, nempe: Posse quamlibet ex iisdem Causis ad solemnem Canonizationem deduci. Quamquam illud Decretum ejusmodi negotium minime absolvat, neque ipsi finem imponat; eo quod Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, antequam Sententiam ultimam proferamus, intelligere volumus in hoc Secreto Consistorio consilium vestrum, utrum Canonizationem hoc tempore statuendam judicetis; ac deinde exposcere rursum a Vobis consilium et ab Episcopis, qui ad Consistorium semipublicum

convenient, utrum nempe in supradictis Causis quaestiones omnes ita examinatas, et solutas existimetis, ut Sententiam vestram Sententiae Congregationis Sacrorum Rituum accommodare posse arbitremini. Sed ne temere et inconsulto deliberetis, servato a Praedecessoribus nostris more Vobis exponemus, quae diligenter accurateque peracta sunt in his Causis Beatorum examinandis; et deinde meritum singularum intrinsecum compendio solum attingemus.

Ut autem initium sumamus ab iis, quae gesta sunt in examinandis his quinque Causis Beatorum, de quibus res agitur, nulla est ex ipsis, pro qua examinanda plusquam centum viginti anni non fuerint insumpti; initium hujus temporis haud statuendo a die, quo hi Beati vitam hanc mortalem absolverunt, neque a tempore, quo Locorum Ordinarii sua auctoritate ipsorum Beatorum Acta conficere coeperunt; sed ab eo solum tempore, quo Sedes Apostolica concessit, ut ejusmodi Causae coram se instituerentur. Equidem non ignoratis in veteri consuetudine ac more positum fuisse, ut hae Causae Romanae Rotae Auditoribus committerentur, qui deinde post accuratum examen rem totam exponebant, suffragium consultivum ferebant, ac postremo ad Congregationem Sacrorum Rituum omnia rursum examinanda deferebantur. Duae nostrorum Beatorum Causae, quae modo afferuntur, propositae jam fuerunt eo tempore, cum vetus consuetudo, quam paulo ante memoravimus, obtineret; eaque ratione pertractatae sunt, quam superius indicavimus. Cum deinde immutata ea consuetudine, Romae Rotae Auditores in Congregationem Sacrorum Rituum, tanquam ipsius membra, recensiti fuissent; in tribus reliquis Beatorum Causis quaestiones praecipuae ac necessariae ad examen ac trutinam revocatae sunt in iis Coetibus, qui ad expendendas singulas ex allatis quaestionibus ter convocari et haberi consueverunt. Si ex his quinque Causis unam solummodo excipiatis, cujus Nos ipsi Beatificationem peregimus, quatuor reliquae cultum publicum jampridem obtinuerant a Nostris Praedecessoribus constitutum. Quamobrem nostram operam potissimum contulimus ad expendenda Miracula, quae post Beatificationem contigerunt, et quae a sacris Legibus requiruntur tanquam indicium quoddam caeleste Divinae voluntatis, ut cultus permissivus ac peculiaris cultu universali ac praeceptivo commutetur. Illud testari merito possumus nihil a Nobis praetermissum fuisse, ut accuratissimum examen fieret, quoniam non ignoramus nullum studium nullamque diligentiam esse in hac re supervacaneam. Illud quoque fatemur nullam a Nobis in his Causis agendis dispensationem aut immunitatem a consuetis Legibus esse concessam, nostrumque privatum studium pro qualibet Causa sedula impendisse. Praeterea Deum vehementer exoravimus, ut lumen suum Nobis impertiretur, quo magis perspecta Nobis forent aliqua facta, quae suffragium ferentes in Congregationibus manifesta satis putaverant; denique priusquam animum nostrum determinaremus, nonnullis mandavimus, ut occulta diligentia res propositas scrutarentur ac plane dignoscerent, quorum postea documenta Nobis reddita, deponi jussimus in Tabulario Congregationis Sacrorum Rituum, ubi tuto servarentur.

Post haec (ut ordinem initio propositum teneamus) verba facienda essent a Nobis de meritis cujuslibet Causae. Verum institutam Orationem parumper suspendimus, ut eam tamen ordine jam constituto deinde prosequamur, videlicet postquam apertum erit os Cardinalis, cui clausum fuit initio Consistorii, ut suffragium quoque suum in rem propositam ferat, et postquam alia praesentia negotia absoluta fuerint. Porro haec sermonis interruptio Vos levabit ea molestia, quam pati deberetis, si perpetua oratione uteremur; et Nobis etiam paulum temporis concedet, ut libere respiremus.

Absolutis Ecclesiarum Propositionibus, os Cardinali Paulutio apertum est a Papa, qui conversus ad eum, tunc in loco suo stantem, dixit. *Aperimus tibi os etc.*

Deinde subdit interceptam resumens Causarum relationem.

PERACTIS jam negotiis, quae absolvenda supererant, Orationem nostram, Venerabiles Fratres, prosequimur: et breviter quidem complectemur merita, quae insunt Causis quinque Beatorum. Primum locum obtinet Causa beati Fidelis a Sigmaringa Svevi ex Ordine Fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum. Nemo ignorat praeclare gesta a Leopoldo Austriae Archiduce et Comite Tyrolensi, qui magno cum exercitu Rhaetiam Superiorem invadens initio praeteriti saeculi. gente illa pervicaci in suam ditionem redacta, Ministros Calvinianos ab illis Vallibus expulit, qui non modo pravam doctrinam in ipsis locis disseminaverant, sed miseros populos, et sua jam labe infectos adversus Romanam Ecclesiam incendebant, et perniciosis consiliis incitabant, ut a legitimis Principibus facta conspiratione deficerent.

Tum Joannes Fulvius Cariae Episcopus, qui Haereticorum furore ac violentia extorris et ejectus incredibili moerore conficiebatur, eo quod Ministri Zuingliani, et Calviniani spatio duorum annorum quadraginta duas Parochias eidem usurpaverant, Leopoldum Victorem induxit, ut ad Paulum V. Praedecessorem nostrum confugeret, eumque vehementer rogaret, ut Capuccinos in Rhaetiam mitteret, qui sacras Missiones susciperent, ex quibus fructus non exiguos sanctae Religioni futuros sperabat.

Pontifex Leopoldo morem gessit libentissime, ac tum sacrae Missiones in Rhaetia initium habuerunt, quae deinde magis confirmatae atque amplificatae sunt, cum post obitum Pauli V. Gregorius XV. Sedem Apostolicam obtinuit: Tunc enim bene constituta Sacra Congregatione de Propaganda Fide, ipsius consilio, quae viros idoneos a Nuntio Apostolico et ab Episcopo Cariae satis cognoverat, Fratres Capuccini ad eas Missiones obeundas delecti fuerunt, et illarum Praefectus beatus Fidelis a Sigmaringa nominatus, qui magnam sibi famam ob virtutem et zelum Apostolicum jam sibi comparaverat Cum ejusmodi munere fungeretur, vitam hic Beatus absolvit interfectus ab Haereticis in odium Fidei Catholicae, et hoc pacto illustrem Martyrii palmam est consequutus. Signa et Miracula accesserunt severe discussa, et concordibus suffragiis approba-

ta Placet ne igitur Vobis, ut ad solemnem hujus Beati Martyris Canonizationem juxta consuetum hujus Sedis Apostolicae morem procedamus?

Hic Cardinales responderunt omnes: PLACET: deinde Sanctitas Sua:

Secundo loco ponitur Causa beati Camilli de Lellis, qui Bochianici in Aprutio, loco honesto natus est. Cujus quidem juventus non fuit vacua et immunis ab iis cupiditatibus ac vitiis, quibus implicari juvenes consueverunt. Attamen tali poenitentia ductus est, suasque labes per plures annos usque ad ultimum vitae spiritum tanta severitate expiavit, ut praeclaram Sanctitatis opinionem sibi demeruerit, eamque laetitiam in Caelis excitaverit, qua gestire solent Angeli super uno peccatore poenitentiam agente, quae longe superat eam voluptatem, quam concipiunt iidem beati Spiritus, cum in Caelis coronari vident alios plures, qui poenitentia nunquam indiguerunt; eo quod vitae innocentiam, ac morum sanctitatem nunquam violaverint.

Nonnulli ex Theologis ac Patribus non solum Martyres appellant eos, qui ab Haereticis vel Infidelibus in odium Christianae Fidei aut Catholicae Religionis vita spoliantur, sed illos pariter tanquam Martyres agnoscunt, qui semper in Dei famulatu et proximorum salute procuranda ita occupantur, ut assiduo charitatis opera praestent non quidem ordinaria, sed difficilia, et heroica, in quibus constanter versantur, donec ad extremum vitae diem perveniant; ideoque charitatis Martyres nuncupantur.

De hac opinione Nos verba fecimus in Libris nostris DE CANONIZATIONE, eamque minime probavimus, eo quod Orationi Panegyricae potius, quam Theologorum Cathedrae consentaneam judicavimus. Illos haud Martyres, sed Confessores nominandos asseruimus, cum in eorum morte nullus appareat tyrannus, qui illos in odium Fidei violenter interficiat. Quod si contrariam sententiam sequuti fuissemus, nullum sane exemplum praestantius inveniri potuisset ad Martyres ejusmodi charitatis declarandos, quam vita, ac mores, quibus beatus Camillus de Lellis commendatur.

Siquidem Nosocomia hujus Urbis, quae INCURABILIUM, ET SANCTI SPIRITUS appellantur, comparari possunt quibusdam veluti theatris, in quibus Camillus per plures annos charitatem suam exercuit, operam suam assiduo praebens Infirmis, ut illos corporis aegritudine atque animi morbis sublevaret. Febres pestiferae, quae hanc ipsam Urbem ac Sedem Quirinalem invaserant, et universis, quos semel corripuerant, mortem inferebant, latissimum campum aperuerunt Camillo ejusque Sociis Regularibus ad pios Cives inflammandos hortandosque, ut cibis atque opportunis pharmacis aegrotantes recrearet, omnemque diligentiam impenderent, ut a mortis faucibus eriperent hominum multitudinem, qui ad eam calamitatem pervenerant, ut eodem lectulo vir cum uxore sua ac liberis jaceret, necessario alimento et consolatione destituti omnes, quos interea febris, egestas, rerum omnium necessitas, ac fames supra modum vexabant.

Post hanc calamitatem et stragem, incredibilis illa annonae caritas subsequuta est, ob quam Romae ejusque districtu septuaginta millia hominum fame ac frigore enecti perierunt. Horrendum sane spectaculum! In compitis ipsius Urbis, in macellis et Officinis fame debilitati Cives animam exhalabant, alii vero jam vita defuncti virentes herbas, quas ad famem sedandam decerpserant, adhuc dentibus premebant; Quare tum patuit maxime charitatis incendium, quo Camilli pectus exardebat: Plura omittimus ad rem explicandam, quae in Actis ipsius Beati descripta continentur. Illud solum indicabimus, tunc temporis magnam aegrotantium multitudinem in Nosocomium sancti Sixti coactam fuisse, ex qua spatio paucorum dierum tria millia morbo confecta sunt. Pontifex beato Camillo potestatem tribuit illius Nosocomii administrandi in iis omnibus, quae ad salutem corporum et animarum pertinerent. Itaque, ut huic muneri satisfaceret, in Ædes sancti Sixti ille se contulit cum octo Sociis, ex quibus ob incredibiles labores et incommoda quinque vitam amiserunt; Camillus autem immunis ab eo discrimine ac liber evasit singulari Dei beneficio, ut majora deinde pro utilitate proximi aggrederetur, inter quae recenseri merito debet Institutio Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quam ipse statuit ac propagavit in varias Orbis terrae partes, et quae magis in dies amplificatur cum maximo aegrotantium et morientium fructu, qui in ultima vitae hujus periodo constituti, illorum praesidio sanctisque monitis corroborati ad immortalem vitam proficiscuntur. Hujus Beati intercessione Deus Miracula operari dignatus est, post longum et maturum examen concordibus suffragiis approbata. Videtur ne itaque Vobis expedire, ut ad hujus quoque Beati Canonizationem solemni ritu deveniamus?

Rursus Cardinales hoc loco responderunt: PLACET: Et Sanctitas Sua institutum sermonem prosequuta est.

Tertio loco exhibetur Causa Beati Petri Regalati minoris Observantiae sancti Francisci, natione Hispani, qui Valdoleti natus est. Annales Fratrum Minorum tradunt a Gregorio XI. Pontifice designatos fuisse aliquos Commissarios Apostolicos, seu Visitatores, qui eum Ordinem in Hispania reformarent, cujus institutum ac disciplina, pristina severitate dimissa, plurimum collapsa fuerat, quemadmodum Apostolica Sedes intellexerat. Ferunt, quemdam nomine Petrum Villacretium inter Fratres Minores virum sanctitate vitae praestantem, inde excitatum fuisse, ut reformationem Regularis Observantiae sancti Francisci primus inchoaret. Sacra Ædicula inter oppida Tendillae ac Penalverii sita erat, beatissimae Virgini Mariae nuncupata, quae ad Equites Melitenses jure pertinebat. Porro sanctam Mariam Saliceti ipsam vocabant ex eo, quod beatissima Virgo quibusdam Venatoribus ipsius nomen et opem implorantibus eo loco apparuerat, cum illi inter densissimas pluvias, fulminum ignibus perterriti, via penitus aberrassent. Itaque, cum primum super salices altare fuisset

extructum, inde sanctae Mariae Saliceti nomen inditum est. Huic Ædiculae Petrus Villacretius exiguum tugurium conjunxit, ubi cum suis Sociis habitaret. Illud autem spatio temporis in magnificum aedificium commutatum fuit, in quo perfecti Regulares vitam duxerunt. In eo ipso loco vir praeclarissimus Cardinalis Franciscus Ximenes christianae perfectionis spiritum suscepit, ex quo tandem accitus fuit, ut Elisabeth Hispaniarum Reginae Confessiones exciperet.

Petrus Villacretius pietatem beati Petri Regalati cognitam et perspectam habebat; quippe adolescentiam innocenter traduxerat, et cum Fratrum Minorum Instituto vix decennis nomen dedisset, anno aetatis decimo quarto (quod tum licebat) solemnem Professionem emiserat. Inter cetera Monasteria, quae a Villacretio condita fuerunt, permittente Oxomensi Episcopo, illud prope Aquileram adnumeratur, in quo Petrus Villacretius, ac beatus Petrus Regalatus longe ab hominum consortio sanctissimam et asperrimam vitam aliquo temporis spatio simul duxerunt. Quamvis autem curarent diligentissime, ut ejusmodi vitae ratio in tenebris omnino delitesceret, tamen in finitimas Civitates evulgari coepit, ex quibus aliqui visendi solum studio, alii vero ut permanerent in ea solitudine, ad Monasterium confluebant; et hoc pacto Reformatio in Hispania mirum in modum propagata est.

Qua de re Villacretius praeclarum opus, initamque viam insistere majori studio constituit, ut nova conderet Monasteria, ac vetusta in meliorem formam redigeret. Itaque Domum Aquilerae Regalato commendavit, cujus virtutem longo jam temporis experimento probaverat. In eo loco Regalatus reliquis annis quibus vixit, ad supremum sanctitatis apicem pervenit. Illic Reformationem institutam suis exemplis, prudentique administratione sartam tectam retinuit, ita ut quamvis novi Ordinis Fundator aut Reformationis Institutor appellari nequeat, tamen ad illam statuendam maximum adjumentum attulisse, potentissimumque praesidium fuisse nemo inficiabitur. Illic etiam toto vitae suae cursu Theologales et Cardinales Virtutes modo sublimi ac singulari exercuit. Universos in admirationem sui pertraxit ob animi humilitatem, vitae asperitatem, ac jejunia, quibus corpus suum magnopere excruciavit. Quae merita si desint, ad Beatorum Canonizationem Ecclesia nunquam adducitur. Illic etiam donis Ecstasis ac Prophetiae cumulatus a Deo fuit, ac postremo feliciter hac mortali vita decessit, eamque sanctitatis famam reliquit, ut diuturnitate temporis imminui nunquam potuerit. Miraculis claruit tum in vita, tum post obitum, eademque trutinae subjecta approbari meruerunt. Placet ne igitur Vobis, ut ad solemnem hujus Beati Canonizationem juxta Ecclesiae institutum procedamus?

PLACET, iterum dixerunt hoc loco Cardinales, ad quos deinde Sanctitas Sua:

Quarto loco venit Causa beati Josephi a Leonissa, quod Oppidum in Aprutio positum est. Ipse pariter Ordini Fratrum Capuccinorum nomen dedit, et

Sanctum Franciscum Parentem suum plane imitatus est. Etenim si sanctus Franciscus martyrii cupiditate inflammatus navigationem in Syriam suscepit, etiam beatus Joseph ob eandem causam Constantinopolim se contulit, ubi Christifidelibus opitularetur, qui misera servitute tenebantur gravissimoque periculo, ne ob incommoda et aerumnas a Christiana Religione deficerent. A Soldano Rege Ægypti sanctus Franciscus magnis officiis et humanitate exceptus, omnem martyrio interclusum aditum cum vidisset, in Italiam remeavit, atque ita desiderii martyrium obtinuit. Beatus Joseph eodem ardore succensus interiora cubicula et penetralia Imperatoris Turcarum adire non dubitavit, ratus, eos populos universos facili negotio ad Fidem Christianam traducendos, si ipsorum Imperator eandem Religionem primus susciperet. Sed captus ac detrusus in tenebrosum carcerem eo gravissimo supplicio mulctatus fuit, ut pedem dexterum et manum pariter dexteram ad ferrum uncum suspensus, capite totaque corporis mole ad terram penderet, donec fame ac dolore extenuatus vitam profunderet. Generosus Athleta Christi crudelissimum tormenti genus invicta animi constantia pertulit. At quoniam Joseph Dei Beneficio vitam adhuc trahebat, atque inter acerbissimum cruciatum annuntiare Fidem Christianam haud omittebat, ideo Satellites consilium inierunt sub illo ignem excitandi, ut fumus obstrictis faucibus spiritum illi praecluderet, aut saltem a praedicanda Sancta Religione impediret.

Tres continuos dies in eo cruciatu fortiter permansit, ex quo divino potius quam humano praesidio liberatus fuit, ita ut Causa ipsius Beatificationis et Canonizationis (nisi ob gravissimas causas disciplina immutata fuisset) sub titulo Martyris, non autem Confessoris proponi posse videretur. Nemo enim, qui in his studiis paululum versatus sit, ignorat, pristina temporum consuetudine appellari consuevisse Martyres etiam illos, qui post acerba tormenta, quorum vi mortem subire juxta naturae conditionem debuerant, admirabilem in modum superstites evaserant: Attamen hoc tempore (quemadmodum unicuique cognitum perspectumque est) Martyr haud nuncupatur, nisi qui in ferendis cruciatibus aut vi tormentorum vitam amiserit.

Joseph ope divina vindicatus ab eo discrimine, quod superius exposuimus, in Italiam rediit, et reliquum vitae spatium in locis Patriae suae finitimis traduxit, ubi Ruricolas et Egenos sacris concionibus imbuens, mirum dictu est, quam copiosos fructus collegerit. Mysteria Fidei ac Religionis illis explicabat, et vineam Domini indefesso studio ita excolebat, ut nullos labores, nulla pericula, nulla incommoda vitanda unquam judicaverit. Evangelica consilia juxta sui Ordinis praecepta atque instituta diligentissime servavit; qua in re si defuisset aliquid, Causa beati Josephi in medio cursu constitisset. Etenim certum statutumque est, ut in Causis Servorum Dei, qui Regularium Ordinibus adscripti fuerunt, praeter cetera illud potissimum examinetur, an sui Ordinis praescriptas leges accurate observaverint. Postremo beatus Joseph

meritis cumulatus, et corporis sui vinculis dissolutus in Caelum evolavit, quo tempore ea signa contigerunt, quibus Deus pretiosam justorum mortem prosequi ac declarare consuevit. Miracula quoque subsequuta sunt plene discussa et approbata. Placet ne igitur Vobis, ut ad hujus Beati Canonizationem rite procedamus?

Hic quoque Cardinales dixerunt, PLACET, quibus inde Sanctissimus Dominus Noster haec alia deliberanda proposuit:

Quintum ac ultimum locum tenet Causa beatae Catharinae de Ricciis ex Ordine Dominicano de Ecclesia adeo benemerito tum ob viros tum ob mulieres gloria Sanctitatis celeberrimas, quae eundem Ordinem illustrarunt. Satis sit hoc loco recensere Catharinam Senensem, Rosam Limanam, Agnetem ex Urbe Montispolitiani, quae solemni Canonizationis ritu in numerum Sanctarum relatae fuerunt; reliquas plures omittimus, quae ob rationem cultus immemorabilis obtinent cultum Sedis Apostolicae auctoritate comprobatum.

Florentiae nata est Catharina ex nobili genere Parentes habuit Petrum Franciscum de Ricciis, et Catharinam de Panzano. Ab ineunte adolescentia futurae Sanctitatis indicia non obscura praebuit. Pratum Hetruriae Civitatem adducta (quo Parentes rusticationis gratia se contulerant) et ingressa Domum Monialium sancti Vincentii, eodem momento temporis constituit in eo loco vitae suae cursum exigere, quamvis id ingratum molestumque Parentibus esset, qui illam nuptui dare proposuerant.

Tantam Sanctitatis famam brevi assequuta est ob dona praecipue caelestia, quibus plerumque Deus animas sibi devinctas et charissimas exornare solet, nempe ob frequentes ecstases, mentis alienationes, vaticinia, cordium arcanas scrutationes, et hujusmodi divina munera, ut Praesides Ecclesiasticos excitaverit ad investigandum diligenter, utrum angelus tenebrarum (uti non semel accidit) Angeli Lucis speciem ad eam Virginem decipiendam assumpsisset. Omissa facimus experimenta, quibus tunc usi sunt Ordinis Dominicani Theologi et illius Monasterii Provinciales, ut omni erroris nube discussa veritatem agnoscerent, cujus certissima indicia deprehenderant; ideoque testati sunt ea Catharinae dona non Daemonum fraudibus, neque naturae portentis tribuenda, sed caelitus immissa ad ejus animam exornandam. Cardinalis Robertus Puccius Pistoriensis Episcopus jussu Pauli III. Pontificis Florentiam se contulit cum pluribus aliis Episcopis prudentiae doctrinaeque laude praestantibus, et post accuratum examen summopere probavit vitae Sanctitatem et caelestem donorum naturam et conditionem, quibus Catharina ab omnibus commendabatur. In eadem sententia fuerunt Cardinales Cervinus et Mediceus, qui deinde Summi Pontifices facti sunt, quorum primus Marcellus II., alter Leo XI. nuncupati fuerunt. Postremo accedit, quod in Causa sancti Philippi Nerii demonstratum est, ipsum quadam mentis alienatione divinitus immissa,

licet Romae versaretur, beatam Catharinam de Ricciis alloqutum fuisse; quae Prati in Hetruria morabatur, cujus heroicam vitae rationem plane cognoverat, eamque plurimi faciebat.

Haec caelestia dona plerumque Sanctitatem indicant, sed in illis Sanctitas minime continetur. Continua ferme rerum caelestium meditatio, profunda humilitas, vita victusque asperrimus, in observandis Ordinis sui legibus accuratissima diligentia, summa vigilantia atque studium, ut reliquae Sorores eandem virtutis semitam calcarent, hae fuerunt Catharinae dotes eximiae, haec ornamenta singularia. In examine hujus Causae compertum est, ipsam maxime excelluisse in assiduo illarum virtutum exercitio, quae ad illius conditionem atque statum pertinebant. Porro id satis est, cum in ejusmodi Causis totum examen ad eas virtutes redigendum sit, quas Canonizandus exercere potuit juxta vitae rationem, quam sibi delegerit. A Deo saepius illa postulavit, ut iis donis caelestibus, quibus tamdiu cumulata fuerat, spoliaretur; quod sane commendatur plurimum ab illis, qui pias animas ad perfectionem Christianam instituunt, nempe ut delectationi, et quandoque etiam vanitati aditus praecludatur. Itaque Catharina, quod vehementer expetierat, consequuta est; attamen opinio, quae de ipsius Sanctitate excitata fuerat, imminui nequaquam potuit, sed usque ad mortem constanter permansit, et etiam post mortem magis percrebuit. Catharina eo mortis genere decessit, quod ejus vitae Sanctitatem maxime decebat. Summa vitae austeritas et ciborum ratio, quos longo temporis spatio adhibuerat haec Virgo poenitentiae amantissima, mortalem ipsi aegritudinem attulerunt. Ad illam fortiter obeundam Catharina sanctis operibus se praeparavit: Acerbos dolores tulit patientissime: Ecclesiae Sacramentis summa pietate susceptis, ultima sive colloquia sive ad Deum precationes ardentissimi amoris plenas expressit: Sorores suas maxima benevolentia vivens prosequuta est, et ejusdem benevolentiae moriens argumenta manifesta praebuit iis sermonibus, quos postremo ad ipsas Sorores convertit. Nonnulla portenta ad ejus mortem contigerunt, ita ut si omnia simul expendantur, pretiosam in conspectu Domini Catharinae mortem fuisse nemo dubitare possit. Post obitum hujus Beatae intercessione ea prodigia facta sunt, quae vires naturae excedunt, quaeque idcirco communi calculo fuerunt Miraculis adscripta. Placet ne demum igitur Vobis, ut ad hujus Beatae Canonizationem juxta consuetum Apostolicae Sedis morem procedamus.

Item: Sibi PLACERE: responderunt omnes Cardinales, quos subinde alloquutus est Sanctissimus Dominus Noster hoc modo:

Praeclaram sententiam vestram intelleximus super his, quae a Vobis postulavimus. Quamobrem vestigiis et exemplis nostrorum Praedecessorum inhaerentes duo publica Consistoria indicemus, in quibus Consistorialis Aulae Advocati palam recensebunt vitae Sanctitatem ac Miracula singulorum ex Bea-

tis, qui solemni ritu inter Sanctos adscribendi sunt. Antequam autem conveniatis ad semipublica Consistoria, in quibus Vos omnes cum Episcopis, qui simul acciri debent, suffragium ferre debetis pro futura cujuslibet Beati Canonizatione in more positum est, ut unicuique consignetur vita cujuslibet Canonizandi, compendio digesta una cum virtutibus et Miraculis, et singulis Actis, quae pro eorumdem Causis confecta fuerunt. Quo tempore Clemens XI. felicis recordationis Beatorum Canonizationem celebravit, Nobis tunc temporis Fidei Promotorem agentibus praecepit, ut Causas Beatorum compendio describeremus, quae deinde Pontifex ipse accuratissime perpendit, et incredibili studio ad examen ac trutinam revocavit omnia documenta, quae iisdem Compendiis ad fidem faciendam jungebantur. Porro Causarum, de quibus modo res est, Nos ipsi compendia facere posse sperabamus, ardentique studio exoptabamus; sed assiduis curis distenti Clementis XI. vestigiis insistere tandem deliberavimus. Itaque praeter Compendia a Postulatoribus confecta et exhibita, hanc eandem provinciam ab alio suscipi jussimus, qui Promotoris Fidei sententiam consiliumque sequeretur. Eadem Compendia juxta normam et rationem a Nobis constitutam confecta Nos ipsi accurate perlegimus. Sedulo quoque examinavimus omnia documenta illarum rerum, quae in ipsis Compendiis referebantur: Et haec tum Vobis, tum Episcopis ad consilium accitis tempore opportuno dabuntur, ut omnes sufficienter instructi ad semipublica Consistoria accedant.

Cum Papa desiisset loqui, Cardinalis autem ultimus ex Diaconibus cum signum tintinnabulo dedisset, ingressi sunt Caeremoniarum Magistri, quorum primus accedens ad Pontificem monuit antiquiores duos Diaconos, ut hinc inde a lateribus Sanctitati Suae adsisterent; Alter vero Eminentissimum Paulutium a loco, ubi inter alios juxta ordinem suae Promotionis considebat evocatum sibi ipsi peniculamentum Cappae usque ad terram dimissae trahentem comitatus est, ut coram Sanctitate Sua genuflexus, ex ejus manibus Annulo et Titulo decoraretur. Id enim constitutum est, ut si quis aut Episcopali aut alia dignitate sit, quae liberum Annuli usum ei permittat, tamen post promotionem ad Cardinalatum gestare Annulum amplius non possit, nisi de novo illum obtinuerit a Pontifice. Et ideo quando Papa dat novo Cardinali Titulum, in ejus digitum inserit Annulum sapphiro gemmatum; pro quo quingenti aurei Ducati solvuntur, quos Julius III. post mortem uniuscujusque Cardinalis ab Haeredibus numerari Camerae Apostolicae jusserat; Gregorius XIII. Collegio Germanico. Hungarico de Urbe pro summa decem millium aureorum assignaverat; ea vero a Sixto V. sublata. Tandem Gregorius XV. Congregationi de Propaganda Fide Constitutione sua eosdem attribuit a quolibet Cardinali solvendos intra mensem a die Creationis numerandum, etiamsi quis absens fuerit promotus, nec dum Romam advenerit; quod se facturos jurejurando promittunt Cardinales singuli, antequam Cardinalatus recipiant Insignia.

Est autem Titulus, ut notum est, Ecclesia, cui presbyter quisque Cardinalis praeficitur: Diaconi enim Cardinales juxta veterem loquendi usum Diaconiam non Titulum habere dicuntur, quamvis et ipsis modo concedatur Ecclesia; cum a sua caeteroque institutione uni Urbis Regioni tantum praeessent, quia non Rectoria, neque animarum cura, sed tantum administratio bonorum et simplex beneficium de praebendis concedebatur, ut eleemosynas pauperibus illius Regionis distri-

buerent; idcirco Summus Pontifex in formula, qua utitur, et de qua nos infra loquemur, dum Diaconibus Ecclesias assignat, neque *Tituli* verbum usurpat, neque Cappellas addit. *Tituli* nomenclatura, quod ad rem nostram pertinet, sumitur vel a Crucis signo (idem namque sonat *Titulus*, ac *Signum*) quod erigimus in loco, quem Deo dicare volumus, vel a Tutela; quia consulto Ecclesiae dantur Cardinalibus, ut eas suo praesidio, cura, tutelaque protegant atque defendant. Accipitur insuper pro *Memoria*; Unde Ecclesiae super Martyrum memorias fundatae ab eorum exuviis sortitae sunt et nomen: quamquam et a Domino soli in quo erectae, et a Fundatore cujus pecunia vel opera aedificatae fuerant, saepe nuncupentur.

Ante Sixti V. tempora incertus et varius fuit Titulorum numerus; quia a Romani Pontificis arbitrio pendebat quot creare vellet Cardinales, quibus deinde Tituli conferebantur; Sixtus IV., nulla habita ratione Decreti Concilii Basileensis, omnium Praedecessorum suorum primus Cardinalium numerum, ac proinde Titulorum maxime ampliavit. Nullus tamen, si Paulum IV. excipias, sexagesimum quintum excessit. Tandem laudatus Sixtus Papa V. septuagesimum numerum Cardinalium praefiniit, et ita distribuit, ut sex Episcopi essent, quinquaginta Presbyteri, Diaconi quatuordecim: ac primis quidem Episcopatus suburbicarios totidem, Titulos totidem alteris, postremis Diaconias totidem assignandas decrevit. Antiquissimus inter ceteros est Titulus sanctorum Joannis et Pauli; annumeratur enim in iis viginti et octo, quos S. Silvester Papa anno reparatae salutis tercentesimo decimo quarto auxit. Horum Sanctorum Aedem pene a fundamentis restituit et large ditavit religiosa Cardinalis Fabritii Paulutii liberalitas, qui Summi Poenitentiarii, aliisque praecipuis Romanae Curiae muneribus functus, Episcopus Ostiens. et Sacri Collegii Decanus extremum diem Romae obiit. Ut igitur in novo Cardinali Camillo Paulutio Avunculi sui memoria revivisceret, Sanctissimus Titulum hunc ei tradidit simul et Annulum ita dicens:

Ad honorem Dei Omnipotentis, beatae Mariae semper Virginis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac sanctorum Joannis et Pauli committimus tibi Ecclesiam sanctorum Joannis et Pauli cum Clero et Populo et Cappellis suis, secundum formam qua committi consuevit Cardinalibus, qui eamdem Ecclesiam in Titulum habuerunt.

In nomine Pa ✝ tris, et Fi ✝ lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Recepto Annulo et Titulo novus Cardinalis adhuc in genua provolutus, cum pedem et manum Pontificis osculatus fuisset, postea erectus oris osculo exceptus est. Ita Consistorio finis impositus.

Ut autem novis Cardinalibus os claudatur, vel clausum aperiatur, alterutra ex his formulis uti solent Summi Pontifices, videlicet: *Claudimus vobis vel tibi, os, ut neque in Consistoriis, neque in Congregationis aliisque functionibus Cardinalitiis sententiam vestram dicere possitis.* Vel: *Aperimus vobis vel tibi os, ut in Consistoriis, Congregationibus aliisque functionibus Cardinalitiis sententiam vestram proferre valeatis.* Ut tamen id fiat, non semper Consistorium requiritur; facultas est enim Papae in Congregationibus aut locis ubi Cardinales congregari contingat, utramque caeremoniam dispensandi. Idem de Annuli ac Tituli traditione sentiendum est. Ex plurimis exemplis, quae in promptu haberemus, unum sufficiat, ut, quid antiquitus factum sit, agnoscatur. Alexandrum enim sextum Philippo Lucemburgio Cardinali a se creato Titulum SS. Petri et Marcellini die 27. Januarii 1497. extra Consistorium et absentibus etiam Cardinalibus assignasse refert in suis Notis ad Ciacconium Oldoinus. Quinimmo inolevisse aliquando testatur Caeremoniale, ut ad contentiones dirimendas simul daretur Titulus novis Cardinalibus praesentibus in Curia, et peregre commorantibus. Quid plura? Galerum rubrum Pontificalem una cum Annulo et Titulo nonne transmissum nuper vidimus Joanni Theodoro e Ducibus Bavariae Episcopo Leodiensi post triennium a Creatione? Primus enim omnium et solus cum electus S. R. E. Cardinalis fuisset, publicatus deinde est in Consistorio die 17. superioris Januarii; Sanctissimus enim D. N. hunc Roma absentem R. P. D. Opitio Pallavicino Abbreviatori de Parco Majori, peculiari Nuntio ad id destinato

atque ablegato, Cardinalatus Insigniis decoravit, et Ecclesiae sancti Laurentii in Pane et Perna Titularem fecit. Quod non frequenter, sed admodum raro concedi solet.

Non erit abs re hic repetere, quae de praedicti Praesulis Patruo Lazaro nempe Pallavicino Archiepiscopo Thebarum refert in Notis ad Platum in tractatu de Cardinalis dignitate et officio R. P. D. Tria Archiepiscopus Tyri. *Omni*, inquit, *laude dignus Lazarus Pallavicinus Thebarum Archiepiscopus, quamvis multas Ecclesiastici Status Civitates sapienter gubernaverit, Inquisitoris munus in Civitate Melitensi sapienter sustinuerit, Florentiae non sine plausu Nuntii Apostolici muneris partes expleverit, ac singulari humanitate, fide, et diligentia Pontificii Cubiculi Praefecturam per decem fere annos, regnante Clemente XII. Pontifice Optimo Maximo exercuerit, adduci tamen minime potuit ad hanc eximiam dignitatem acceptandam, et ab ea, heroica humilitate, constantissime semper se alienum ostendit, probe intelligens, se imparem esse iis oneribus, quae cum Cardinalatu sunt conjuncta. Incassum cessere rationes, quas Sanctissimus Dominus Noster* Benedictus XIV. P. M. *sua qua fulget sapientia etiam per alios adhibuit, ut illum ad Cardinalatus dignitatem suscipiendam flecteret, ut ipsemet Pontifex in Allocutione habita in Consistorio secreto die 9. Septembris anno 1743., quo alios plures viros insignes ad eamdem dignitatem evexit, diserte testatur*. Nec Clementissimus Pontifex Benedictus erga Thebarum Archiepiscopum morte ablatum, tenacissimum suae amicitiae vinculum dissolvit; nam privato aere in Ecclesia Deo dicata in honorem sancti Francisci a Paula in Montibus nobile marmoreum mausoleum sequenti incisa inscriptione erexit.

Lazaro Pallavicino
Thebarum Archiepiscopo
in summa Rei Frumentariæ
Caritate
Annonæ per Picenum Curatori
apud Melitenses et Florentinos
A. S. apocrisario
Clementis XII. P. M.
Admissionum Magistro
Viro integerrimo et innocentissimo
BENEDICTUS XIV. PONT. MAX.
Amico optimo
Cardinali ab Se designato
quos honores vivens recusavit
mortuo dedit
vixit an. LX. D. XXV.

Pontificis studium in amicorum memoria aeternitati consignanda patet etiam ex eo Monumento, quod in intimo Sacrario Templi beatae Mariae de Victoria ad Thermas Sebastiano Cardinali Tanario ponendum curavit hac epigraphe.

Sebastiano Antonio Tanari Bononiensi
S. R. E. Presbytero Cardinali
qui primo Bruxellis Internuntius
mox apud Ubios Lusitanos et Leopoldum Cæsarem
Sedis Apostolicæ Nuntius
ab Innocentio XII. inter Cardinales adscitus est
inde Legationi Urbinatensi ejusque Ecclesiæ
Archiepiscopali administrandæ diu præfuit

DEMUM OSTIENSIS AC VELITERNUS EPISCOPUS
ET SACRI COLLEGII DECANUS
OBIIT ROMÆ IV. NONAS MAII MDCCXXIV. ÆT. ANNO LXXIV.
ET IN HAC ÆDE SANCTÆ MARIÆ DE VICTORIA SEPULTUS
BENEDICTUS XIV. P. M.
CIVI OPTIMO ET AMICO BENEVOLENTISSIMO
MONUMENTUM POS.
PONTIFICATUS SUI ANNO IV.

Hunc praeterea honorem ab ipso Pontificatus sui initio deferre decreverat Eminentissimo Joanni Antonio Cardinali Devia in Templo sancti Laurentii in Lucina; et eodem honestare meditatur hoc tempore Alexandrum Cardinalem Caprara, ne tanti Viri memoria sibi amicitia conjunctissimi in Ecclesia Archiconfraternitatis Suffragii de Urbe humi tantum supra Cadaver inscripta tam angustis limitibus coerceatur.

Non omittendum insuper est aliquid de novo additum in antiqua de Titulis assignandis formula. Oritur haec additio a Decreto Sanctitatis Suae, quod integrum mox referam. Ubi enim Papa rescivit, Praelatos, qui Patriarchalibus vel Metropoliticis aut etiam Cathedralibus Ecclesiis, in partibus Infidelium existentibus praeerant, post acquisitam Cardinalitiam dignitatem illis Nuncium remittere nulla praecedente vinculi solutione, quamquam revera spirituale Conjugium inter ipsos et hujusmodi Ecclesias perduraret, jussit, ut posthac de praefata solutione eo ipso tempore haberetur mentio, quo Romanus Pontifex Titularem Ecclesiam novis Cardinalibus assignaret. En praedicti Decreti verba.

BENEDICTUS PAPA XIV.

» Cum spirituale Conjugium, quod inter » Episcopum et Ecclesiam, cui praeficitur, » contrahitur, initum intelligatur in Electio» ne, ratum in confirmatione, et in Conse» cratione consummatum, sibi vindicet lo» cum etiam in Episcopis, qui Titulares vo» cantur, et Ecclesiae praeficiuntur ab Infi» delibus occupatae. Qua de causa cum hi ad » aliam Ecclesiam transferantur, a vinculo » prioris Ecclesiae a Romano Pontifice ab» solvuntur. Cumque de hujus vinculi abso» lutione nulla fiat expressa mentio, quando » aliqui ex dictis Titularibus Episcopis inter » S. R. E. Cardinales cooptantur, quamvis » de Ecclesiarum vacatione in terris Infide» lium, quibus ante Cardinalatum fuerant » praefecti, nulla sit dubitatio; Cardinales » etenim easdem non retinent cum Cardina» latu, Summique Pontifices alios eisdem » Ecclesiis, cum volunt, praeficiunt; San» ctissimus Dominus Noster BENEDICTUS » XIV. ratus non decere, ut sine expressa » vinculi absolutione in posterum praeficiantur alii Episcopatibus sitis in terris Infide» lium, quibus fuerant praefecti illi, qui in » sacrum Cardinalium Collegium cooptantur, » ne in more positum esse videatur, ut Car» dinales praedictos retineant Episcopatus; » mandat, ut in Decreto assignationis Tituli » Cardinalitii haec in posterum verba adhi» beantur: *Auctoritate Omnipotentis Dei etc.* » *absolvimus te a vinculo quo tenebaris Ec*» *clesiae N. et committimus tibi etc.* Die XI. » Martii 1744.

Sanctissimus Pater cum Titularem Ecclesiae SS. Joannis et Pauli Cardinalem Paulutium institueret, Archiepiscopum olim Iconii, eumdem a vinculo praefatae Metropoleos absolvit.

At satis de Titulis. Veniendum modo ad ea est, quae Domini Consistorialis Aulae Advocati semel atque iterum de quinque Beatorum vita copiose disseruerunt coram Summo Pontifice, qui in duplici publico Consistorio eos separatim de more excepit et audivit.

Primum ex his indictum jam fuerat in sequentem feriam quintam, seu diem 21. Mensis Aprilis; proinde qui in eo locum habere solent, statim hanc schedulam a Cursoribus Pontificiis traditam accepere.

INTIMATIO

Per Cursores facienda etiam Domi dimissa copia.

Feria quinta die vigesima prima praesentis mensis Aprilis hora decima quinta *in Aula Regia Palatii Apostolici Quirinalis erit Consistorium publicum pro proximis Canonizationis sollemniis Beatorum FIDELIS a SIGMARINGA Martyris Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, CAMILLI de LELLIS Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris, et PETRI REGALATI Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, Confessorum.*

Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales in praedictum Quirinale Palatium sub eamdem horam convenient, sumptisque Cappis violaceis in consueto loco ad Aulam Paramentorum accedent, unde SUMMUS PONTIFEX in praefatam Aulam Regiam deferetur.

Cum SANCTITAS SUA in Solio se composuerit, obedientiam rite praestabunt.

Mox Sacri Consistorii Advocati seriem Vitae, Virtutes, et Miracula eorumdem trium Beatorum sequenti ordine referent.

Primam *de beato FIDELI narrationem habebit D. Advocatus Virgilius Montecatinus, unaque illius pro Canonizatione ex more instabit.*

Secundam *de beato CAMILLO D. Advoc. Julius Caesar Fagnanus, qui et instantiam ut supra faciet.*

Tertiam *vero de beato PETRO D. Advoc. Joseph Ascevolinus non absimili modo instando.*

Demum D. Cajetanus Amatus Apostolicarum Litterarum ad Principes Secretarius DD. Advocatis in genua provolutis SANCTITATIS SUÆ nomine e sinistro Solii latere respondebit.


Ideo intimentur omnes et singuli praedicti Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales; intimentur etiam Decani, seu Antiquiores Episcoporum assistentium et non Assistentium, Protonotariorum, Auditorum Rotae, Clericorum Camerae Apostolicae, Votantium Signaturae Justitiae, Abbreviatorum, et Advocatorum Consistorialium, ut Collegas suos admoneant, et Cappis induti intersint; sicut etiam Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, et Promotor Fidei.

Intimentur quoque Gubernator Urbis Vice-Camerarius, Principes Solii, Conservatores Urbis, Oratores Civitatum subditarum, Magister Sacri Hospitii, ceterique intimari soliti.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

Aula Regia in Quirinali illa dicitur, quae proxima Sacello Paulino est. Dum ad eam sacris pretiosis paludamentis rubri coloris indutus, et in Sellari compositus sacro purpuratorum Patrum Senatu, Conservatoribus Urbis, et magno Comestabili Columna praecedentibus deferebatur Pontifex, per alteram Parafrenariorum Aulam transiens inspexit ibi ad Parietem appensa nova peristromata sane magistra Artificum acu picta in Pauperum invalidorum Hospitio prope majorem Tyberis Ripam, ubi inter cetera summae charitatis opera ab Innocentio XII. ibidem fundata atque conjuncta, cujusmodi sunt virorum ac mulierum laboribus non amplius aptorum perfugium; inopum puerorum ad opificia ediscenda gymnasium; periclitantium puellarum ad integritatem tuendam Gynaeceum; hanc quoque texendorum stromatum artem Clementis XI. auspiciis inceptam ad hodiernum usque diem non modo non imminutam, sed mirifice auctam videmus. Fuerant haec jussu Sanctissimi Patris contexta, ut iis convestirentur parietes, qui Chorum ambiunt Metropolitanae Bononiensis, cujus administrationem factus Pontifex non dimisit, exemplum sequutus Clementis II. qui Bambergensem, S. Leonis IX. qui Tullensem, Victoris, Nicolai, et Alexandri itidem II. qui Aicstettensem, Florentinam, et Lucanam, Pauli IV. qui Neapolitanam, et Benedicti XIII. qui hac aetate nostra Beneventanam retinuerunt Ecclesias. Ex his autem Peripetasmatis, quae sex erant, Babylonico opere et ornamentorum varietate mire conspicua, ut loco etiam cui suffigenda erant, apte congruerent, quatuor Fidei, Spei, Charitatis et Potestatis Ec-



1 *Sedes Pontificia.*
2 *Scamna Cardinalium Diaconorum Assistentium.*
3 *Subsellia Cardinalium.*
4 *Custodia Militum Helvetiorum.*
5 *Ianua ad Sacellum Paulinum.*
6 *Altera ad Mansiones quas Principum vocitant.*

7 *Ingressus Aulæ ex parte Scalarum.*
8 *Ianua ementita ad Architecturæ concordiam.*
9 *Introitus ad comune Sacellum.*
10 *Ianua ad Cubicula Præfecti. Domus Pontificiæ.*
11 *Fenestræ versus viam publicam Quirinalis.*

Ichnographia Aulæ Regiæ in Quirinali Palatio pro Consistorio Publico.

clesiae imaginibus singula singulis insignibantur in areae medio; reliqua vero aliquot Principis Apostolorum, in cujus honorem Templum illud Deo dicatum est, illustriora vitae facta repraesentabant; duo vividis coloribus expressa, alterum cum Regni Caelestis claves, alterum cum ovium agnorumque pascendorum curam ad testificandum amorem, quo Dominum prosequebatur, accepit a Christo, quibus adjacebant dextrorsum et sinistrorsum alia quatuor ovalis figurae et suboscuri violacei coloris, quae intuentium oculis objiciebant Claudum ad speciosam portam Templi sanatum a Petro; et pecuniam, quam Simon obtulerat ab eo repudiatam; aut cum ad custodes baptizandos aquam elicuit e silice carceris; aut cum mirabiliter confractis ab Angelo vinculis abivit ex Herodis custodia.

Haec post Canonizationem comportata Bononiam sunt una cum vestibus multo gravibus auro et opere phrygio nobilibus, quas in tam solemni celebritate Sanctitas Sua, et qui ipsi adstabant ad Rem Divinam agendam Administri, encaeniaverant: Ita priora beneficia, quae statim ac Supremus Ecclesiae Pastor creatus est, plena manu effuderat in Clerum et reliquos Civium suorum Ordines, posterioribus cumulavit.

Hunc ipsum animum Anconitanae etiam Ecclesiae praestitit, quam aedificiis, muneribus, aliisque privilegiis ornavit, ut utraque Sedes, quam olim tenuerat, Pontificiam experiretur beneficentiam.

Jam vero in ipsa Tetragoni area descendens Pontifex de Sellari ad eminentem Solii Cathedram progressus, cum assedisset, Cardinales manum sub auriphrygio sibi deosculantes suscepit: mox eisdem Eminentissimis Patribus et Diaconibus etiam, qui Papae adstabant, inter alios proprii Ordinis de more in praelatis scamnis considentibus: Episcopis et Protonotariis ceterisque ex Praelatorum Collegiis hinc inde per Solii gradus dispositis: Pontifex primo Caeremoniarum Magistro mandavit, ut Advocatos acciret: quod ille flexo prius erga Sanctitatem Suam poplite exequutus est per verbum *Accedant*.

Tunc propius ii ad Solium progressi medium habentes Dominum Advocatum Virgilium Montecatinum Ferrariensis Civitatis, cum de genu omnes Apostolicum adorassent, et in semicirculum se composuissent, ille omnium primus Orationem suam pro beato Fideli a Sigmaringa exorsus sic est.

« Quod primis illis, BEATISSIME PATER, militantis Ecclesiae saeculis tot Christiani inventi sint nominis ac roboris, qui pro vera Dei religione decertantes, parata sibi ab tyrannis immanissimis atrociora tormenta libenter subirent, et fidem quam divinitus hausissent ac feliciter profiterentur, sanguine etiam suo consecrarent: Magno id quidem semper excelsoque animo datum est praeterlabentia haec et mutabilia in terris bona despicienti appetentique in Caelis immortalia. Sed, vel in primo coronatorum martyrio hominum Stephano istiusmodi invictum robur suspiciamus, vel in consequentis aetatis martyribus, tum cum maxime saevitum in illos est gloriosos divinae fidei assertores, qua virgis caesos, qua rotis contortos, qua sagittis confossos, hic igne, illinc ferro, inde securi excruciatos, dilaniatos, absumptos; ipsum quidem Stephanum admiramur, sed tanquam posito sibi ob oculos recenti ac proximo Redemptoris aeterni exemplo confirmatum; reliquos vero illustres eadem victoria viros alios aliorum vestigiis continenter insistentes, illosque praesenti illorum virtute vel excitatos, vel factos alacriores, tantum sibi decus comparasse. At ubi libera ab immitibus imperiis sese latius explicavit Ecclesia, summorumque sacrorum Antistitum Tui decessorum sollicitudine, quam aeque in Te exprimis, Divinus Christi Sermo delatus est ad gentes remotissimas, itaut Nationes integrae olim moribus asperae, quae longe a veritate aberrabant, sanctissimo Crucis vexillo se adjunxerint sub uno spectabili religionis moderatore Romano Pontifice; tum vero, cum admodum rara se offerret causa martyrii, durius fortasse illud atque impeditius videri potuit Christifidelibus in tranquillo religionis ipsius sinu altis agentibusque, quorum propterea animi desueta jam fere supplicia et funera magis quandoquidem perhorrescerent. Verumtamen, ita quoque Deo permittente, nec in ipsa ab tyrannis respiratione atque pacatio-

rum temporum aequabilitate fortes omnino defuere, neque occasiones probandae martyrio fortitudinis. Cum enim antiquus humani generis hostis in laetam caelestis patrisfamilias segetem lolium quodcumque potuit semper invexerit superseveritque, dolo istiusmodi usus, ut aliquam Dominici frumenti partem inficeret; factum exinde est, ut ipsa in florenti Ecclesia nonnulli saepe insurrexerint nomine quidem Christiani, sed Apostolicarum traditionum nequissimi osores, errantes, insanientes, exleges, superbe sibi sapere existimantes prae ceteris, qui, furiis veluti agitati, nunquam quieti consisterent novarum rerum misere cupidi pertinacesque in falsis opinionibus, quibus totum bonorum ordinem obturbarent, vexarent, et si Deo placet, etiam confunderent: Sed huic tanto malo aut dissipando aut antevertendo vigilavit semper Romana Ecclesia, et Pontifices Optt. Maxx. supremam illius curam Jesu Christi vice in terris gerentes, Sacro praesertim ad id instituto ex Purpuratis, sibique assidentibus PP. coetu, cui de Propaganda Fide nomen inditum est; ac mirum quot inde Catholicae rei commoda sint consequuta; quot haeresum monstra intercepta vel profligata. Hinc superiori saeculo in Rhaetia magis magisque furere, qui, malo daemone authore, ab hac firmissima Apostolica petra desciverant: ciere turbas: minas adversus Catholicos interserere: eas demum horrendo scelere exequi ausi sunt in beatum nostrum Fidelem a Sigmaringa vel primum a Propagandae Fidei Collegio constituto ipsius martyrem, qui a praesidentibus venerando coetui in ea Germaniae ora praefectus asserendae Catholicae veritati, ei, quam libere praedicabat, testimonium tantopere grave praebuit ac sollemne, ut impiis haereticis ad necem se conquirentibus alacriter pectus obtulerit, vitam libentius deferendo, quam Catholica sacra vel voce violaret. Hunc itaque fortissimum virum omni bene actae vitae laude non modo clarum, sed heroicis virtutum splendoribus magis conspicuum, miraculis praefulgentem, insignem martyrio cum Tibi, vigilantissime universalis Ecclesiae Custos, ob oculos posuero, uti est certissimis monimentis legitime comprobatum; jure meritoque inde postulem, ut eum in beata pacis regione sempiterno gaudio diffluentem Sanctum sollemni ritu renuncies Deo in caelis acceptum, ac propterea ejusdem memoriam ceterorum more Sanctorum pie recolendam in terris, et intercessionem fidenter implorandam ad opportunum divinae gratiae, per ipsius in Christo merita, promerendum auxilium.

Anno, postquam Divinum Verbum idemque Deus verus humanam sumpsit carnem atque animam, quingentesimo supra millesimum septuagesimo septimo, Sigmaringae, quae parva licet Constantiensis Dioecesis in Svevia Civitas, vel maximum tamen tenuit dignitatis locum verae religionis constantissimo cultu, beatus noster Fidelis natus est ex patricia Reyorum familia, cui splendorem cumulavit genitor Joannes conjugio junctus cum Genovefa Rosembergia aeque nobili foemina, cum de sua prudentia ceterisque Christianis virtutibus commendatus, sellas curules haud semel in patria impleverit, et Consularia munera probe obiverit. Marcus infanti nomen fuit e sacro salutis fonte primam gratiam adepto, quam deinde procedentibus firmiori ratione annis adauctam sibi summo Dei beneficio suoque singulari studio sic retinuit, ut natalem ipsam innocentiam, ne levi quidem declinatione ad sensuum illecebras unquam amiserit; doctus a prima usque aetate temperare spirituum alacritatem, inanibus ludis bellum indicere, animo in Deum ferri, atque in eo dumtaxat sua quaeque bona locare, sua gaudia quaerere. Hinc humanioribus litteris addictus, incredibile est, quantam a Deo meruerit addiscendi facilitatem; vix namque audita in ludo praeceptoris voce, ea quae sibi traderentur, miro statim tenebat ordine maximaque perspicuitate, quibus puer ipse ceteris adolescentibus facile anteibat. At enim cum proprius et ille adolescentiam consalutavit, atque ad philosophica studia in celebri Friburgensi Academia se contulit; tum vero seu magis salebrosas quaestiones acri speculatione penetrando, seu eductas illarum veritates inter frequentes disputationes dilucide ornateque ostendendo, tantam ingenii lucem praesetulit integerrimae probitati excelsaeque pietati conjunctam, ut quasi prodigii loco ea in aetate haberetur: Vigesimum

quippe annum nondum impleverat, cum Philosophiae stadio penitus emenso, inter ejus facultatis Doctores relatus est juvenis, quem suo quasi nomine condiscipuli ac praeceptores vocarent *sapientem Christianum*, omnes demirarentur et amarent. Neque ideo ipse aeque omnibus sese tradebat in amicitias, sed cum bonis dumtaxat inibat consuetudinem, iisque libenter se consociabat, cum probe teneret ac vellet ad sui utilitatem convertere illud divinae vocis oraculum, quo edocebatur, virtutes a probis viris, vitia ab improbis contrahi. »

« Jamque ad sacrum Jus ac civile sua studia converterat, et celeri expeditoque cursu Jurisconsultorum sacra pervadebat; cum trium ex nobilioribus Sveviae familiis amicorum precibus comes cooptatur agendi per Europam universam itineris, quod bene e sententia credebant cessurum, si laudatissimus ex omni virtute Marcus adforet. Nec deesse ille voluit, certior nihilominus factus quod fuerit apud eorum parentes iter probatum. Instat itaque jam dies discessionis, ejusque officia persolvuntur; cum Marcus prius quam viae se daret, amicos congregatos sic alloquitur: Ego vero vobis in via comes adero libens et famulus si mavelitis, sed hae sunt nostrae peregrinationis leges nusquam non servandae: Deo primum ut placere studeamus, ac deinde invicem nobis alter alteri: nullumque profecto ex itinere incommodum, sed voluptatem capiemus plane singularem et innoxiam, varia et multiplicia Dei mirabilia contemplantes, quae ad ejusdem referamus benedictionem nostramque corporis et animi utilitatem. Velitis itaque jubeatis, amici, haec sancte ac perpetuo custodiri? Suam, uti rogabat, illi despondent fidem, et alacriter inde in viam se committunt; iter aggrediuntur; percurrunt loca; visunt Civitates; discurrunt provincias; pervadunt regna; perscrutantur locorum situs, populorum ingenia, mores, industriam, rerum omnium admirantur varietatem. Quid pluribus? In sextum annum peregrinatio producta est tam auspicato incoepta, et plurimus illius constitit fructus. Etenim tres ii nobiles adolescentes in cooptato comite pietatem suspexere adeo ferventem, ut et ipsi ad imitandam jugi exemplo incenderentur unius Marci, qui prima quotidie luce primus assurgebat, atque in genua provolutus aeternas meditabatur veritates: fundebatque Deo enixas preces, quibus seque comitesque commendabat, ne quid ea die detrimenti res eorum caperent, sed omnes tum cogitationes tum voces actionesque, aspirante Numine, satius germinarent fructus honestatis, atque ad illius gloriam dirigerentur, a quo bona cuncta procedere intelligebat. Sed nec ulla intercidit dies, quin convolaret ad templum, ubi summa cum religione sanctissimo omnium, quae antea fuerunt, Sacrificio ita adstabat, ut post immolantem Sacerdotem, conceptis et ipse votis piacularem hostiam offerret. Unoquoque insuper die in Deiparae laudes effundebat sese, quam proxime ab aeterno rerum omnium Conditore venerabatur, cum recitaret omnino parvum, quod dicitur Beatissimae Virginis Officium, totasque quindecim Angelicarum Salutationum decades a viro sanctissimo Dominico Gusmano tanto pietatis incremento ac fidelium bono in Ecclesiam invectas, sacrique Rosarii nomine insignes. Nulla defluxere Sabbata, quibus non ad absolutissimam carnis suae submissionem uteretur et spiritus elationem, solo pane et aqua iis diebus contentus, quidquid adversus haec suaderet contracta saepe ex itineribus lassitudo ac reficiendarum virium necessitas. Annuum autem quadraginta dierum jejunium purificandis animis atque corporibus a Christo Domino sacratius institutum, tantopere observavit, ut praeter haud vetiti cibi potusque parcitatem, membra ferreo cilicio presserit, flagellis etiam noctu impetierit, ac saepius cruentaverit. Levissimas quascumque animi sordes ex humanae imbecillitate naturae contractas de mundano pulvere ipsis vel justis inevitabili, poenitentiae sacramento frequenter detergebat, divinaeque indidem mensae de mystico pane communicabat semel certe in menses, sed singulis praeterea diebus festis alicui Deiparae Virginis memoriae dedicatis aliorumque Deo assidentium Sanctorum spirituum, quorum in tutelam se fidentius recepisset. Quid autem referam effusam in pauperes misericordiam ac liberalitatem, in aegrotantes publicis maxime hospitiis exceptos benignitatem ac studium prope singula-

re, cum illos atque istos frequentibus largitionibus omnibusque officiis adjuverit atque ubique locorum solatus fuerit? Quomodo sacras omnes Aedes recenseam a Divorum nomine et Reliquiis, a fidelium veneratione ac frequentia, a piis institutis celebres, quas ille ubique pariter visitaverit? Et ob si ipsa haec amplissima Urbs loqueretur, qua in Urbe diutius cum comitibus ipse suis immoratus est, quae et quanta praeseferret! Narraret beata isthaec Apostolorum limina religionis potissimum gratia frequentiori ejus accessu contrita: Scalam a Jerosolymis huc advectam Jesu Christi incessu et sanguine sacram iteratis de genu ipsius quoque ascensionibus pressam, jugibusque ex meditatione Dominicae passionis lacrymis respersam. Septem Ecclesias et Martyrum Cryptas pia cunctatione saepius visas; neque enim magnificentia aedificiorum supremo architecturae miraculo in sublime sese attollentium, minusque picturarum aut signorum varietas summorum artificum industria et excellentia commendata; nec auro, argento, gemmisve nitentes aras, quae omnia animos oculosque oblectare solent mortalium; sed sacrosanctae Lignum Crucis, in qua Salus mundi pependit Christus Dominus; Clavi, quibus confixus est; Spinea corona, qua innocuum caput circumdatum; Lancea, qua latus transverberatum; Spongia amarissimo felle et aceto illita, sitientique et extremos jam anhelitus ducenti praebita; Redemptoris ipsius imago, tela divino vultui sudore madido admota per Veronicam sanctissimam foeminam, effigiata et impressa: Veneranda denique Principum Apostolorum aliorumque Sanctorum Corpora, Reliquiae, monumenta felicissimum advenam invitabant, incendebant, rapiebant; dum ceteri comites antiqua excelsissimae Urbis decora quaererent, ornatiora palatia curiosius collustrarent, amoeniores villas circumirent.

» Sed haec praetereunda sunt omnia, et religiosissimo viro in patriam revertenti plaudendum modum est. Rediit itaque felicior quam discesserat, ut qui tot commemoratis religionis actibus ampliores divinae gratiae opes sibi comparaverat. Agunt ei gratias tres illi nobiles viri, quibus dum tam diuturna in peregrinatione dux et comes extiterat, magister etiam christianae perfectionis evaserat. Ille vero ac si nulla ipsis beneficia reddidisset, quae quidem maxime in eos derivavit sua tam prudentia, quam eximiae virtutis exemplo, vicissim profiteri se maxime obstrictum eorum comitati, qui suos forte illiberales mores aequo animo tolerassent; veniam deinde rogare si communes in itinere res minus commode administrasset; si non eorum votis penitus satisfecisset: Quae officii extrema amici diffusis charitatis lacrymis excepere, quas inter atque inter mutuos amplexus facta est tandem secessio. O admirabilem quoque egregii hujus viri humilitatem, cui ceu primo latissimoque fundamento tanta virtutum moles tam decora tam excelsa superextructa est, ut ad ultimum usque caelum, ad ipsumque Dei Solium felix, ac perpetuo mansurum fastigium intulerit! »

« Interea ad intermissa diu studia reducem revocabant sacrae civilesque leges, in quas probe assequendas tanto vehementiori contentione incubitum est, ut brevi non modo Friburgi Doctorum Insignia, sed egregium cum primis nomen in dicendis causis tuendisque aliorum juribus sit assequutus. Verumtamen quid Jurisperitus ageret aeternae salutis anxius, vel ad injuriae aut nequitiae nomen prae maxima innocentia exalbescens, si quando ruptis legum repagulis eversaque justitiae lance Forum jam universum perstreperet litibus varia interpretatione Juris ad opportunitatem distorti, sinistraque Judicum et Causidicorum seu voluntate, seu intelligentia quamdiutissime ampliatis ac propemodum infinitis certo litigatorum damno, vel extrema quandoque jactura? Agebat quod quisque sapiens christianorum dogmatum aestimator; ideoque recti tenax et honesti justitiam dumtaxat ac veritatem animo, voce, scriptis consectabatur; cavillationes omnes omnesque inanes subtilitates veluti judiciorum pestem summopere reformidans, ut in praeclaro Advocato antiquam Jureconsultorum gloriam videres reflorescentem. Orphanis, Viduis, Pupillis, Ecclesiis, Egentibus denique omnibus praesto erat tutissimo semper ac fideli patrocinio suo. At enim cum de gravissima re gravissimo aliquando judicio contenderet, instaretque celerius expedien-

do, utpote qui de more aequiorem partem tueretur; ecce tibi versutus adversarius defensor, cui utinam nulli unquam similes forent, quasi officii caussa illum convenit doletque ludibundus tantam de negocio finiendo curam susceptam: Actum, addit, de Jureconsultis esse, si lites cito absolverentur: Ecquid enim tanta istiusmodi festinatio, nisi ut proprio causae patronus cedat commodo, lucrumque amenter projiciat, quod diu foret multumque consequuturus? Temperet itaque sibi, et agere si causas velit sine sui damno, studeat potius instaurandae ac differendae pro viribus controversiae, majores exinde opes relaturus, quam parta litigator victoria. Dictis inhorruit Marcus; et impia nequissimi hominis instigatione usus ad animi sui salutem, cui tot in aperto commercio paratae essent insidiae; abditiori propterea loco aliquo ac minus exposito sapienter censuit quaeri oportere. Nec mora, ultimum Foro diem dicit, ac de capessendo Fratrum Capuccinorum Instituto secum deliberat. Religiosum virum ea tempestate in provincia Fratribus ipsis praesidentem supplex adit efflagitatque, ut inter suos se recipiat. At prudens ille provincialium Capuccinorum moderator periculum tanti voti facturus diem differt; donec de constanti Marci proposito admonitus deque divina voluntate, illum Ordinis sui Candidatis adnumerat. Interea temporis clericali militiae nomen dederat, ac per inferiores gradus ad Sacerdotii dignitatem evectus, die divo Francisco Assisiensi sacra Friburgi in Ecclesia Capuccinorum primo ad aras immolaturus accessit. Absoluto divino Sacrificio, aliud eodem loci obtulit Deo gratissimum sui ipsius holocaustum, suscepto, scilicet, Religiosi Ordinis habitu novoque Fidelis nomine assumpto, ea sane modestia et hilaritate, ut caelestis ignis, quo spiritus interius incendebatur, per ora diffusus in admirationem traheret suae virtutis multitudinem, quae illuc pii hujusce spectaculi rumore confluxerat. Nihil patrimonii amplitudo illi adblandiri potuit eumque immorari; non patens undique severi Instituti asperitas detinere; nec delicatior corporis habitus generis claritati apprime respondens a bene concepto consilio valuit retardare. Et oh laudatas aliis opes ipsas, quibus affluebat, quanto dimisit et locavit melius! omnes enim ferme destinavit alendis probis adolescentibus ad sacrarum literarum studia contendentibus, quorum etiam usui suam ingenti librorum numero copiosam bibliothecam addixit. »

« Quale autem novus homo Fidelis posuerit in sacro Ordine tirocinium; quae deinde fuerit ejus agendi ratio, postquam eo in ordine sollemnia vota Deo nuncupavit, ut aliquis orationi modus imponatur, in universum sufficit dicere, suam probasse tironem, continuo quasi concentu, prae caeteris humilitatem, obedientiam, pietatem, innocentiam, integritatem; deinceps semper quotidie magis virtutibus profecisse. Ab ipsa enim prima, quam sensit, interiori voce divinae gratiae se in hunc ordinem advocantis, quotidianis flagellis perpetuoque cilicio carni institit suae, quam assiduo istiusmodi bello rationi plane subactam habuit, quinimmo obsequentissimam rationis ipsius sanctissima imperitantis asseclam. Toto quasi anno rigidiori ratione servavit jejunia, per septem nempe quadragesimas observationes a beato Francisco Fratribus propositas, quarum praecipuam a Jesu Christo Redemptore institutam, atque alteram in tempore Dominici Adventus intercidentem pane transigebat modicisque fructibus, nihil inde cocti ferculi admittens. Ter per hebdomadam unica utebatur pulte; pane et aqua victitabat per Sabbata, ac per omnes tam Deiparae festis, quam plurium Sanctorum proxime antecedentes dies vigiliarum more contra infernum hostem ab Ecclesia dispositas. »

« At vero quem de divinis litteris, quibus se totum tradiderat, fructum uberrimum reportaverit, Rhaetiam omnem appello testem, sacram istam Congregationem Propagandae Fidei vigilantem, ipsumque Martyris sanguinem sacrae tuendae doctrinae intrepide datum. Cum enim in hac perdifficili oratoria arte multum jam profecisset adolescens, atque in theologica etiam facultate plurimum modo valeret, mirum quantis nervis pro concione dicendo divinum verbum intenderet, cui latius ferendo fuerat a suis rectoribus destinatus. Summa eloquentiae vi supremoque probitatis exemplo ita edocebat populos,

eliminabat vitia, revocabat virtutes, ut magnum sibi nomen sanctitatis atque in provehenda catholica veritate roboris comparaverit. Hinc a Purpuratis PP. Propagandae Fidei praepositis in Rhaetiam mittitur novem sibi adjunctis sui ejusdem Instituti sodalibus, quibus praeficitur, serpentes uti inibi haeresum errores convelleret, puramque redderet christianam doctrinam, quam pravis opinionibus contaminatam plures ex ea gente profiterentur. Continuo igitur discedens suum praenuntiat Fratribus martyrium, cujus diu flagraverat desiderio, ideoque quotidie a Deo juxta aras petierat; deinde ingressus demandatam sibi provinciam, quam ab impiis Religionibus expurgaret, tanta profecto alacritate et sollicitudine tantopere efficaci sanctae istius Sedis imperata fecit, ut si unquam alius, quamplures et ipse aberrantium haereticorum greges, ac praecipua quaedam illorum capita in unius verae sempiternaeque Fidei sensu et communione Romanae Ecclesiae reddiderit. Quae autem non tum odia subivit aliorum probatissimae per eum veritati duro pervicacique animo obsistentium, qui tanta pertusi luce vellent tamen in perpetua haeresis nocte versari? Exarserant enimvero ad internecionem, quod cum Fidelem nostrum divini verbi propagatorem haudquaquam lateret, nil ideo sui remisit studii in insectandis erroribus, queis potius radicitus extirpandis majores in dies conferebat vires, ac suam omnem diligentiorem curam operamque locabat. Atque his permoti haeretici, qui reliqui erant omnium nequissimi, intelligentesque, si tanta ad Romanam Ecclesiam quotidie conversio fieret Fideli auctore ac duce, falsam, quam profiterentur sectam, brevi jam concisuram et penitus in iis partibus deletum iri, cum ipsi quoque tot strenui viri conatibus fortiorumque argumentorum machinis expugnari, atque ad invisum Romani Pontificis imperium vi tandem veritatis compulsi traduci possent. Idcirco *dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum*, quemadmodum in Actibus legimus Apostolorum primo inter homines martyri Stephano contigisse apud Judaeos praedicanti. Quin, ut et apposite utar verbis Augustini, tametsi ille de supremo animarum conquisitore Jesu Christo loqueretur, ipsi tot Fidelis laboribus, vigiliis, orationibus virtutumque omnium exemplis in totum Romanae Ecclesiae sinum invitati haeretici *his omnibus curationibus ejus ingrati, et tanquam nulla febre phrenetici insanientes in medicum, qui curare eos venerat, cogitaverunt consilium perdendi eum*. Coeunt itaque; de ratione conveniunt; diemque tam immani patrando sceleri statuunt vigesimam quartam Aprilis anni a millesimo sexcentesimi vicesimi secundi; simulataque per summam perfidiam instanti ad catholicas partes conversione, Fidelem in Grueschensi vicino Oppido agentem Sevisium advocant, voce ut sua haerentes adjuvaret, atque in via veritatis constabiliret. Prompte ille accurrit, et quamquam dolum subesse vel caelitus praesciret secumque reputaret, suggestum tamen alacriter conscendit, cui primo statim intuitu grandioribusque litteris, ut perspici facile possent, fuerat superscriptum: *non alteram ab hodierna concionem habebis*. Diriguisset fortasse alius tanti facinoris horrore, extremique sibi instantis metu periculi; at ab illo superna gratia roborato tantum abfuit importunus timor, ut ne expalluerit quidem. Quin e superiori loco intrepidus argumentum dicendi posuerat illud Apostoli divinum effatum: *unus Deus, una Fides, unum Baptisma;* jamque prima concionis emiserat verba, cum ab incoepto desistere coactus est ex oborta succlamatione, ne ultra dicendo temere pergeret, et consequenti eidem crepitu ex igniti teli in se directi projectu, quo tamen, Deo sic disponente, ne leviter quidem tactus est, cum ad acrius et gloriosius certamen fortissimus catholicae veritatis Antesignanus servaretur. Ne itaque cruento sui sacrificio Templum pollueretur, cum eductae jam palam impiae haereticorum sicae intermicarent increscereteque seditionis fremitus; satius ille duxit ad aram sese recipere, ubi sublatis ad Caelum manibus luminibusque, consecravit ultima vitae hujus suae mortalis momenta, Deum deprecatus per Christi merita, ut quoniam omnipotenti ejus voluntati jamdiu se totum fidentissime subjecisset, gratiae suae robur adjiceret morituro; et sanguini, quem libenter funderet,

suo virtutem daret, quae voci defuisset ad reliquos catholicae religioni conciliandos haereticos. Haec dum ferventius oraret immobilis haerens beatus Fidelis ad aram, non Templi religio factiosos tenuit, ne in ipsum irruerent, neque Dei cogitatio, quem jam mente penitus excussissent, sed mansuetudo illa sustinuit catholici magistri, imperterrita constantia cohibuit, fulgentissima pietas compescuit; quarum admiratio virtutum efferatis illorum animis illapsa, primo statim appulsu, ipsa vel natura dirigente, eos ita cepit fregitque, ut usquedum ratio nova furoris eruptione a malo daemone ministrati corrupta non fuit ac perversa, prior illa tanti viri species sicariorum dextras ad aliquod tempus exarmaverit et parata tela distulerit. Monitus propterea tum ne discederet, cum tutior ea statio videretur: O, inquit, fili, pro aeterna jam vita decertandum est, haud isthaec amplius curanda misera et fugax, cujus ego instanti exitio propterea minime terreor, eam enim, quam a Deo recepi, sanguine lotam magisque purgatam meo eidem reddere cupio; at vereor, ne fiat sacer iste locus execrabili facinore profanus, ne adstantes Catholici etiam opprimantur mei odio; atque adeo uni mihi pro universorum salute in apertum progrediendum est. Dixit: eodemque gressu, hilaritate vultus eadem quibus Templum ingressus fuerat, de Templo egreditur. At vero ubi pedem in circumpositam fano planitiem infert, haud ab ea procul ad viginti haereticorum ferociores illum aggrediuntur, armataque dextra instant, ut confestim trucidari illic velit, Romanam ut religionem exsecraretur. Renuentem non modo, sed facis instar splendentis nitidius dum prorsus extinguitur, catholici dogmatis lucem magis proferentem, retorto impius gladio impetit, sacrumque caput ferit, cumque ictus non successisset ex animo, gravius geminato scindit usque ad os medium. Alter ensis mucrone latus transverberat atrociori etiam vulnere, quo in genua concidit; jamque oppido satis fuerat ad interimendum corpus nullo amplius humano remedio convaliturum; sed expleri ea dumtaxat crudelitate immane odium non potuit, modo ut pro se ac persecutoribus orantem, sanctissimaque Jesu et Mariae nomina supremis vocibus invocantem iterum invaserint, hastis trajecerint costas, apertumque mox caput ferreis fustibus secundum verticem conglobatis in prominentes clavos prorsus tutuderint ac pessumdederint; gladiis qua punctim, qua caesim corpus deformaverint universum; tribus scilicet et viginti plagis capiti inflictis, pectori viginti, quibus diutius ferale spectaculum est protractum, graviorque confosso viro dolor tot excitatus locis insedit. Verum ille omnia patienter perpessus est, quin et laetissimo animo imperturbatoque ore, cujus etiam ad feros ictus augeretur hilaritas, ut certo oculorum judicio pateret, quanto majori acerbitate recrudesceret sicariorum rabies, tanto ardentiori charitate illius ad astra spiritum ferri, quem meritis plenum solutumque tunc a corpore, cui feliciori iterum nexu aliquando adjungetur in Caelis, reddidit tandem Deo, pro cujus honore gloriosus Martyr detestabili haereticorum odio impetuque sublatus est. »

« At non ideo sublata est tantae fortitudinis memoria, conspicuaeque fama Sanctitatis longe lateque diffusa assiduisque miraculis a remuneratore D. O. M. illustrata: Quae quidem miracula, quamquam innumera fere sunt beati Fidelis intercessione ac meritis patrata, pauca nihilominus breviter attigero, quae certissimo vel sola argumento satis superque designent immortalem purissimi illius modo spiritus gloriam simulque gratiam, qua plurimum apud Deum valet. Relictis itaque prodigiis inventi post sex ab interemptione menses sacri corporis incorrupti suaviusque praeterea olentis, e cujus pectore ignotus usque adeo flos assurgebat ceu lilium frondibus quasi sanguine aspersis variatum atque odorem pariter spirans novum; ea refero, quae potiora fuerunt apud Benedictum XIII. Pont. Max. antequam decimo septimo ab hinc anno Beatum publice renunciaret. Igitur haud ita multo post exhumatum sacrum Corpus, excitato in Arce Majensfeldae immani incendio horrendoque boatu jam jam imminente ex eversione disjectuque munitionis nitrato pulvere oppletae, quam elata flamma circumlambebat, fidenter invocatum B. Fidelis auxilium illico depascentem ignem propulsavit;

portentumque portento additum, quippe exinde reversi stationarii, qui ad non profuturi superioris periculi certitudinem longius diffugerant, vel altioribus caveis sese abdiderant, parietum trabes invenere ab interiori munitionis parte adhuc incensos proximeque insistentes nitrato eidem pulveri non ideo tamen flammam concipienti; tantoque prodigio prius attoniti, deinde certiores facti de praesenti B. Fidelis ope, eorum aliqui ipsissimo pulvere usi sunt ad suffocandas prunas, eademque fiducia, qua extinguendis aquam adhibuissent. Quid vero de Caecilia dicam Musingerinia virgine in Gisterciensi Ordine Deo devota, quae ex vehementi dexterae mamillae inflammatione ad quatuordecim dies noctesque continenter discruciata, superposita demum particula vestis, qua B. Fidelis operiebatur, de repente convaluit a patente jam cancere hominibus immedicabili? Aut quid mirabilius quam, quod infantulo accidit Francisco Papussinio, cui uno oculorum inflato primum, ac deinde disrupta pupilla, beatus Fidelis statim ac fuit genitricis voto exoratus, integrum et lumen restituit et ocellum, quo matrem ille intuens acri limpidissimoque obtutu insigne eidem ostentabat ostentum? Gaspar quoque Stigherius quinquennali renum dolore curvus et plane torpens, annon se erexit iterum, ac pristino vigori redditus est, admoto vix renibus ense, quo B. Fidelis fuerat vulneratus? At quid ego plura commemorem mirabilia, cum vel hisce solis certissime sibi jam tum probatis, ipse Sanctissimus Pontifex Benedictus Fidelem decreverit Beati nomine invocandum, constitutoque in Ecclesia Martyribus officio colendum? »

» Neque post ejusmodi cultum Beato adhibitum nova ex implorata ejus ope defuere miracula, eaque adduco, quae anno ab isto secundo fuerunt indubitanter explorata Tibi omnium hac de re Romm. Pont. qui antesteterint maximo eruditissimoque, ut illa testantur tua vere aurea omnique doctrina referta quatuor volumina jam olim in publicam lucem emissa, ac modo Patavii recusa summo christianae et litterariae reipublicae bono atque plausu: Alterum nempe quod Frater Candidus de Mediolano Sacerdos Ordinem Capuccinorum professus per Beati effigiem capiti reverenter impositam extemplo evaserit ab inveterato fere per decennium morbo comitiali et sontico, quo saepius vexabatur, redintegratis absolutissime destitutis antea viribus, iisque ulterius non quassatis. Alterum vero quod Joseph Kirnerius puer quatuor natus annos cum genibus pedibusque foret infirmioribus constitutus quam ut regendo reliquo corpori par esse posset, atque ideo minus consisteret, sed acclinaret caderetque, nec nisi subnixus, aegre id quidem, incederet; ductus a matre ad Ecclesiam et ante imaginem collocatus B. Fidelis, inibi statim ita viguit plantis, ut lignea, quibus antea utebatur, substentacula dimiserit, pedesque redierit domum ac semper exinde firmus incesserit. »

» Quae igitur commoda a B. Fideli, quae ornamenta non profluxere in Ecclesiam catholicam, cui tantopere praeluxit heroicis virtutibus dum vixit; verae fortitudinis exemplo dum martyr occubuit; insignibus prodigiis postquam in Caelo fuit emerita gloriae palma a Deo coronatus; ut habeant undequaque omnes quae demirentur, atque imitari satagant, quaeque per ejus intercessionem bona sperare, et consequi possint? »

» Haec itaque, BEATISSIME PATER, per me usque adeo delibata, haec, inquam, sunt gloriosi martyris praeconia, quae universum orbem pervagata, Imperatores, Reges, Populos, complures etiam ex interfectoribus in illius venerationem, impulere. Hinc, ut more majorum, Sanctorum eum fastis adscribas merito postulat Sacra Propagandae Fidei advigilans Congregatio, quae suum in B. Fideli praedicat primum Martyrem: Idipsum rogat universa Capuccinorum Familia: Idem inclyta Martyris natio, quorum omnium studiosissima vota mihi commissa sunt Tibi humillime ut offeram; cum, amplificato honorificentius Beati ipsius cultu in terris, major futura sit invocandi occasio, petendique praesidii fiducia. Atque, o utinam tam benemereri catholici omnes valeamus, ut praecipuo hujus martyris patrocinio bellum deprecante, adveniat tandem laetissima pax, qua, sedato armorum tumultu hanc ipsam Europam totam, quam ille peragravit, miserere usque adeo

diripiente ac depopulante, conciliatisque invicem dissidentium Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum animis, exoptatum diu otium reflorescat, in quo pietatis et religionis, virtutum denique omnium studia, vacuo a belli timoribus animo, quisque consecrari possit ac velit. Dixi. »

Absoluta Oratione secessit inde aliquantulum Advocatus Montecatinus, ne de Beato Camillo dicturum Advocatum Julium Caesarem Fagnanum impediret. Tum iste a Caeremoniario admonitus his verbis: *Dicat alter;* ita effari cœpit.

« Quae duae res, BEATISSIME PATER, Oratoris cujuslibet animum commovere vehementissime possunt, Causae scilicet, de qua agitur, gravis conditio, et eorum, cum quibus agitur dignitas, et amplitudo, eae ambae non solum nullo me modo perturbant, imo vero incredibilem ad dicendum addunt alacritatem. Sive enim justissimae, in qua nunc versor, Causae conditionem intuear, agendum mihi video de beato Camillo de Lellis inter Cœlites referendo, cujus quanta sint merita in grandibus illis tuis omnibus eruditionis, omnisque doctrinae plenissimis Voluminibus Tu ipse, BEATISSIME PATER, abundantissime declarasti. Sive illius, cum quo haec agitur Causa, optimam voluntatem considerandam mihi proponam, apud Te, BEATISSIME PATER, rem mihi esse intueor, qui, cum eamdem nescio quo fato intermortuam ab eo usque tempore, quo tanta cum laude Fidei Promotoris munere fungebaris, strenue ab interitu vindicaveris, ejusdem dici merito potes et Patronus et Pater. Et revera cum immensos eos ego recordor improbosque labores, quos pro stabilienda B. Camilli gloria tunc sustinuisti Clementis XI. P. M. jussu, neminem praeter Te tantae parem superandae difficultati apertissime confitentis: Cum dies tot noctesque considero in volutandis, legendis, dirigendis, notandis immensis illis processuum voluminibus evigilatas, qui id tandem fieri possit, ut, aut huic Causae diffidam, aut ipsam animo minus alacri aggrediar? Quod cum facio tanta spe fretus, quaeso, obtestorque, BEATISSIME PATER, ut si Camilli gesta pro ejus dignitate minime commemoravero, meae quidem tenuitati, multo autem magis rerum ab eo gestarum magnitudini putes esse tribuendum. »

« Atque hic imprimis non inficiabor illud plane ipsum contigisse Camillo, quod Principi Planetarum Soli aliquando conspicimus evenire. Sicuti enim quandoque contingit, ut, dum supra Horizontem attollitur, et disjectis undique tenebris terrarum Orbem clarissima luce perfundit, brevi emenso aetheris spatio talem patiatur eclipsim, ut vel extinctus, vel extinguendus esse propemodum videatur: Ita Camillus cum Buclanici Regni Neapolitani loco honestissimo natus esset, probeque Parentibus educatus optimae indolis futuraeque Sanctitatis argumenta plurima praebuisset; brevi tamen ita et Ipse deficere visus est, ut et inanes spes suas Parentes merito deplorarent, et ut perpetuae in eo forent tenebrae, pertimescerent. Quid hic eum memorem a vera virtutis laude remotum, otio unice delectantem? Quid adolescentiam et juventutis maximam partem ale's perditissime traducentem? Quid profligatum quamcitissime patrimonium universamque domesticam rem ludo consumptam? Quid vilissimis ministeriis, et a suorum natalium conditione remotis victum sibi comparare coactum? Quemadmodum vero Sol post brevem illam veluti pugnam atque conflictum eo majori luce perfusum se se nobis ostendit, quo densioribus tenebris paulo ante fuerat involutus: Ita etiam Camillus vitiorum tenebris excussis atque eliminatis, repentina quadam a pene incredibili Sanctitatis luce refulsit. O fortunatissimam illam diem, qua alterum veluti Saulum spirantem adhuc minarum et caedis, vitiorum scilicet suorum semitam prosequi tunc maxime cupientem inopina circumfulsit de Caelo lux, atque humi in via prostratum, vas irae in vas electionis Dominus immutavit! Explicare quis satis possit, quibus tunc ille gemitibus praeterita errata fuerit detestatus? Quam inconsolabilibus lacrymis a Domino flagitaverit, ne ignorantias juventutis suae recordaretur? Quibus precibus, statim ac domum reversus est, Patres Capuccinos defatigaverit, ut se in eorum sodalitatem admitterent, in qua asperrimo illo vivendi genere anteactae vitae licentiam ulcisceretur? O veram muta-

tionem dexterae Excelsi, qua aleator cessit in lucrum Domini, qua miles saeculi factus est Athleta Christi fortissimus, qua mundi Assecla Poenitentiae, Humilitatis, Charitatis victima evasit! »

« Et revera Camillum vidisses vix voti compotem factum, habituque Capuccinorum indutum tanta contentione Evangelicae perfectionis stadium illico percurrentem, ut iis ipsi longo intervallo antecelleret, qui meliora charismata aemulabantur: Vidisses corpus suum ciliciis, flagellis, inedia, omnique poenarum genere adeo castigantem, ut in servitutem redactum adversus spiritum concupiscere non auderet: Vidisses humilitatis praecipue, quae omnium virtutum parens est atque magistra, studio, tantam operam impendentem, ut non alio quam humilis Fratris nomine vocaretur: Vidisses denique in continuas gratiarum actiones erga Dominum erumpentem, quod ex tantis saeculi tempestatibus in tutissimum Religionis portum tandem aliquando eum impellere dignatus esset. »

« Fuerit tamen arduum, fuerit sanctum, fuerit perfectissimum ejus vitae institutum, quod Camillus amplectendum sibi censuerat: Illud certe non erat, ad quod a Domino fuerat ordinatus. Ad altiora profecto longeque utiliora vocabatur. Quemadmodum enim Saulum persequentem supra modum Ecclesiam Dei jamdudum elegerat, ut nomen suum coram Gentibus portaret, ita quoque Camillum juveniliter insanientem elegerat, ut incredibili esset suis Fidelibus adjumento. Quid igitur miramur, si ab antiquo illo ulcere, quod Camillus itinerando contraxerat, nulla possit medicorum opera convalescere? Si eo magis magisque recrudescente austerissimo illi atque laboriosissimo vitae generi reddatur impar? Si, cum ferendis illius Instituti laboribus judicetur minus idoneus, ex eorum Patrum sententia semel et iterum dimittatur? O investigabiles vias Domini! Abreptam suam sibi dolebat felicitatem Camillus, sibique ipsi irascebatur, qui peccatis suis id effecisset, ut potius quam abjectus esse in domo Domini, habitare in tabernaculis peccatorum mereretur. Contra vero per haec eadem media ad majorem sui nominis gloriam amplificandam, ad Ecclesiam suam novo fortissimoque praesidio muniendam, ad Fideles suos ope, auxilio, utilitate maxima adjuvandos, fortiter suaviterque a Domino ducebatur. »

« Neque vero multum temporis intercessit, quo se Camillo voluntas divina apertissime manifestavit. Cum enim Romam venisset, atque in Nosocomio sancti Jacobi Incurabilium receptus fuisset oeconomi munere perfuncturus, tunc plane intellexit, se procurandae cum corporum, tum multo magis animarum saluti a Domino destinatum. Incredibile est enim dictu, quantum ex pauperum ibi aegrotantium calamitatibus animo commoveretur, quanta commiseratione afficeretur, quanto eorum sublevandorum desiderio teneretur. Cum vero ministrorum quorumdam incuriam ac negligentiam animadverteret, qui multa mercede conducti, ut Infirmis famularentur, iisque curandis omnem operam collocarent, suo muneri deerant, vel eo minus accurate perfungebantur, satis certe explicari non potest, quam id Camillus aegre toleraret, quantoque studio huic malo occurrere conaretur. Parum ipsi itaque videbatur, si ea omnia sedulo procuraret, quae animabus corporibusque juvandis conferre posse cognosceret, si omnes etiam delicias, omnia etiam commoda diligentissime investigaret, quae aegrotis a morbi molestia aliquo modo relevandis prodesse posse animadverteret, si nullis laboribus, nullis incommodis, nullis sumptibus parceret, ut vel salus amissa recuperaretur, vel recuperata confirmaretur: Parum si dies noctesque Infirmis semper adesset, si ab iis morbis, qui stomachum maxime provocant, victor sui non abhorreret, si ulcera tabo sanieque manantia attrectaret, tergeret, circumligaret, foveret: Parum si monitis salutaribus Infirmorum animos confirmaret, si patientiam iis suaderet, si eos ad Dei cultum et amorem accenderet, si in charitate maxime stabiliret: Parum si in vitae discrimine constitutos spe erigeret, fide corroboraret, Sacramentali gratia reficeret et communiret: Parum si migrantes animas precibus adjuvaret, easque suis quodammodo manibus in caelestibus sedibus collocaret: Parum, inquam, haec illi omnia videbantur, nisi immensa illa charitas, qua ipse aestuabat, in omnium animos diffunderetur, et ad omnes

aetates per totum orbem amplificata demandaretur. Hinc votorum suorum metam se consecuturum sperabat, si hominum apostolicorum Congregationem instituendam curaret, qui ex peculiari instituto in id unum incumberent, ut Infirmis omnibus, iis praecipue, qui in Nosocomiis jacerent, opem omnem, omnem operam, diligentiamque praestarent. Intelligebat siquidem Vir prudentissimus hoc ab iis apte solum praestari posse, quos non terrena sed caelesti mercede proposita, divina illa, quae patiens est atque benigna charitas informaret. Quod cum sancto Philippo Nerio a Confessionibus suis atque consiliis Camillus communicasset, quis possit exprimere, quantum in Domino senex sanctissimus exultaverit atque gestiverit? Quo superno concitatus ardore, divinitus inditam Camilli mentem affirmaverit et confirmaverit? Quot illi addiderit stimulos, ut opus tam Sanctum et Ecclesiae Dei non utile modo sed necessarium, maximis ceteroquin impeditissimum difficultatibus strenue aggrederetur et perficeret? »

» Aggreditur quidem forti alacrique animo divina duce charitate Camillus; sed ex adverso aggreditur etiam infensissimus humani generis hostis totis, quibus poterat viribus, ea ipsa evellere atque destruere, quae Camillus jacere coeperat tanti operis fundamenta. Quam contra Camillum hominum potentissimorum subito non excitavit invidiam? Quem contra Christi pusillum gregem non armavit furorem? Quae in illo novo agro Dominico zizania non seminavit? Cum tamen peculiaris haec semper fuerit segetis Christi conditio, ut quo saevioribus procellarum turbinibus agitatur, eo uberior in dies crescat atque perfectior; frustra improbus malorum artifex furit, frustra saevit, frustra bacchatur. Praesto de caelo adest afflicto Operi suo opitulator Deus, eumque ipsius impetu obrutum pene atque prostratum relevat, tutatur, confirmat: Idemmet Christus Dominus enixis Camilli precibus imploratus accurrit, eumque claris distinctisque vocibus ex imagine collocutus ad tanti operis perfectionem hortatur, movet, impellit. Videt haec Christi opera teterrimus inimicus: Videt, irasciturque; dentibus suis fremit et tabescit: Videt egregios plures vere apostolicos viros Camilli virtute exemploque inflammatos ejusdem charitatis sese cum eo victimas libentissime destinantes: Videt Camillum triginta duos annos natum, quo Sacerdotio initiari posset, scholas publicas frequentare, et in Grammaticae rudimentis simul cum parvulis balbutire minime erubescentem: Videt sinapis granum in magnam arborem elevatum, pusillam scilicet Camilli Congregationem non modo summis omnium plausibus exceptam et exaltatam, sed a Sixto summo Pontifice hujus nominis quinto litteris Apostolicis confirmatam: Videt eamdem paulo post a Gregorio XIV. incredibili illius utilitate permoto in perfectam religionem erectam et stabilitam: Videt per Italiam, per Siciliam, exterasque Provincias brevi amplificatam, summisque votis ab omnibus concupitam: Videt quot ipse quantasque clades quotidie acciperet, quaeque et quanta ipsi inferretur, uno Camillo auctore, pernicies: Videt haec omnia, eoque majori rabie cruciatur atque corroditur, quo dolorum suorum haec tantum initia esse cognoscit, multoque majora atque certissima sibi imposterum autumat detrimenta. Et revera non fallitur. »

» Sine lacrymis eorum temporum adhuc recordari non possumus, quibus Civitas haec Mundi Caput et Princeps anno quarto ab ipso Ordine constituto tot ac tantis illis calamitatibus affligebatur. Summa Annonae caritate cum laboraret, eodemque tempore pestis dirissima Civium corpora immanissime grassaretur: Cum neque esurientibus panis esset, neque aegrotantibus medicina reperiretur: Cum lactens et parvulus deficerent in plateis, et languentium morientiumque gemitibus, tecta, fora, compita resonarent, quantus in ea luctus, quanta vastitas, quantus horror! Unoquoque aut morbi vi maxime afflicto, aut de salute sua anxie cogitante, aut fuga aut tectis se se tueri studente, facta videbatur quasi vidua Domina gentium, viaeque Sion lugere. *Quale tamen interea* (dicam hic cum sancto Cypriano) *quale in tanta temporis iniquitate, tantaque Urbis calamitate illud fuit spectaculum Domino, quam sublime, quam magnum; quam oculis Dei acceptum*, quod Camillus ejusque Religiosi asseclae praebue-

runt. Fuit ne tota Urbe locus, fuit ne domus, Xenodochium, stabulum, crypta, quo Camillus cum suis non penetraret, jacentes inopes homines conquisiturus ac relevaturus? Fuit ne esuriens, cui panem non frangeret; aegrotus, quem in Nosocomia suis ipsis sublatum humeris non transferret; sanus, cujus conservandae saluti non provideret? Quis fuit miser, cujus non curaret plagas, non abstergeret luem, non lectos purgaret? Hic miserandum in modum infectos morbo suis ipse complexos manibus suas ipse inter ulnas alio transferebat, novisque lectulis collocabat: Illic constitutos in mortis augustiis in Spe et Fide confirmabat. Hic migrantes ex hoc mundo animas apud Deum Orationibus, Sacrificiis, precibusque juvabat. Illic vita functorum corpora suis manibus feretro imposita ad Templum suis humeris deferebat. Quid dicam de novis pluribus erectis in variis Urbis partibus Nosocomiis? Quid de ipsa Religionis suae domo in Xenodochium conversa? Quid de innumeris propemodum sumptibus, quibus cum non posset sufficere Religionis suae paupertas, gravissimo alieno aere illam gravare non dubitavit? »

« Sed in hoc uno commemorando charitatis Camilli argumento quid diutius immoror, cum tantum semper illa patuerit, ut nec unius Urbis Romanae ambitu contineri, nec locorum limitibus circumscribi, nec temporum circumstantiis definiri, nec multitudine hominum coarctari potuerit? Superatis arginibus Tibris exundat? Lateque per Urbem effusus inter celeras domos, quas undis obruit, Sancti Spiritus Xenodochium invadens impetu repentino Infirmorum cameras occupat? Nullae possunt aquae Camilli extinguere charitatem, nulla flumina obruere. In aquas scilicet ulceroso etiam crure prosiliens hac illacque tamdiu discurrit, quamdiu Infirmis eorumque grabatis ad loca superiora suis humeris exportatis, consulat eorum saluti atque securitati. Mediolani pestem grassari significatur? Nihil est, quo Camillus valeat retineri, quominus Genua ubi moram trahebat, in eam ipsam Urbem, quam alii diligentissime declinabant, summa protinus advolet alacritate. Correptam eodem morbo Nolanam Urbem intelligit? Neapolim subito Camillus deserit, in eam Urbem iturus suamque animam pro suis Fratribus positurus. Buclanicum Patriam suam summa premi annonae caritate nunciatur? Adest Camillus illico, impetrataque ubertate de Caelo, insigni miraculo per plures dies esurienti populo alimenta suppeditat. Vix denique ullus in tota Italia reperiri poterit locus, in quo Camillus non reliquerit insigne aliquod charitatis suae vestigium. »

« Etsi vero in Infirmorum domibus ac Nosocomiis peculiari quodam modo illa emicuerit, non ita tamen ut in omne hominum genus effusa incredibili non fuerit omnibus adjumento. Quis enim recensere poterit numerando vel Virgines congruis assignatis dotibus nuptui traditas aut Coenobiis, vel Pupillos in suis juribus conservatos, vel Viduas vindicatas, vel Nudos opertos, vel Esurientes saturatos, vel Peregrinos hospitio receptos, vel Haereticos ab erroribus revocatos, vel Infideles Romanae Religioni conjunctos? »

« Tanta itaque aestuante in Camilli pectore charitate, mirari certe poterit nemo, si ceterarum etiam virtutum agmen accesserit. Cum enim Reginam sequantur Ancillae; ubi charitas est, deesse illae non possunt. Quid igitur dicam de insigni illa animi humilitate, qua Camillus de se ipso tam abjecte sentiebat, ut a nullo unquam Ordinis Fundator et Pater appellari permiserit, ut domi patinas tergere, cubicula verrere, vasa immunda purgare, foris vero hostiatim emendicare familiarissimum ipsi fuerit; ut se se cunctis abjicere, aliorum pedes osculari, aliorum virtutem admirari, se solum despicere, se solum miserrimum, se solum peccatorem maximum ac destinatum aeternis ignibus titionem ex animo reputare consueverit; ut abdicata generali Ordinis Praefectura inter ipsos quos enutriverat filios suos, in servi forma esse voluerit? Quid de illo Evangelicae Paupertatis admirabili spiritu, quo terrena cuncta despexit? Quid de singulari illa animi mansuetudine, qua labores, aerumnas, injurias contumeliasque aequanimiter adeo tulit, ut detractores suos omni amoris atque benignitatis sensu complexus, sibi Deoque amicissimos fecerit? Quid de studio illo Orationis assiduo et contemplandi consuetudine non interrupta, cui tanto animi sensu, etiam cum Infirmis fa-

mularetur, vir sanctissimus incumbebat, ut et in admirabiles ecstases saepissime raperetur, et internum divini ignis ardorem caelestis quaedam in vultu flamma manifestaret? Quid de tanta illa Regularis disciplinaè observantia, quam a se ipso tanta cum severitate semper exegit, ut quamquam tantis occupationibus, tantis laboribus, tantis curis distineretur, nihil unquam de ea remittere passus sit? Quid denique de ceteris singularibus plane virtutibus, quibus adeo excelluit, ut in Italia universa nullus esset, in cujus ore non foret maximum Camilli nomen; cujus animo maxima de Camilli sanctitate non insideret opinio; qui sè Camilli orationibus non commendaret, ejusque precibus apud Deum adjuvari non cuperet, non postularet? »

« Quamquam, ut verum fatear, simul cum Camilli virtutibus, iis etiam frequentissimis insignibusque miraculis, quibus Servi sui sanctitatem Deus testatam omnibus faciebat, tribuendum est, quod populi in tantam admirationem ac devotionem excitarentur. Noverant quippe et aquam ab ipso in optimum vinum fuisse conversam, et exiguo pane tum ipsum, tum multos opipare saturatos: Noverant Angelicos ipsos Spiritus de Caelo ad Camilli obsequia descendisse: Noverant arcana in penitioribus animi latebris delitescentia saepissime penetrasse: Noverant futura et absentia omni dubietate seposita praevidisse: Noverant plurimos inveteratos morbos, nullisque remediis sanandos, brevi Camilli prece vel etiam tactu depulsos. Quis igitur ejus sanctitatem non admiraretur? Quis ejus opem non imploraret? Quis ejus patrocinio se non commendaret, quem Deus tot tantisque miraculis mirificabat? Vidisses igitur omnis generis, omnis conditionis homines ad Camillum tanquam ad insigne sanctitatis oraculum properantes: Vidisses Principes viros, Episcopos, Eminentissimos Cardinales Camilli cellulam frequentantes: Vidisses integras Urbes suis pene convulsas sedibus, ut Camillum inviserent, ut sua illi vota proponerent, ut ad obtinendas a Domino gratias ejus precibus adjuvarentur. »

« Jam itaque eo virtus Camilli devenerat, ut eam Terra non caperet, eaque sola corona justitiae, quam repromisit Deus diligentibus se, compensari in Caelo jam posset. Quod cum Camillus, Domino revelante, intellexisset, quibus laetitiae signis non exultavit! Quoties cum regio Propheta dixit: *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus!* Quoties cum Apostolo exclamavit: *Cupio dissolvi et esse cum Christo!* Nimis profecto esset longum ea hic omnia commemorare, quae ad carissimos filios suos circa lectulum lacrymantes de exercenda erga Proximum Infirmosque potissimum charitate, de diligenda Evangelica paupertate, de abjiciendis saecularibus desideriis summo ardore spiritus peroravit: Quo pietatis sensu Ecclesiae Sacramenta susceperit: Quam devote ipsemet suam Deo commendaverit animam: Quam placide atque tranquille in senectute bona suam cum Christo vitam absconderit: Quantus subito concursus hominum factus sit, pretiosum Camilli cadaver invisere et venerari cupientium. Ne tuas igitur, BEATISSIME PATER, diutius aures offendam, haec omnia tacitus praetermittam. Quis vero silentio praetereat insignia illa portenta, quae ad manifestandam Camilli gloriam in Coelis a Domino perpetrata Romam, imo vero Italiam universam incredibili admiratione compleverunt? Neque hic me loqui quis putet aut de Camilli vultu, austeritatibus, macie, longaque triginta trium mensium infirmitate maxime deturpato, post mortem vero vivida quadam luce mirum in modum effulgente: Aut de ejus corpore post aliquot ab ejus obitus dies molli atque flexibili, imo etiam odorem suavissimum redolente: Aut de immundis spiritibus a corporibus eliminatis, et Camilli virtutem magna voce praedicare coactis. Utcumque haec magna sint, ea hic tantum referre libet, quae Apostolicae Sedis, tuoque potissimum, BEATISSIME PATER, confirmata judicio, fidem publicam meruerunt. Mirari igitur quis satis possit aut undennem puellam per septem menses afflictam dirissimo in naribus polypo ex solo fili Camilli subuculae contactu subito convalescentem: Aut Catharinam Dondulam triginta annorum mulierem sexto gestationis mense maligna febri correptam, in pleura atque pulmonibus inflammatam, in gutture infeliciter ulceratam, a Medicis omnibus conclamatam ex solo aquae haustu, in

que pulvis ex Camilli cubiculo fuerat dissolutus, incolumem repente viribusque pristinis assurgentem: Aut, Camillo inter Beatos adscripto, Luciam Theresiam Petri ab ipsa nativitate asthmate, respirandique difficultate gravissima laborantem, crescente postea aetate plurimorum morborum accessione gravatam, imo etiam oppressam, contracto insuper gibbo expuentem sanguinem una cum pure, ab omnibus Medicis derelictam, Camilli ope vix implorata a morbis omnibus expeditam, maximaque valetudinis firmitate donatam: Aut Margaritam Castelli duodeviginti annorum puellam ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem capitis horribiliter occupatam, ardentissima febri insanientem, proximae morti ab omnibus adjudicatam, invocato Camilli nomine, universa totius corporis crusta evanescente, auctis viribus sanitatem quam nunquam habuerat consequentem. »

« Quae cum ita sint quid aliud hic superest, nisi ut Te, BEATISSIME PATER, orem obtesterque, ut qui tantis semper virtutibus claruit, qui tantis miraculis coruscavit, qui militantem Ecclesiam novo fortium exercitu communivit, qui inter Beatos jure meritoque Te ipso annuente relatus est, eumdem servato a Tuis Praedecessoribus veteri more Sanctorum fastis adscribas. Habeat praesens causa ab eo Summo Pontifice jam diu optatum exitum, a quo diligentissimo quondam Fidei Promotore faustum habuit fortunatumque principium. Hoc Christianae universae Reipublicae Te postulant Principes: Hoc supplex Ministrantium Infirmis benemeritus Ordo: Hoc nostra, hoc publica omnium postulant vota. His si Tu annueris, BEATISSIME PATER, sperandum fore, ut qui ministrandis Infirmis tam strenuam quondam operam collocavit pro Christiana Republica, pro Sancta Dei Ecclesia, pro Tua ipsa Persona fiat apud Deum calamitosis praesertim hisce temporibus intercessor egregius. »

Huic tertius successit D. Advocatus Joseph Ascevolinus, qui annuente ut supra Caeremoniarum Moderatore, beati Petri Regalati vitam hac methodo enarravit.

« Cum res multae sint, BEATISSIME PATER, quibus facile rebus ostenditur extra unam, quam tenet docetque una haec Sancta nostra Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra, sanae sinceraeque fidei professionem, nullam prorsus salutis spem reliquam esse hominibus; tum nihil audacissimos haereticos aeque jugulat, atque sanae illibataeque doctrinae, morumque Sanctissimorum in eadem Ecclesia haud unquam interrupta successio. Etenim cum illi duplici nos armorum genere oppugnent, scelesta nempe falsarum doctrinarum novitate atque ineptissimis calumniis, quibus nostrum omnium vitam moresque in crimen vocant; profecto illorum satis jam audaciam fregimus frangemusque procul dubio semper magis, dum Deus Omnipotens, quod adhuc fecit, nullum sinet tempus abire, quo non fratres innumeros det quotidie Nobis, qui pietate, religione, doctrina, tum virtutibus omnibus, totque etiam supra omnem naturae ordinem editis signis Ecclesiam ipsam parentem nostram, quae honestissima semper fuerit, reddant in dies honestiorem. Quare divinitus e re nostra hunc tamdiu esse morem inductum judico, ut ex tot clarissimis sanctissimisque nostris fratribus, qui ex hac vita decesserunt, suaque ipsi tempora ingenti sua virtute, rerumque sanctissime gestarum gloria illustraverunt, aliquorum saltem habito delectu, rite interdum legitimeque memoria consecretur: recteque per Te sapienterque factum P. B. cum datus a Deo gregi suo universo summus Pastor, et rector, ut consilia omnia illico inire coepisti, quae ad tuendam amplificandamque rempublicam christianam maxime essent idonea; tum in eo cum primis curam studiumque posuisti, quomodo consecrationis quinque Beatorum, nostrique adeo inter illos Petri Regalati Sacerdotis familiae Minorum Observantium sancti Francisci susceptum jam negotium conficeres. Nunc quoniam insigni Dei beneficio, tuisque P. B. tot vigiliis ac laboribus eo res denique adducta est, ut abesse parum possit, quin decretos illis divinos honores ritu solemni legitimoque sis redditurus; coeptumque est eos de more laudari, atque ad me ventum est, qui de Petro ipso Regalato verba faciam. Illud modo oro quaesoque Te P. B., ut si pro ejusdem Petri egregiis praeclarisque factis,

tam Divina vita et admirabili tantaque rerum maximarum varietate, proque tanti hujus loci majestate et frequentia minus splendidum et illustre genus erit Orationis meae, aequus tamen sis mihi et benignus; illudque pie cum animo tuo putes, et id summi rerum moderatoris Dei voluntate evenisse, ut tam claro magnoque viro laudator obtingeret tam jejunus et impolitus; quo nempe suo potius res ipsae pondere, quam Oratoris eloquentia stare videantur. Verum quid ego primum de illo dicam? An, quod plerumque in laudando usuvenit, a patriae et gentis nobilitate, familiae opibus et fortunis, majorumque ejus Domi, forisque praeclare gestis rebus exordiar? Haud equidem faciam; Neque enim est opus, si illud verum est, non egere alienis laudibus, qui abundet suis. Quamvis si hisce etiam externis, et contemptis in rebus, ac (a) non potius gloriari nos oporteat in infirmitatibus nostris, nec eam quidem laudem nostro defuisse Regalato facile possim ostendere. An non natus ipse est Vallisoleti in Urbe totius Castellae principe? an non est veteri gente, familiaque nobilissima? non et iis genitoribus, qui cum genere ipso, dignitate, opibus, fortunisque quam maxime florerent; tum pietate, ac religione, atque effusa in egenos Christique pauperes benignitate longe essent in Civitate sua principes? Sed haec, atque hujusmodi pleraque alia prudens volensque missa facio, ne eum ornare voluisse videar ex alienis virtutibus, qui satis sit ipse ornatus ex suis; atque ad eas accedam laudes, quae totae quantaecumque sunt, quae certe maximae sunt, totae, inquam, propriaeque Petri ipsius nostri sunt: Exponamque primum quibus olim gradibus ejus aetas ad summam virtutis officiique perfectionem ascenderit; quo, principiis cognitis, reliqua facilius intelligantur. Decennis adhuc puer erat Petrus, cum patre jam vita functo, nihil prorsus admirans fluxarum ac labilium hujus mundi rerum, cogitare de caelesti patria, aeternaque salute sua vehementius coepit. Cumque divinitus vocari ipse sibi videretur in divi Francisci Assisinatis sodalitatem, atque in eam quam celeriter ingredi cuperet, quandiu illum perdurasse credis P. B., uti hanc orando obsecrandoque a matre sibi veniam impetraret? triennium perpetuum: Quae res mira sane iis omnibus videri debet, qui putare secum velint, fieri nequaquam potuisse, quin interea loci omnes cum illo blanditiae, omnes illecebrae, artes rationesque omnes adhiberentur, quibus credibile fuerat commoveri puerum posse, ab eoque consilio revocari: Et nihilominus frustra ad eum vincendum omnia fuisse; quinimo victam filii assiduitate et constantia matrem ipsam, rem tandem omnem ejusdem voluntati arbitrioque permisisse. Annum igitur agens Petrus noster decimum tertium Minorum familiae in patrio Coenobio nomen dedit; atque e vestigio ita ad virtutem incumbere, in eaque proficere coepit, ut omnes omnium in se oculos converteret. Admirabile enim erat in illo assiduum orandi studium, admirabilis item obedientia, atque ad omnia, quae sibi demandarentur, obeunda munera alacritas. Praeter haec, disciplinae severitatem et ipse amabat, colebatque, quantum illis tunc in aedibus licebat, plurimum; quae quoniam sensim dilapsa, antiquum splendorem jam amiserat, restitui illam et renovari in tota familia vehementer optabat. Huic perficiendae rei commodum accidit, ut Petrus Villacretius ejusdem Familiae Sacerdos, idemque Magister Theologiae, praestantique Vir religione, Vallisoletum veniret; qui, cum novum quoddam asperrimumque vitae genus invehere inter suos statuisset, quaerebat, volente Ordinis Praefecto, quos ad eam vitae rationem sibi Socios adjungeret, namque inita statim societate. Regalatus noster eum alacri animo persequutus est ad illud nescio gurgustiolum vere dicam, an Coenobium, quod non longe ab Aquileria extruxerat Villacretius; ubi incredibile dictu est, quantum brevi, eo Doctore et duce, profecerit. Semoti hic ab omni turba, vili cibo victitare et parcissimo; dies, noctesque fere perpetuas orando precandoque consumere, nullisque non afflictationibus (b) corpus suum castigare et in servitutem redigere; ut mirum non sit, si tantae virtutis fama longe lateque pervagata tam multos brevi tempore advocaverit, qui

(a) 2. *Corinth*. 12. *v*. 6.

(b) 1. *Corint*. *cap*. 9. *v*. 27.

rigidioris illius disciplinae peterent societatem; et si tam brevi tempore, tantaque felicitate propagatum, auctumque fuerit rigidum illud institutum, novis etiam aedibus, quas extruxere solo in loco ad ripam Durii, quem Tribulum vocant. Quid ego nunc praedicem Regalati nostri innocentiam? quid animi mansuetudinem? quid comitatem, modestiam, temperantiam, caeterasque mitis benignique ingenii dotes? Satis sit dixisse, neminem isto meliorem magisque idoneum visum Villacretio, cui ipse ad Constantiense Concilium iturus, Aquileriensis, Tribulanaeque Familiae curam mandaret. Quam quidem procurationem tam sapienter et sancte administravit Regalatus, tum illo peregre agente, tum etiam post reditum vita functo, ut sodales absentis primum, ac subinde mortui Villacretii desiderium aequo animo ferrent, quum alterius in altero omnes vere expressas virtutes viderent, et abunde sibi omnia per Regalatum suppetere, quae conferre Villacretius consueverat, tuendaeque tam Familiae, quam disciplinae opus erant. Sublato igitur e vivis Villacretio, in id impendio tunc magis incumbere aggressus est Petrus noster, ut ne quid inde detrimenti societas caperet, sed sarta tecta omnia essent, quae fuerant jam constituta, quod vel maxime effecit in omnibus seipsum praebendo (a) exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Nam, cum Sacerdos Dei esset, cum primis castus et innocens, haud facile est memoratu, quanta cum Religione sacris quotidie operaretur. Orandi autem precandique tam erat studiosus, ut nihil potius haberet, quam statis diei noctisque horis Redemptionis nostrae Mysteria singula meditari, seque caelestium rerum contemplatione reficere. Qua potissimum re fiebat, ut quae ejus alioqui egregia esset Divinarum rerum scientia, vel etiam multo major esset ex hac tanta meditandi et commentandi assiduitate. Quod clare patuit tum ex ea, quam rectam ac vere catholicam perpetuo ad mortem usque retinuit de rebus Fidei credendi ac docendi regulam, tum quoque ex multis certaminibus, quae fortiter subire haud veritus est pro defensione Religionis nostrae; tum deinde etiam ex ejus efficacitate orationis, quae tanta erat, ut nihil non eloquendo pervinceret ac persuaderet; etsi ipse solitus accepta omnia Deo referre, nihil se scire judicaret, (b) nisi Jesum Christum et hunc Crucifixum. Magna ea quidem sunt B. P., sed non ea tamen illico sunt, quae veram perfectamque constituant christiani hominis formam, si verum illud est, quod est verissimum, virtutis laudem omnem in actione consistere. Tu modo perge B. P. benigne mihi aures praebere dum doceo non ex iis fuisse Petrum nostrum vitae morumque magistris, qui aliter vivunt, aliter praecipiunt; sed ad Jesu Christi Servatoris nostri exemplum omnia eum fecisse, quae docebat. Paupertatis Evangelicae unus omnium cultor fuit ac custos vigilantissimus, famemque et nuditatem, et labores aerumnasque omnes tam facile patiebatur, ut quibus maxime rebus perturbantur homines, iis ille magnopere laetari oblectarique videretur. Ad haec (c) mitis erat et humilis corde; quae sane virtus, quum una omnium maxime, ut mea quidem fert opinio, propria sit magni erectique ad Caelum animi; hinc Vir Dei omnia infra se putare, nihil unquam arrogare sibi; quoque majore in honore haberetur et cunctis esset carior, eo amplius sibi displicere humiliterque agere, ac sese abjicere; et hinc pauperibus, aliisque miseris et calamitosis hominibus, qui frequentissimi circumquaque ad se confluebant, egentes opis, auxilii, aut consilii, omnibus praesto esse, eosque benigne prolixeque accipere, et quibus maxime posset atque oporteret, rebus juvare, laetosque abs se dimittere. Tum praeterea insuper insigni et ipse fuit continentia, qui, quum semel Virginem Deo sese a parvulo dedidisset, Virgo permansit in aevum: Insigni item atque incredibili socios et alumnos suos ac cunctos mortales benevolentia et charitate complexus semper fuit, ut (d) vere omnibus omnia factus videretur, atque ut uno verbo absolvam, nulla denique fuit res, in qua non recte et sapienter, tum etiam fortiter et moderate se gesserit in

(a) *Ad Tit. cap.* 2. *vers.* 7.
(b) 1. *Corint.* 2. *vers.* 2.
(c) *Matth. cap.* 5. *vers.* 5.
(d) 1. *Cor.* 22.

omni vita. Quarum virtutum satis sit genera ipsa attigisse, ne, si exempla omnia persequi velim, quae ipse edidit ac sunt litteris tradita, oratio haec mea modum excedat; atque id unum addidisse sufficiat ita eum floruisse in omni laudis et virtutis genere, ut nemo late esset illis in Regionibus, cujus in ore non (a) magnum esset Regalati nomen; magna item et jugis sanctitatis ejus admiratio. Tandem quum instare sibi mortem praevideret Regalatus (b), sollicitus non quae sua essent, sed quae Jesu Christi, nihil habuit antiquius quam Ficonedam Oppidum adire ad Lupum Salazarium, quo socio atque adjutore impigro assiduoque usus fuerat in rigidiore illa invehenda ordinandaque disciplina; ad quem ut venit, Fratres ei, ipsumque adeo Institutum custodiendum propagandumque, ex hac vita discessurus quam diligentissime commendavit. Cujus accepta fide, nihil eum prorsus neglecturum earum rerum, quibus maxime rebus nedum stare, sed augeri etiam propagarique posset nova ea Regula, laetus se Tribulum ad suos recepit, ubi rebus constitutis, Aquileriam ad alteram, quae in ejus erat etiam procuratione, familiam discessit. Hic annis curisque confectus, cum decumbere coepisset, ingravescente tum morbo, die festo Paschae Sacra Coena refectus, adstantes Fratres ac suam vicem deflentes, blande consolatus est; tum illos ad pietatis studium atque ad eam fortiter naviterque insistendam quam ingressi erant asperiorem vitam, tum ad pacem, concordiam, et charitatem multis verbis exemplisque est hortatus; ac postridie ejus diei, sacro Oleo perunctus, terrenam fragilemque vitam cum caelesti aeternaque altera commutavit anno aetatis suae sexagesimo sexto. Divulgata ejus morte confestim magnus concursus (c) magnusque fletus factus est omnium omnis sexus ordinis atque aetatis hominum, qui turmatim undique convolantes conferti et stipati circa loculum, et (d) procumbentes supra corpus defuncti manus pedesque ejus osculari nunquam explebantur, dolentes maxime quod amplius faciem ejus non essent visuri. Cadaver autem ipsum primum flexile, tum suavem quoque spirans odorem spectaculo fuit plures dies; quo ferme tempore praesentem opem ex Regalati patrocinio alii in morbis, et suis in angustiis alii etiam multi sensere. Ut non de nihilo esset, magna hominum frequentia ac religione sepulchrum ejus subito celebrari coepisse, cultumque illi divinum deinceps semper fuisse adhibitum. Venio nunc ad prodigia (e) et signa, quae data sunt illi facere, quo ejus et vivi et mortui testatior esset sanctitas. Ex quibus tamen non exempla omnia quae sunt mandata memoriae, sed ea dumtaxat proferam, quae legitimo certoque judicio probata sunt hujus sanctae Sedis Apostolicae. Quorum illud primum, quod cum panis et carnium reliquias a coena collectas aliquando deferret Regalatus ad pauperes, easque celare Fratres studeret, qui paulo morosiores venerant in suspicionem, questique etiam erant, modum ab illo in largiendo nequaquam servari, forte accidit, ut offenderet in Vicarium praesidem Coenobii, cui percunctanti quidnam esset quod sub palliolo gestaret, cum flores esse respondisset, jussus ostendere, quam securus illico sacculum produxit, in eoque rosas illi albas et purpureas visendas et attrectandas, ac etiam insuper auferendas praebuit. Quod factum vehementer admirati Fratres universi, quod non illud erat anni tempus quo rosae ullae aut flores esse possent, destiterunt ea in re illi amplius molestiam exhibere. Mirum et illud etiam atque illustre, quod semel Dei beneficio tanta fuerit agilitate, ut conficeret unius horae spatio millia passuum quadraginta ab Aquileriensi ad Tribulanum Coenobium. At illud non semel sed frequens, ac prope dicam familiare, proptereaque magis admirabile, quod cum saepe trajiciendus sibi esset amnis Durius quotiescumque ad eum accederet, neque navicula esset in promptu qua reciperetur, nihil cunctando pallium ipse sibi detrahebat ex humeris, sternebatque illico super aquas, eoque inscenso ad ripam alteram transmeabat.

(a) *Ps.* 75. *v.* 2.
(b) 1. *Cor.* *c.* 7. *v.* 33.
(c) *Act.* 20. *v.* 37.
(d) *ibid.* *v.* 38.
(e) *Apoc.* *c.* 1. *v.* 5.

Enimvero homines qui animum semel applicuere ad illam aeternam (a) felicitatem, quam repromisit Deus diligentibus se, dum fide excitati, spe et charitate eriguntur et junguntur quotidie magis ad Deum ipsum; horum profecto animis quam minimum oportet esse commercii cum corporibus, ut mirum non sit, si tam facile ea saepe aggrediantur, quae humanas vires longissime superant omnemque ordinem naturae; nisi etiam et illud sit, agi eos plerumque et moveri divinitus, ut res audeant saepenumero tam magnas et stupendas, quo magis (b) appareat magnitudo virtutis Dei in illis. Nec minora ea quidem signa et prodigia fuerunt, quae deinceps post obitum servi sui facere perrexit Deus ad illius magis illustrandam sanctitatem: Ex quibus illud erit ordine prius, quod prius fuit tempore, nam factum est paulo post ejus obitum, atque ita se habuit. Quum mendicus quidam qui accipere et ipse solitus fuerat mensae reliquias ex Petri manibus, ad janitorem aliquando venisset serius quam ut quidquam esset reliquum quod dispensatum jam non esset in eos qui tempore adfuerant, eumque propterea vacuum dimitteret janitor, frustratus ille spe sua, famisque impatiens qua plurimum cruciabatur, cursim ingressus proximum Templum, nixusque genibus ante Petri sepulchrum: Et o (inquit) ubi tu modo es pater optime? nam si tu viveres non ego nunc morerer fame. Quod cum dixisset, mira sane res! sepulchrum nemine moliente sponte sua illico se aperuit, manusque extare visa est, a qua panis porrigeretur mendico; quo is accepto stupens discessit, eamque rem, uti gesta erat, tum ipse tum alii qui testes fuerant Miraculi magnis clamoribus divulgantes effecerunt, ut ejus fama totam fere Hispaniam, ad quam pervasit, admiratione compleret. Hoc quantum sit, quam admirabile atque inauditum, et quot quantaque in uno miraculo sint miracula, multo Tu melius PATER BEATISSIME pro divina prope tua ingenii vi et dexteritate, rerum omnium divinarum humanarumque prudentia ex te potes intelligere quam ego dicere. Quare ne longus sim ad ea propero narranda duo alia miracula, quae nuper per Te cognita, Tu ipse BEATISSIME PATER Apostolico tuo judicio probavisti. Quae hujusmodi fuere. Sacerdos erat quidam Didacus cognomento Placentia; qui quum aliquando ad ignem staret calefaciens se, repente correptus comitiali morbo quo plerumque laborabat, cecidit in faciem suam super ignem ipsum, ollamque eo casu subvertit ferventis aquae; quo factum est, ut torridus inde illico excitatus vapor ejus et vultum combureret et corrumperet oculos, ac fieret propterea ille caecus non videns Solem. In eo quum vires suas omnes ars medica menses aliquot nequicquam esset experta, Didacus tandem ad Regalati praesidium, Deo movente, confugit; petiitque afferri sibi illius cucullum, suisque affectis oculis admoveri: Qua in re, quum illi facile fuisset obtemperatum, statim lumen accepit, quo multo magis quam antea vivido acutoque usus perpetuo fuit quoad vixit. Id autem contigit anno post Christum natum 1705. anno vero 1735. Birgitta Ortega quam percusserat Deus ulcere pessimo, quod lateri adhaerescens, sanie taboque costas ejus adeo corruperat, ut illas extrahere omnino necesse fuerit; tandem quum videret nullam sibi amplius spem superesse ab hominibus ad convalescendum, sese vertit ad Petrum nostrum, sperans fore ut ejus patrocinio sanitas sibi a Deo restitueretur. Quare conscenso equo Aquileriam ad Petri ipsius invisendum sepulchrum avivit: Ubi quum sese ultro multis effusis precibus illius tutelae permisisset, postridie mane dum in patriam revertens aliquantum progreditur, repente sentit corpore quia sanata esset a plaga; quare optime se valere inclamat, et cum dicto exilit in pedes laeta et gestiens prae gaudio. Aderat Maritus viae comes et ipse arte Chirurgus, qui propere accurrens ubi primum fascias solvit, rem ita esse deprehendit uti mulier praedicabat; nam nedum fistulam, quae jamdiu ex ulcere facta fuerat alta atque horribilis, quam pelle completam inductamque comperit; verum et febrem ac doloris sensum omnem quibus illa antea plurimum cruciabatur, etiam atque etiam inspiciendo, attrectando, scrutandoque prorsus

(a) *Jacob.* 2. *v.* 5.

(b) *Ad Ephes.* 1. *v.* 19.

cessesse satis habuit exploratum. Ex eoque sane tempore mulier viribus recuperatis habitu corporis firmiore deinceps fuit, atque ad omnia exequenda domestica munera cum primis idonea. Atque ea sunt quae dicenda mihi putavi de B. Petro Regalato, quae licet non omnia prorsus sint quae dici poterant, nisi studendum etiam fuisset brevitati; at sunt tamen ejusmodi, quae facile probent, eam hominis fuisse vitae innocentiam suique abjectionem; eam lenitatem et benignitatem; eas virtutes omnes quae comites administraeque sunt perfectionis et sanctitatis; easque denique divitias, quibus (a) adhuc honestum fecit illum Dominus in Ecclesia Sanctorum, ut nemo nisi qui vecors amensque atque impius sit non illi divinos honores jure delatos putaverit. Quod reliquum est igitur, oro obtestorque Te PATER BEATISSIME, ut quem in Beatos jam retulit sa: me: decessor tuus Innocentius XI. Tuque adeo gravissimo certoque tuo judicio dignum censuisti, qui consecretur adscribaturque Sanctorum Fastis, hunc demum honorem velis rite ei legitimeque deferre. Orant hoc idem SANCTITATEM TUAM Serenissimi Hispaniae Reges: Orat inclyta Hispana Natio universa: Rogat, orat, obsecratque tota Minorum Familia, quorum quum tot praeclara sint merita in rem Christianam atque in hanc Sanctam Sedem, facies Tu quidem pro insigni Tua sapientia, fide, religione, si mature animum induxeris ea in re illorum, meisque adeo precibus, ac bonorum omnium votis indulgere. Dixi. »

Advocatorum Orationibus, quibus ab omni adstantium coetu plausum magnopere est, paucis respondit SANCTITATIS SUÆ nomine D. Cajetanus Amatus Epistolarum ad Principes a Secretis, qui ab initio Consistorii rubra Cubiculariorum Cappa indutus in planitie Solii ad sinistram Pontificis constiterat.

Sanctissimus Pater ac Dominus Noster ab injecta sibi quotidiana omnium Ecclesiarum sollicitudine aditaque suprema Catholicae Ecclesiae procuratione nihil optavit impensius; atque in hac aspera praesertim temporum conditione ad comparanda Christifidelibus inter tot angustias et calamitates assidue versantibus nova ad salutem praesidia, fausta ad pacem auspicia, et uberiora ad imitationem exempla nihil esse intelligit opportunius, quam ut publicus Christiani populi cultus deferatur beato Fideli a Sigmaringa Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, beato Camillo de Lellis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatori, ac beato Petro Regalato ejusdem Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia; quorum eximias et heroicas virtutes, admiranda facta ac prodigia tam disertis verbis tantaque cum dignitate exponere, atque insimul supplicia Virorum Principum et Religiosorum Ordinum postulata edere studuistis. Fidelis siquidem non solum severiorem instituti, quod optimis moribus ac doctrinis apprime praeditus susceperat, disciplinam integerrime servavit; sed ingenti charitatis zelo fervens, animam quoque suam, consummato Martyrio, pro inimicis suis posuit. Camillus vero postquam de anteacta vita amare fleverat, hanc prae ceteris almam Urbem et caelestium virtutum odore, et salutaribus perpetuisque ad curandas animas remediis, subsidiis ac rebus mirificis cumulavit. Petrus demum in Hispania verbis, exemplis, ac miraculis maxime conspicuus, nedum Religiosos suos Alumnos, sed omnes etiam inflammavit, ut in vitam mandatorum Domini dirigentes pedes suos aeternam salutem consequerentur. Etsi autem ipsos sane beatos Viros hisce piis caelestibusque artibus tranquillam beatae Hierusalem, quae sursum est, stationem attigisse, atque in potentias Domini intrasse non est ambigendum; tamen, ut gravissimum decernendi honoris hujusmodi judicium de splendoribus Sanctorum, atque ab ejus vultu prodeat, de cujus perenni fonte sanctitis dona promanant, lumen ex alto implorandum esse SANCTISSIMUS PATER censet atque edicit. Itaque postquam Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum praeterea, Archiepiscoporum Romae degentium in Consistorio semipublico suffragia exquisierit, atque cuncta pro laudabili Antecessorum suorum Romanorum Pontificum more, confirmatoque Apostolicae hujus Sanctae Sedis institu-

(a) *Psal.* 149. *v.* 1.

to perfecerit, oblatarum sibi precum, quibus ex vestra fide, eloquentia, et gravitate insignis facta est accessio, rationem habebit. Mihi vero, ut hos animi sui sensus Vobis renuntiarem injunxit.

Post haec consueta benedictione dimissis Cardinalibus Pontifex solo duorum Assistentium Cardinalium Diaconorum comitatu ac Conservatorum et Magni Comestabilis, ac praecedente Cruce cum Familiaribus ad contiguas mansiones quas Principum vocant, quod in his Magni Principes eorumve Oratores cum Romam veniunt ad obedientiam Apostolicae Sedi praestandam, vel per Urbem transeuntes Neapolitani Pro-Reges, ut Clemente XII. Pontifice factum vidimus, hospitantur, pedibus digressus sacris vestibus ibi exutus est, et per Pinacothecam in interiora cubicula se recepit.

Proximae erant supplicationes annuae ab utroque Clero Saeculari scilicet et Regulari habendae; aderat enim jam dies et *Majorum Litaniarum*, quas sanctus Gregorius primus Papa anno Christi 590. ob pestilentiam eo tempore grassantem ampliavit vel instituit; et *Rogationum sive Litaniarum Minorum*: quem morem Triduo ante Ascensionem Domini eas recitandi a Mamerto Viennensi in Galliis Episcopo primum institutum, et in Ecclesiae suae consuetudine ab eo positum, Leo Papa III. sub octavi saeculi finem in Urbem horribili terraemotu concussam traduxit. Tum Pontifex, ut cum Ecclesiasticis Viris suas quoque Populus conjungeret preces ad veniam petendam, exorandamque Pacem post belli tam diuturni calamitates; quo peragi Canonizationis negotium vacuo tot curis animo posset, peculiares Indulgentias per id tempus addidit hoc Edicto proposito.

Fr. GIO. ANTONIO del Titolo de' SS. Silvestro e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Cardinal Guadagni della Santità di Nostro Signore Vicario Generale etc.

La Santità di Nostro Signore considerando con suo estremo dolore le gravissime sciagure, fra le quali da sì lungo tempo si trova involta l'afflitta Cristianità, massime per la discordia fra Principi Cristiani; siccome sempre più brama in contingenze di tanto bisogno di essere incessantemente assistita dalle Orazioni de' Fedeli nella Chiesa Militante, così si studia di cercare, e di meritare l'ajuto di validi ed efficaci intercessori nella Trionfante. Quindi è, che approfittandosi la Santità Sua dell'opportunità delle Processioni e pubbliche preghiere solite a farsi in questi tempi secondo l'antichissimo costume della Chiesa, e desiderando inoltre di aumentarle e rinvigorirle con più devoto e numeroso concorso de' Fedeli, dà e concede Indulgenza di trent' anni ed altrettante quarantene a tutti i Fedeli dell'uno e dell'altro sesso, che nel giorno della Festa di S. Marco Evangelista 25. del corrente interverranno divotamente alla Processione, che per invocare secondo il solito con le Litanie Maggiori l'ajuto Divino, e l'intercessione della Beatissima Vergine e de' Santi si farà la mattina di detta Festa dalla Chiesa di S. Marco alla Basilica di S. Pietro in Vaticano, ovvero visiteranno in detto giorno l'una o l'altra delle sopraddette due Chiese, ed ivi pregheranno Sua Divina Maestà, perchè si degni di assistere con l'abbondanza de' suoi lumi alla Santità Sua nella grave deliberazione, che è per fare della prossima Canonizazione de' Santi, perchè voglia per sua infinita misericordia disporre i cuori de' Principi Cristiani ad una stabile e vera pace, della quale in conseguenza non solo non sia per risentire alcun danno la nostra santa Religione, ma per il contrario sia per riceverne ristoro e vantaggio; e in fine perchè si compiaccia di riguardare con occhio di clemenza tutte le altre presenti necessità della Chiesa, e di dare a Sua Beatitudine quell' Apostolico spirito che gli è necessario per ben governarla in tempi sì difficili e calamitosi.

Similmente concede Sua Santità la medesima Indulgenza a quelli, che pure interverranno divotamente a qualsivoglia delle tre Processioni dette delle Rogazioni da farsi conforme il solito nei tre giorni immediatamente antecedenti alla solennità dell' Ascensione del Signore, cioè la prima nel Lunedì 16. del prossimo mese di Maggio da S. Adriano a S. Maria Maggiore, la seconda nel Martedì seguente da S. Maria Nuova a S. Giovanni Laterano, e la terza nel Mercoledì 18. detto da S. Lorenzo in Damaso a S. Pietro in Vaticano, ovvero visi-

teranno in uno de' suddetti giorni la Chiesa da dove s' incammina, o quella dove termina la Processione di quel giorno, ed ivi pregheranno Sua Divina Maestà come sopra, unendo le loro particolari alle comuni Orazioni secondo la pia intenzione della Santità Sua.

Vuole inoltre la Santità Sua, che le Monache, Oblate, Zitelle, ed altre Donne Secolari, che con licenza della Sede Apostolica dimorano ne' Monasterj o Conservatorj approvati, possano conseguire la medesima Indulgenza, se reciteranno le Litanei solite ne' suddetti giorni, facendo divotamente la Processione per la loro Chiesa interiore, Oratorio, Clausura, o Casa rispettivamente, e pregheranno il Signore Iddio per i bisogni di sopra espressi.

Esortiamo però tutti i Fedeli a non trascurare l' acquisto di questo spirituale Tesoro e ad accompagnare queste sagre funzioni, non solo colla dovuta modestia e divozione, ma con fare in detti giorni altre opere di Cristiana pietà per maggiormente meritare di ottenere dal Signore le grazie desiderate. Data in Roma dalla nostra solita residenza questo dì 21. *Aprile* 1746.

F. G. A. Card. Vicario.

Gasparo Arciprete Ori Segretario.

Tam foeda autem Caelo fulgurante atque tonante maximisque imbribus decidentibus coorta tempestas est eo ipso die, qui fuit 25. Aprilis, quo ad Vaticanam beati Petri Basilicam suppliciter eundum erat, ut eo progressuri Ecclesiasticorum Ordines extra divi Marci Templum, quo de more convenerant, pedem movere non possent: Quare Supplicatione praetermissa Litaniae duntaxat ad principem Ecclesiae Aram summa Populi adstantis et respondentis frequentia decantatae fuerunt. Diebus tamen reliquis aeque ingens fuit hominum concursus tum ad Supplicationes tum ad Ecclesias, quas e Pontificis praescripto adiri oportebat.

Interea admoniti fuere omnes, qui in proximo publico Consistorio interfuerant, de altero quod SANCTISSIMUS PATER habere decreverat feria tertia vigesima sexta die præfati mensis Aprilis pro Causis BB. Josephi a Leonissa et Catharinae de Ricciis. Denuntiationis autem formula haec est.

INTIMATIO

Per Cursores facienda etiam Domi dimissa copia.

Feria tertia die 26. *labentis mensis Aprilis* hora decima quinta *alterum habebitur publicum Consistorium in Aula Regia Palatii Apostolici Quirinalis pro proxima futura Canonizatione beati JOSEPHI a LEONISSA Confessoris Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, ac beatae CATHARINÆ de RICCIIS Virginis Sanctimonialis Professae Ordinis S. Dominici juxta ritum in superiori publico Consistorio servatum.*

In eo de vivendi utriusque BEATI ratione, deque ipsorum Virtutibus ac Miraculis per DD. Sac. Consistorii Advocatos sermo fiet, et pro Canonizatione instabitur.

Super Primo verba faciet D. Advoc. Philippus Maria Pirellius; de Secunda autem sermocinabitur D. Advoc. Paulus Franciscus Antamorus.

D. Secretarius Apostolicarum Litterarum ad Principes eadem servata methodo instantiis eorum SANCTITATIS SUÆ nomine responsum dabit.

Ideo intimentur omnes et singuli Eminentissimi Reverendissimi DD. Cardinales, ut praefata sub hora ad Quirinale Palatium accedant Consistorio mox interfuturi Cappis violaceis induti.

Moneantur insuper Decani, seu Antiquiores Episcoporum Assistentium et non Assistentium, Protonotariorum, Auditorum Rotae, Clericorum Camerae Apostolicae, Votantium Signaturae Justitiae, Abbreviatorum, et Advocatorum Consistorialium, quod Collegas suos certiores reddant, ut Cappis induti et ipsi intersint.

Intimentur quoque Gubernator Urbis Vice-Camerarius, Principes Solii, Conservatores Urbis, Oratores Civitatum subditarum, Magister Sacri Hospitii, Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, Promotor Fidei, ceterique soliti.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

Edicta igitur die Sanctissimus D. N. sumptis in Paramentorum Aula amplo pallio rubro operis phrygii et mitra, ad Aulam Regiam sublimi in sella compositus evectus est, Cruce et Cardinalibus de more praeeuntibus: Ubi Solium conscendit, et Eminentissimi Patres post consuetam observantiae suae significationem erga Pontificem assederunt in sedilibus ab utroque latere Solii excurrentibus per aream; Dominus Advocatus Philippus Maria Pirellius stans inter Collegas suos hanc ad Summum Pontificem de Virtutibus eximiis B. Josephi a Leonissa Orationem habuit.

« Quod unum, PATER BEATISSIME, deerat Tibi ad gloriam, ut, postquam sacrorum doctrinam scriptis clarissimis illustravisses, in summum deinde rerum humanarum fastigium evectus, optimis legibus constituta republica, ad amplificandam magis religionem sapientissime Te converteres; quod unum deerat votis nostris, ut adversus diuturnam hanc temporum asperitatem, postquam humana omnia experti sumus, novo tandem e Caelo quaesito praesidio nos tuereris; id praestas nobis cumulatissime, qui pro Tua incredibili providentia de augendo numero Caelitum, dum malis undique conflictamur, opportunissime decrevisti. Tertium heic ergo inter eos, qui publica religione sunt consecrandi, divi Francisci filium Tibi sisto, quem eo honore dignissimum, ac apud Deum immortalem deprecatorem pro nostris periculis acceptissimum judicemus necesse est. Si quam etenim es admiratus in *Sigmaringio* asserendae religionis constantiam, si quod in *Regalato* disciplinae exactioris studium, in unum ea collecta audies *Josephum Leonissanum*, de quo nunc ego dicturus sum; cujus ipsa nullo verborum ornamento exculta narratio vitae totam perficit laudationem, sive morum sanctimoniam cum summa corporis afflictatione conjunctam, sive ad excitandos atque inflammandos in Dei cultum animos ardorem ac firmitatem nullo mortis periculo et cruciatuum sensu perterrefactam, sive in eo caelestium munerum copiam signis prodigiisque clarissimis divinitus comprobatam suspiciamus. Rem omnem, ne Tua abutar in audiendo patientia, intra praefinitum mihi temporis spatium, quam brevissime potero, absolvam. »

« Illustrium virorum, qui dum terras incolerent, caelestem quandam vitae rationem instituerunt, vel ipsa aetatis primordia adeo divino quodam munere plerumque novimus claruisse, ut ad quam virtutis maturitatem essent postmodum perventuri, non obscuris indiciis significarent. Quod si unquam ab omni memoria vetustatis repetita rerum experientia sciamus compertum fuisse, in hoc de quo loquimur viro beatissimo omnino contigisse non ambigendum. *Leonissae* etenim apud *Vestinos* loco non ignobili quum natus esset, non defuere infanti prodigia, quibus a praepropero interitu servaretur, nec significationes aliquae vel in lactente, quae futurae temperantiae specimen exhiberent. »

« Vix autem septenni major, quam de eo cuncti praeceperant conjecturam multo quam exspectari posset, cumulatius ratam fecit: Nam statis quibusdam in annum diebus praeter frustulum panis ab omni victu temperans, a ludicris omnino abhorrens, exinde vero in deliciis habens religionis officia diutius meditari, diu in Templis ad orandum incumbere, et nulla adhuc labe inquinatum corpusculum flagris caedere, haud facile dictu est, quantum bene exactae pueritiae laudem laudatiori cumulaverit adolescentia non ad ludum, non ad jocum, sed ad graviora et severiora studia naturae ipsius habitu prope divino perductus, ita ut inter ipsas lubricae aetatis illecebras, vel ejus in pauperes benignitas, vel mansuetudo, vel pudor, vel nitor gratiae, vel ab inanibus rerum mortalium simulacris fuga atque fastidium longe manifestius, qualis quantusque is in posterum futurus esset, portendere videretur. »

« Hae certo erant artes studiaque omnium praestantissima, quibus in dies ornatior adolescebat. Ea vero est indoles litterarum, ut ipsam interdum pietatem in quam inciderunt, egregie juvent perficiantque; ideoque nihil profecto mirandum est, si quum praeclarior ad haec omnia accessisset post-

modum ratio conformatioque doctrinae, is Viterbii, ubi apud patruum diligentem litteris navabat operam, ad honestissimas impulsus nuptias non modo puellae elegantiam divitiasque despexerit; sed perpetuo servandam virginitatem confestim Deo dicans, haud secus quam si ab latente inter segetes angue insidias praesentiret, periculi horrore percitus in non levem morbum inciderit; quamobrem extemplo in patriam confugiens, nec multo post inde abiens, in divi Francisci familiam, quam vocant *Capuccinorum*, tanquam in portum tutissimum se receperit. »

« In immortalitatem scilicet prospiciens rerum humanarum contemptor animus, qui sine ulla labe mortalium cupiditatum contagionem evaserat, ea sane ratione procul a populi erroribus reliquam vitam sibi habendam decrevit, ut integrum ac sincerum, quod a natura acceperat, ingenium penitus servaret ac retineret, totumque se Deo dederet dicaretque, quem ab ineunte pueritia unice sibi quaerendum statuerat. At, ne in tanta rerum affluentia ac varietate dicendi impetu divagemur, utque magis distribute viri beatissimi vitae cursum cum laudatione conjunctissimum prosequamur; incredibile quidem est memoratu quae in ipso sanctioris militiae tirocinio satis ampla et immota jecerit fundamenta brevi ad summum perfectionis culmen perventurae virtutis; quanta constantia propinquorum impetum eum a proposito deturbantium refutarit; quanta se post gesserit innocentia et modestia vitae, in omnique ordine officioque assiduitate, obedientia; quam arcte, quam duriter, caelesti quoque ostento monitus sese habuerit, nihil unquam laxamenti aut veniae sibi sumens sese fregerit atque contriverit; quem ex animo retineret intime sui contemptum; quantam in res divinas intentionem, ita profecto, ut non multum inde abfuisse visum sit, quin sociis omnibus non modo tanquam perfectae virtutis exemplar splendidissimum proponeretur; verum etiam plurimis eorum severioris disciplinae acrius amplexandae summam cupiditatem ingenerarit. »

« Miremur ne igitur omni virtutum genere non minus quam litteris, a quibus, et praesertim sacris, nunquam abhorruit, instructum adeo magnoque animo juvenem jam tum praealtis visceribus conceptam pietatem in populos latissime effundentem, ac levitatem, libidinem, avaritiam, ceterasque animorum pestes, qua exemplo, qua monitis, qua concionibus acriter insectantem, eo deinceps alienae salutis procurandae ardore conflagravisse, ut exaestuantem in ossibus charitatis flammam non amplius sustinens, Bizantium pergere constituerit, quo non modo christianos captivos contineret in officio, sed barbaros ad verae pietatis disciplinam pertraheret, aut saltem inter obfirmatos barbarie animos pulcherrima morte verae pietatis doctrinam per cruciatus et vulnera profiteretur. »

« Sentio heic, PATER BEATISSIME, in ipso suo cursu increscere orationem, ut viri egregii arduam in omnibus fortitudinem constantiamque demirer summum in discrimen conjectam, amplissimis sane laudibus celebrandam. Neque ego vero enarrandam heic loci credo navigationem prodigiis plenam, et sedatam divinitus tempestatem, et viaticum nautis prodigio auctum, et ducem pedestris itineris e caelo missum; quae praeclara in aliis atque magnifica, in Josepho vel intacta praeteriisse non indecorum, vel summis saltem labiis delibasse sit satis; quemadmodum nec ulla eloquentiae vi exornandum, quantum ibi ad egregium opus, in quod intenderat, adlaborarit; quot in excolendis, sive ab impietate excutiendis animis industriae ac diligentiae fructus perceperit, quot aerumnas, quot ludibria constantissimo animo devorarit. »

« Ad majora evocor atque inflammor, ut virum fortissimum persequar omnis plane morae jamdiu impatientem, dum ipsum imperii tyrannum adeundum ratus, in intima regiarum aedium penetralia numine divino instinctus, Christum regio in conspectu palam et publice professurus, pedem inferre tentat: Qui dum captus vinctusque in arctam primum custodiam, ad supplicium deinde trahitur, ac pede manuque uncis ferreis e sublimi suspensus, crudelissimo poenae genere lacerandus atque interimendus relinquitur, se atrocissimam pro Christo mortem,

quam concupierat, oppetere mirifice laetabatur. »

« Crederent fortasse qui in ipso cruciatus anhelitu laetum ac felicem se, quandiu torqueretur, praedicantem, et christianae pietatis veritatem vocibus pene intermortuis confirmantem audiissent, beatitudinis laurea mox donandum, ad aeternum Dei immortalis domicilium cursu expeditissimo convolaturum. »

« At o veri nescias ac nimium ab aeterno Dei consilio alienas atque aberrantes mortalium hominum cogitationes? Dum is adhuc suspensus animam ageret, neque, igne fumoque subjectis, potuisset unquam a testanda impensius religione prohiberi, post triduum *tanquam dormiens excitatus est Dominus: misit Dominus Angelum suum*, qui pendentem ab uncis protinus liberaret, saucium curaret, viribus lassum reficeret, atque Italiam repetendam moneret: Quo jubente Italiam reversus est. »

« Quid enim ultra ageret inter barbaros ad necem undique petitus homo, quem Deus omnipotens et immortalis insigni in omnem posteritatem prodigio ab ipsis mortis faucibus eripuerat? Italiam itaque reversus est, ipso quidem *Assisinate* parente suo sanctissimo, quem olim in Syriam navigantem fuerat imitatus, in omni peregrinatione felicior; quum et martyrii occasionem fuerit nactus, et fortia meruerit pro Christo perpeti usque ad mortem, a qua sola ipsius Dei liberatoris manu servatum viderant; atque Antistitem graecum, qui ob abjectam religionem summi ordinis praefecturam apud Turcas acceperat, ad meliorem mentem revocatum secum tanquam opima spolia reportaverit. »

« Praeclarissima haec quidem sunt, sed majora etiam alia virum constantissimum in posterum tempus manere quis dubitaverit? Nunquid etenim eximii beneficii loco Deus liberalissimus emerito victori lauream in ipso apparatu triumphi eriperet, nisi ad aliam certaminum gloriam ita servasset, ut ei novis spoliis auctior atque illustrior pompa splendidiori, quae praeteritam tarditatem impleret, triumphus postmodum adornaretur. »

« Intellexit profecto longa rerum divinarum contemplatione vir caelis, quam terris conjunctior, se reliqua vitae usura, tanquam aliena, fruiturum, eam de se sustinendam suscepisse exspectationem, quae omnino decebat martyrem; (nemo jure succenseat credo, si hunc juxta veterem patrum morem, statosque ritus, saltem heic inter orandum, martyrem nominemus): Intellexit, inquam, plane, quam virtutis lucem esset populis exhibiturus, dignus habitus olim qui suum pro Christo sanguinem pene omnem profunderet, ac nihil sibi esse in posterum nisi de salute hominum cogitandum: quam de se injectam omnibus exspectationem non egregie sustinuit modo, verum etiam cumulatissime superavit. »

« Hinc vidisses interritae constantiae virum religiosissimum, ad suos jam regressum, nullam sibi a prorsus impervio novarum virtutum cursu accipere vacationem; nullum divini verbi disseminandi finem invenire, praesertim ubi in *plurima* quidem *messe operarii* essent *pauci*, per vicos nimirum, per agros, per castella, et quater, et quinquies, et sexies, et duodecies quandoque in die, diversis in locis, populos concionibus ab vitiis revocantem, ad virtutes inflammantem, nulla vel aeris intemperie, vel imbrium niviumque copia, non locorum viarumque asperitatibus, non debilitate naturae, non adversa valetudine, inter contumelias interdum ac verbera, praepeditum. »

« Adspexisses docentem pueros, et rusticos ad pietatem instituentem, et undique inveteratas familiarum simultates componere, populorum contentiones compescere, et inter armatos pro aliena salute proruere, ac quum iis laboribus fructus uberrimus responderet, non ad sanandos tantummodo animos incumbere, verum hinc abluere pedes peregrinantium, purgare vestes, capillos tondere, hinc solari, et collecto ostiatim victu, egentes alere, reficere aegrotantes, aptare lectos, tabida ulcera libando curare, hinc perpetua pene ubique locorum pauperibus subsidia constituere, templa a fundamentis exstruere, instaurare, ornare decentius, aliaque permulta eximia quidem omnia in omni vita agere, perficere, meditari, quae neque heic recenseri notissima necesse esset, neque hoc praestituto loquendi spacio satis apposite commendarentur. »

« Cerneres inter haec autem veterem disciplinae rationem eum mordicus retinere, abjecta quamvis et operosa munia summa alacritate subire, nunquam in culcitra, catena et lorica ferrea perpetuo praecinctum, flagris attritum inedia labefactari, acriorem in dies sui corporis castigationem urgere, donec tandem longa atque admirabili laboriosissimi instituti patientia, tot confectus curis, tot cruciatibus fractus ac lancinatus, non minus quam ardentiori divinae charitatis impetu absumtus, sexto supra quinquagesimum aetatis anno, ad eum, quem tota mente complexus fuerat, Deum immortalem, e corporis vinculis tanquam e carcere sublatus est. »

« Unde id ego nunc mihi sumam, PATER BEATISSIME, ut viri clarissimi exitum vitae sanctissime actae maxime consentaneum digna prosequar laudatione; ac satis pro rei dignitate commemorem, quot muneribus Deus munificentissimus perspectae virtutis hominem ornaverit, quot signis prodigiisque virtutem hominis et sanctimoniam apertissime comprobaverit? »

« Familiare ei quidem fuerat, dum inter homines ageret, arcanos animorum sinus excutere, futurarum rerum eventus certo praesagio significare, morbos e corporibus, insaniam a mentibus depellere, in arido aquae fontem sitientibus aperire, bovem demortuum revocare ad opus laboris, indomitum bruti genus vocis imperio compescere, pauperibus pluries victum prodigio augere, fluvios aquis intumescentes sicco pede trajicere; ut omnino videri posset, non modo homines naturae habitu vitiisque ferociores, ac bruta animantia, sed etiam ventos, tempestatesque ejus voluntatibus obtemperasse. »

« Eaque, postquam ab hominibus excessit, nullo unquam tempore intercidit, imo illustrior accrevit gloria; adeo quidem ut non solum *Amantricii* incolis, ubi supremum diem oppetiit, sed finitimis quoque populis funus illustre, viscera suavissime olentia, digitus Medici curantis cadaver a praesenti vulnere repente sanus, mulier e morbo extemplo convalescens, atque, ut alia hujus generis clarissima omni tempore patrata prodigia praetermittam, *puero* ab nativa caecitate facultas videndi impertita, asperum vulnus in genu *saucio* cuidam repente occlusum, *puer* alius toto corpore debilis mirifice roboratus, *mulier* ab desperatae curationis fistula, statim ad valetudinem reducta tot virtutibus aliunde prius quaesitam Viro eximio celebritatem nominis latissime confirmarint. Quae omnia, ab insignis memoriae principe Clemente XII. decessore Tuo ut Beatorum nomine appellaretur, abs te vero uti inter caelites, recte, atque ordine, solemniter adnumerandus judicaretur, PATER BEATISSIME, perfecerunt. »

« Sed neque ea inconcinno prorsus stilo hisque angustiis praefinito essent jejunius fortasse, quam rerum magnitudo exposceret pertractanda; et jam nos tempus et locus admonet, ut longius quam par erat praetergressam contrahamus Orationem. Quoniam vero huc forte pervenimus, ut in tuam de beato Viro sententiam incideremus, illud a me non praetereundum intelligo, quod ad ipsum tuum de ea re judicium pertinuisse dicendum est. »

« Diem, ut probe poteris meminisse, summa olim felicitate insignem, quo quinto ante anno in hoc divinum amplitudinis et dignitatis fastigium veneras, in eam rem elapsis retro mensibus consultissime praestituisti, ut de hoc Viro caelestibus honoribus consecrando primum aperires nobis elegantissime Edictum tuum, id eo certissimo precatore Tibi sperans praestandum esse, ut Deus optimus et immortalis tui *Ministerii tempora benignus aspiceret ac Te suarum ovium pastorem* volenti lubentique animo servaret ac tueretur. Tua plane est tuisque verbis prolata sententia, quam Te dicente a nobis omnibus plausu mirifico exceptam, iterandam equidem Te audiente suscipimus libentissime. Imploramus itaque nunc fidem tuam, ut ea, quae recepisti, quam citissime absolvas; quo dum tuis Vir beatissimus annuat votis, nos tandem ab impendentium malorum impetu ac malorum formidine liberemur. »

« Hoc Capuccinorum Familiae de re christiana optime meritae vocibus, hoc et universae christianae Reipublicae nomine postulamus, quotquot heic adsumus ante Te in obsequium provoluti, immortalibus Tibi devincti

beneficiis collegae olim tui: Qui dum tuo munere de novis Viro sanctissimo a Te decretis bonoribus publica communique voce amplissime gratulabimur, illud fortasse a nostris temporibus non longe abfuturum confidimus, quod ad tuam potissimum laudem sit referendum, ut ejus nimirum praesenti auxilio in pace nunc compositis dissidentibus Regnis, religiosissimi Principes, eo post desuper ducente signa, Bizantium, toties votis communibus quaesitum frustra, (O stultas nostras contentiones!) Bizantium tandem aliquando pro caussa Fidei christiana inferant arma, quo ut Religionem inferret, Eum, dum viveret, neque cruciatus, neque vulnera, neque ipsam praesentissimae mortis faciem novimus perhorruisse. »

« Non sine plausu excepta est tum haec D. Pirelli, tum altera D. Advocati Pauli Francisci Antamori Oratio, qui statim post eum vitam B. Catharinae de Ricciis tam innocenter ductam, et a Deo tot signis illustratam eleganter hoc ordine recitavit. »

« Si quum aliquam, BEATISSIME PATER, summi ponderis momentique rem a Viro dignitate maximo impetrare contendimus, satis esset rei ejusdem aequitas veritasque perspecta ad nostrum animum, ne prorsus timeret, excitandum atque inflammandum; non modo sane hodierno die minime formidarem, quin potius inusitata quadam alacritate proreptus gestirem, exultarem, triumpharem. Petiturus enim a Te, quem penes omnia jure ac ratione penduntur: Petiturus, inquam, ut beata Catharina de Ricciis in Sanctorum numerum cooptetur, non video quid metuendum, si mira constat ipsius virtus, mira pietas, mira religio. At facere non possum quin commovear et totis prope artubus contremiscam, quum SANCTITATEM TUAM et summae majestatis, et inauditae sapientiae splendore undequaque fulgentem intueor, et tot cum doctrina tum dignitate delectissimorum virorum coronam considero: eorum praesertim, quos optime de universa Ecclesia meritos tutissimos ejusdem Ecclesiae cardines esse conspicio. Ad hoc etiam accedit, quod qui ante me admodum copiose dixerunt, Oratores tanta eloquentia praediti visi sunt, ut ego omnium postremus neque arte, neque ingenio, neque exercitatione sim cum illis comparandus. Illud tamen in tanto, quo perturbor, metu me recreat et reficit, quod quantum B. P. sapientia vales, tantum clementia abundas, qua quidem ut mihi primum hodie hunc amplissimum laudis aditum aperuisti, ita tacita voluntatis significatione denotasti, imbecillitatem meam pari benignitate sublevaturum. Minuit etiam perturbationem meam ipsius Orationis conditio, quae tota in percensendis integerrimae Virginis praeclare gestis occupata, purum quoddam et candidum requirit dicendi genus, quod ejusdem morum simplicitati pariter aequaliterque respondens ab omni verborum fuco figurarumque pigmento prorsus abhorreat. Itaque cum non tam exornare dicendo, quam numerando enarrare debeam beatae Catharinae de Ricciis praeclara facinora, non admodum difficilis sese ostendit Oratio, ut penitus timere desinam; Te potissimum B. P. ingenii mei tenuitatem excitante qui quantum justitiae dare soles, tantum clementiae concedis. »

« Non a patria licet florentissima, non ab opibus licet copiosissimis, non a genere licet clarissimo faciam, ut plerique solent, initium. Una est enim virtus, vera nobilitas, verae opes, vera gloria, unaque sanctitas verae laudis fons, et una porro commendanda. Hisce igitur omnibus ultro silentio praetermissis, animi tantum ornamenta adducam, quae sola bona, sola plurimi habenda putamus. Ut itaque, unde par est, exordiar, Florentiae totius Hetruriae Urbe Principe, praeclara ditique Ricciorum familia orta est B. Catharina de Ricciis, quam primum Alexandram nuncupatam fuisse accepimus. Jam a pueritia facile dignosci potuit quaenam ipsa olim esset futura; quippe quae nondum primo suae aetatis lustro confecto eam coepit vitae rationem, quae sanctitatem portenderet omnino singularem; nam ludis omnibus, unde puerilis aetas delectationem petere solet, omnino neglectis, sola oratione oblectabatur; cui quidem ut diligentius vacaret, remotiori secretiorique paternae domus angulo latitabat. Qua in re illud praecipue mirandum puto, quod in Dominicae Passionis contemplatione potissimum occupata adeo commovebatur, ut dolo-

rum particeps fieri cupiens membra componeret sua eo ferme modo, quo Christum in spiritu intuebatur, nunc manus ad Caelum attollens, nunc caput tenens, nunc brachia post terga retorquens, seque ita aptans, ut Illum et orantem in horto, et Spinea Corona redimitum, et Columnae alligatum, et Cruci denique affixum et animi et corporis conformatione prosequeretur. Hinc Angelus Domini familiariter ipsi se visendum praebuit, viamque docuit tutissimam, ne a suscepta vitae ratione abstraheretur. »

« Itaque cum Monialibus suburbani Asceterii sancti Petri e Monticulis nuncupati commissa foret sub Amitae disciplina, tantum virtute profecit, quantum aetas minime patiebatur, quippe parcissime atque durissime vitam sustentans vix somno paulisper membra concedebat, cum sensibus evocata et dies et noctes Crucifixi Reparatoris nostri poenas doloresque acerbissimos meditaretur. Hinc de eodem quem deperibat, unus erat ipsi sermo idemque frequens idemque sollicitus. Cujus quidem rei testimonium occurrit sanctissima Ejusdem imago, quae ipsam saepenumero alloquuta fertur, quaeque tanti prodigii memor servatur adhuc ibidem immortalitati consecrata. »

« At Virgo, quam commendamus, arctioris disciplinae studiosior inde discedit, Sororibusque omnibus valedicit ingenti luctu et moerore confectis. Monasterium Pratense sancti Vincentii Tertii Ordinis Praedicatorum sibi delegit, ibique statuit sibi perpetuo commorandum. Id vero Pater, qui eam nobili viro jungendam decreverat, aegre admodum tulit atque acerbe. Hinc neque precibus neque minis pepercit, donec tandem interposito de celeri reditu fidei sacramento inde domum abduxit omnia expertus, ut eamdem a proposito dimoveret. Cum vero ille post dies conventos fidem falleret, squalere, moerere, affligtari visa est decepta Virgo; quamobrem prae nimia animi aegritudine in febrim incidit, cui tamen affuit visibili specie Christus, Deipara Matre, Caecilia, et Thecla, praecipuis aegrae puellae Patronis, comitantibus, salutemque pollicitus recreavit afflictam spe certa mox eam relicta claustra repetituram. Convaluit itaque, et Genitore, qui digitum Dei in re cognoverat, annuente rediit ad Pratense Monasterium, ubi annos tredecim nata religiosae vitae ingressa est tirocinium, et perfectionis iter arduum. Quanta tunc temporis, quo aurum in fornace probatur, praeconiis digna praestiterit, satius fore existimo si praeteriero, ne flores, cum suppetant fructus uberrimi, colligere videar. Illud tamen silentio obvolvere minime possum, quod ipsa de se humillime sentiens, ut Monialium numero adscriberetur, maxime verebatur. Qua de re sollicita admodum singulas flagitare, singularum pedibus se supplicem abjicere ne repudiaretur, visa est, singulisque polliceri sibi precanti non defuturum a Deo auxilium, quo sanctitas a Dominico leges executioni mandaret. »

« Verum ad ea jam festinat Oratio, quae solemnibus votis emissis edidit documenta virtutum sane inaudita, de quibus cogitans facere non possum, quin summam rapiar in admirationem. Quae tamen ne huc illuc vaganti sermone afferram, bipartibor Orationem meam, et quibusdam quasi cancellis constringam. Et quoniam virtus omnis, ac Sanctitatis perfectio duobus in mandatis fere vertitur, a quibus lex pendet universa, in amore scilicet adversus Deum, et charitate erga Proximum, adeo in utroque B. Catharinam de Ricciis excelluisse ostendam, ut cum omnia argumenta protulero, aequa SANCTITATI TUÆ postulatio nostra profecto videatur. »

» Si per singula, quae B. Catharina dedit, Divini amoris testimonia percurrere statuissem, dies porro me ante deficeret, quam oratio. Itaque faciam more pictorum, qui magnam hominum multitudinem in exigua tabella concludere coacti, quorumdam dimidiam corporis partem, aliorum summa capita, nonnullorum os vultumque ostendunt, reliqua vero occultant. Alia igitur delibabo, leviterque ostendam, alia autem de industria praeteribo. Quod aliter praestare nequeam propter rerum dicendarum copiam, ex iis, quae nuper attigi, futurae virtutis rudimentis, facile potest cogitatione complecti. Jactis enim fundamentis mirifice tota moles visa est respondere, quam coeptam perfecit, consummavit. Revera tota illa dicata Deo, cui se vo-

tis alligarat, in id incubuit unum, ut eidem placeret, eo sane pacto, quo de sacra Sponsa in Canticis praedicatur. Illius enim instar anxia, sollicita, irrequieta videbatur; quam non quies, non remissio, non aequalium studia delectarent, cum nihil in vita expetendum putaverit, nisi quod esset cum perfecta charitate conjunctum. Quamobrem id unum sibi erat negocii, ut orando et contemplando ad Deum, quem sibi Sponsum delegerat, propius accederet. Propterea Eucharistico pane fere quotidie pascebatur, in quo quem sua anima diligebat inveniens amore languebat. Ibi enim myrrham cum aromatibus, ibi favum cum melle, ibi vinum cum lacte Christi Sponsa sumebat, et inebriabatur. Hinc dulcissima amoris deliquia, hinc inauditae ecstases, hinc raptus mirifici, quibus Sponsum osculo oris sui osculabatur. Incredibile dictu est quantò ardore illa flagraret, quantis caelestium gaudiorum deliciis illa frueretur, in qua sicut passiones Christi abundabant, ita et per Christum abundabat consolatio.

» At ad singularia quaedam neque hactenus audita veniamus, quibus ejusdem charitas mirum in modum declaratur. Jam nonum et decimum attigerat annum felicissima Virgo, quum ei subjecta sensibus facta est visio mirabilia praeseferens. Nam ipsi Altare, quod in horto Coenobili erat, Crucifixi Salvatoris effigie ornatum, invisenti tres ibidem Cruces spectandae sese exhibuerunt, earumque in medio ipsemet Jesus spinea Corona circumdatus, undanti sanguine perfusus, latusque transfixus eadem quidem specie tristissima, qua trepidus Calvariae locus ipsum quondam aspexerat. Tum illa acerbi spectaculi dolore perculsa animoque deficiens semiviva procubuit, ut quae Virginis Matris dolorem senserat, defectum quoque pateretur. Sed si Mariae Matri et Magdalenae condoluit, cum Matre et Magdalena congaudere merita est die ipso solemni festoque Paschatis, que ei apparuit Jesus gloria coruscans eadem, qua ex mortuis resurrexit, seque eidem ut Mariae Matri et Magdalenae videndum praebuit, et vulnera sua deosculari concessit.

» Quid vero charitas non operatur? Catharina seorsum ab aliis Angelico pane refici, seorsum comedere, seorsum orare jubetur, quippe quae quidquid praestaret extra se ipsam rapiebatur, nec diu consistere poterat eodem loco forma et aspectu, ut palam videretur caelesti ardore correpta. Hoc autem tum praesertim patefactum est, cum in tribus illis supplicationibus, quas ad expianda hominum peccata peragere Jesus illi praeceperat, tot tantosque passa est mentis excessus, quot quantosque dicere atque enumerare non possim. Videres Eam Crucem manu gestantem huc illuc vultu exultanti vagantem, modo euntem, modo redeuntem ad Aram, rei peractae immemorem rursus eandem repetentem, ac omnia tanta spiritus alienatione praestantem, ut omnino obstupesceres. Revera omnes quae astabant Sorores rem tantam prodigii similem putarunt, quarum oculis splendidissima lux offerebatur circum se volvens os, aspectumque Catharinae mirifica varietate colorum. »

» Sileant vero domestici testes, cum aliunde tutissimam iis, quae de tanta charitate diximus, fidem parare possimus. Enim vero testis amplissimus Bavariae Ducis Filius, qui Patris jussu ipsam adiit, vidit, admiratus est tanquam divinitus de Caelo demissam; cujus ex ore pendens arcana audivit, quae non licet homini loqui, de mysteriis Epiphaniae, de mirabili Magorum adventu, de prima Christi manifestatione, cujus eo die recolebatur memoria. Qua in re illud praeterea admirandum videtur, quod sermonis cum eodem diutius habiti nihil prorsus inde meminerit, ut dubium minime sit, quin Deus esset in ore ejus, daretque quid in illa hora loqueretur. Testis etiam pietate celeberrima Hetruscorum Princeps Eleonora, quae saepius Catharinam alloquuta facile intellexit se cum ea verba facere, quae utrum in corpore esset, an extra corpus ignorabatur. Testes denique puellae omnes (ne innocentissimae aetatis testimonium relinquam) Testes, inquam, rei tam novae, qua sane singularem eandem putamus. Cum illae juvenili quodam impetu ultro citroque concursantes Aediculae sacrae, qua orabat Virgo, forte impulissent Ostium, in caput ejusdem immotae nescientes impegerunt tanta quidem vi, ut repercussum iterum clauderetur: Cujus rei causa perspecta noverunt simul haerentem Virginem incon-

sulto ictu male affectam, nec tamen excitam. Etenim tam alte sublata erat in Deum, ut vix denique se levi capitis dolore laborare senserit, cum illinc in Ecclesiam fuisset delata. Quibus tamen de rebus non est cur magnopere miremur, cum de more suo per octo et viginti horas assiduas qualibet hebdomada nixa genibus orans perstaret, ac porro ita sensibus amota, ut divina movente vi saepissime sublata solo singulare sui exhiberet ac mirabile portentum »

» Utinam vero id facere sibi semper licuisset, et assidua rerum divinarum meditatione versari! coacta est sibi temperare, ut Coenobii quieti consuleret. Eo quippe, quo nondum clausura aditus probibebatur, ita frequens confluebat undique populus, ut Moniales summa molestia afficerentur. Quare dilectum sibi Sponsum rogare jussa est, ne hujusmodi ecstases incommodum Sororum quieti importantes deinceps elargiretur. Facta est quidem illa sui voti compos, non ita tamen, ut charitate diminuta ab ipso deserta aresceret, vel jucundissimo ejusdem aspectu careret; quin potius in corde suo ardens vehementius, quo minus solemni, eo arctiori dulciorique alloquio fruebatur. Qnapropter quae Senensem Catharinam in suae mentis alienationibus referebat, eandem quoque expressit ceteris privilegiis muneribusque de caelo praestantissimis, quibus ipsam a dulcissimo Jesu large donatam fuisse accepimus. Tulerat illa in corpore suo Christi stigmata; haec tulit nostra Virgo: Passa fuerat illa spineam in capite Coronam; hujus quoque caput spinae perfoderunt; adeout parem utramque in omnibus fecerit Jesus, quippe utramque sibi dilectam delegerat, utramque annulo desponsarat. Quae cum ita sint, satis liquido constare arbitror, quanta in Deum charitate flagraret B. Catharina, quam in eo et vixisse fideliter, et mansisse constanter carnis desideriis prorsus semotam plane intelligimus. »

» Sed quoniam (Auctor Apostolus) plenitudo legis est Proximi dilectio, ut qui eum diligit, penitus legem implerit; iccirco num tanta Virgo, quam satis pro dignitate laudare non possumus, id quoque, qua par est, ratione praestiterit, breviter consideremus. Ac profecto, quod pauperes omni ope sustentaret, victum pro illis quaeritaret, suummet iisdem distribueret, neminem vacuum, quum Monasterio praeerat, dimitti juberet; vulgaria sunt pietatis documenta. Quod Patribus S. Dominici Pratensis vel omnibus, vel singulis subveniret, infirmis Sororibus praesto esset, flexis genibus cibos ipsis ministraret, non admodum mirum videtur. Quod etiam somni quietisque jactura aegrae Monialium valetudini nunc lectulos sternens, nunc cibos praeparans serviret, quod earum pedes etsi labe infectos suismet manibus ablueret, ablutosque oscularetur, quod ulcera putri sanie manantia quadam cum voluptate tractaret; rarum quidem pietatis genus existimo. Illud tamen novum atque inauditum, quod semet ipsam hostiam Deo offerre pro animarum salute non dubitaret, quod ferventissimas effunderet ipsi preces, ne peccatores cum labe criminis decedere pateretur, quod cum eo denique, ut ita dicam, pacisceretur se ultro poenas laturam, quas ejusdem justitia pro illorum expiatione statuisset. Qua quidem eximia charitate complexa est animas omnes ubique terrarum et locorum ex hac vita demigrantes sive Haereticorum, sive Infidelium, nedum Catholicorum; ut anathema pro omnibus fieri libentissime vellet, pro omnibus libentissime quodvis subire supplicium. Adeo scilicet Proximi amore concitabatur, adeo erat de ipsius salute sollicita, adeo de universi humani generis futura in caelis beatitate cogitabat. »

» Hinc, ut ad singularia deveniam, vix dici potest quanta fecerit, quanta tulerit, ut nonnulli hominum perditissimi ad Deum converterentur, orcique faucibus eriperentur. Ex hoc numero ille largas propter eleemosynas optime de S. Vincentii Coenobio meritus, quem in tenebris pervicaciter ambulantem ad veram vitae lucem revocavit, deduxitque morientem ad gloriae coronam. Ex hoc latronum quidam infestissimus, qui ad ultimum supplicium petitus, spe omni aeternae salutis abjecta, jam jam in manus diaboli tradebatur, quique tamen Catharinae opera resipiscit, pieque moritur: Catharinae, inquam, quae impiam ob ejusdem desperationem tacta dolore cordis intrinsecus sustulit se lecto, quo jacebat infirma, Patremque misericordia-

rum eousque rogavit, donec pereuntis misereretur in copia gratiarum. Ex hoc alii quamplures, quibus propter diuturnas Catharinae ad Deum obsecrationes facta est salus, quosque in hac brevitate temporis recensere minime possem. »

» Id autem ea potissimum de causa factum est, quod ipsa tandem aliquando precibus lacrymisque obortis a Deo obtinuerit, ut a se ipsa adhuc viva omnes repeterentur poenae, quas jure illis debebantur: Propterea cum latronem nuper commemoratum salvasset, integro quidem triennio intensissimo dolore capitis laboravit: Propterea cum Virum dignitate Principem purganti flamma liberasset, acerba sustulit: Propterea cum innumeros justis poenis traxisset, innumeros passa est toto corpore cruciatus, innumeris iisdemque vehementissimis afflicta doloribus, qui naturali causa minime prodeuntes Medicorum scientiam curamque fefellerunt. Qua in re praetereunda non est Catharinae patientia, qua non solum obmutuit, ut mortua sensibus videretur, sed mulieris revera fortis exhibens speciem, hilari vultu laetoque animo cuncta sustinuit. »

» Cum igitur tanta fuerit Catharinae in Proximum, nedum in Deum charitas, ut de heroica ejusdem sanctitate jam sit minime dubitandum, finem Orationi meae, prout a principio pollicitus sum, faciendum intelligis, BEATISSIME PATER. Sine tamen, quoniam pro benignitate tua tam diligenter me audis, sine, obsecro, ut paucissima de sui contemptu ante degustemus »

» Quis igitur vel de se sensit humilius, vel suum corpus tractavit asperius? Quae se omnium infirmam, nec caeterarum consortio dignam putabat; quae ovis et carnibus sua mensa rejectis, solo pane et aqua plerumque sustentabatur; quae ad inediam usque severissime jejunabat; quae laboribus, quae vigiliis corpus macerabat; quae omni denique flagellorum genere sua membra vexabat, cruciabat, dilacerabat. Neque hac durissima vitae ratione per dies aut menses perstitisse credas, sed puta per annos octo et quadraginta. Quamobrem tam rigidam suo corpore in servitutem redacto, non sensit aliam sensus legem suae mentis legi repugnantem, nec cum carne luctata est, quam integerrimam, et Canticorum Sponsae candori simillimam ad mortem usque servavit. »

» Hisce de causis fuit plurimis et maximis divinitus insignita donis, ut arcana cordium penetraret, remota videret, futura praenosceret, infirmos sanaret, se ipsam multiplicaret. Id patuit, quum Mariae Mediceae regias nuptias adhuc infanti praenunciavit, innumeris mulieribus pollicita est prolem, infinitis prope animi consilia detexit, plurimis varia morborum labe affectis sanitatem restituit, pluribus maxima locorum distantia segregatis apparuit. Quod extremum quo mirabilius, eo clarius constat, cum eandem in Pratensi Coenobio versantem et Sororibus, et Puellis in altero Prati Monasterio commorantibus, et laicis Personis, et Mariae Magdalenae de Pazzis Florentiae, et Philippo Nerio Romae se videndam praebuisse certa fide sciamus. »

» Plura adhuc hoc loco commemoranda suppeterent; sed mihi de clarissimae hujus Virginis praestantia et dignitate dicenti, et plura etiam dicere paranti novus tristisque rerum aspectus sermonem abrumpit. Video enim infaustam novi syderis lucem super Catharinae cubiculum recto radio coruscantem, mortemque ipsius portendentem. Video Moniales omnes, facta Catharinae jamjam obeunti corona coroque virgineo; Video, inquam, omnes squalore obsitas moerere, lugere, lamentari. Audio per aera Angelorum concentum citharas prae manibus habentium et clamantium: Veni Sponsa Christi. En igitur Sponsa Christi Eucharistico pane refecta, Dominicae Passioni meditandae intenta ad imaginem Crucifixi Domini sua membra componens, expirat evolatque ad immarcescibilem, quo vocatur, coronam die B. Virgini Purificatae consacrato, millesimo quingentesimo nonagesimo a Christo nato, suae aetatis septimo et sexagesimo. »

» Hic ego quot tum admiranda contigerint, ut ejus facies diuturna maceratione consumpta refloruerit, ut corpore toto et splendor clarissimus et odor suavissimus emanare coeperit, silentio obvolvam. Quanta miraculorum gloria ipsius sanctitas declarata fuerit, ut ipsorum fama ad terrarum longinqua de-

venerit, ipsosque populos undequaque conciverit, minime commemorabo. Illud unum dicam, quo omnia continentur, duos Pontifices Optimos Maximos, Benedictum scilicet XIII. et Clementem XII. amplissimis Decretis atque Judiciis tantae Virginis pietatem eximiam comprobasse, quorum alter de ipsius virtutibus in gradu heroico constare pronunciavit, alter, duorum praesertim miraculorum veritate perspecta, Beatificationis diploma jussit expediri. »

« Ad haec autem duo praeterea accedunt recentiora miracula, quorum utrumque Te coram aequis ponderibus examinatum plene approbandum censuisti. Illud nimirum, quod Mariae Clementinae Staccioli factum fuisse recordaris, cui jamjam moriturae Catharinae pileo ex paleis delato, et pectori imposito reddita est integra sanitas, sublato mirifice cancro exulcerato, cujus acerbitate per octo annos vexata fuerat atque excruciata. Alterum vero, quod Mariae Magdalenae Fabris in Augustiniano S. Catherinae Coenobio divinitus datum est, quae cum vix nostrae Virginis opem implorasset, a molestissima Arthritide in infernis artubus fixa, qua per triennium detinebatur, in pristinam salutem fuit subito revocata, omni soluto, quo carebat, motu membrorum. »

« Quae cum ita se habeant, reliquum est, BEATISSIME PATER, ut tuis pedibus provolutus orem obtesterque per vigilantiam Tuam studiumque sollicitum, quo Dei Ecclesiam tueris, foves, auges, amplificas; Orem, inquam, obtesterque, ut spectatissimam Virginem hanc Catharinam de Ricciis jam inter Beatos a san. mem. Clemente XII. Antecessore tuo relatam, nova prodigiorum luce aucta, Tu modo, una cum tot praeclarissimis Viris, quorum jam causa confecta est, solemni de more ritu Sanctorum fastis adscribas. Id per me unum postulant lectissimae Sorores omnes Monasterii S. Vincentii Pratensis; id inclytus Praedicatorum Ordo cum de Ecclesiastica re, tum de hac S Sede optime meritus: id Pratum et Florentia piissimae civitates, et una Hetruria omnis; id demum universus catholicus Orbis, cui per Te unum in Catharina addi potest nova lux, nova tutela, novum subsidium. Sperandum est enim, ut haec omnium praeconiis celebranda Virgo, ubi publico solemnique cultui ac venerationi proposita fuerit, unitatem tueatur Ecclesiae; optatam, jamque diu bellis ereptam pacem mundo conciliet; Teque et Principem munificentissimum, et Pastorem vigilantissimum diu multumque nostrum omnium felicitati et votis servet incolumem sospitemque. Dixi. »

Orationibus absolutis, Sanctitas Sua, non per semetipsum, sed per Secretarium Litterarum Apostolicarum ad Principes hoc dedit responsum.

Quaecumque non minus ingentes sacrosancti Apostolatus curas in dies propter temporum asperitatem magis magisque increbescentes non levi solatio lenire, quam opportunum in tribulationibus levamen, certum apud omnipotentem Deum in periculis praesidium et salutare ad virtutem incitamentum comparare consueverunt: Omnia SANCTISSIMUS PATER ac Dominus noster in heroicis virtutibus, rebus praeclare gestis ac miraculis beati Josephi a Leonissa, ac beatae Catharinae de Ricciis, Vobis tanta cum vestrae eloquentiae, judicii, doctrinaeque laude enarrantibus, laetus excepit. In serie equidem Actorum beati Josephi ac beatae Catharinae par laudatur innocentiae candor ad mortem usque tantopere servatus; par narratur morbus, non alia contractus causa, quam ut terrenas nuptias, ad quas adigebantur, constantes dispicerent, et caelesti Virginum Sponso Jesu Christo, qui pascitur inter lilia, suum virginitatis florem in horto concluso Religionis, haec quidem Monialium S. Dominici, ille vero Minorum S. Francisci Capuccinorum per solemnia vota dedicantes, intactum custodirent. Hujus autem sanguinum Sponsi imaginem in se ipsis repraesentare cupientes praeter assiduos cruciatus sibi ultro illatos, Catharina sacra Redemptionis Stigmata sinistro lateri, manibus pedibusque cum sanguineis rutilantibusque notis insculpta, spinosum capiti infixum diadema, et sacrosanctae Crucis signa dorso profunde impressa non sine intimis doloribus gerebat; Josephus pede manuque dexteris unco ferreo pro catholica Fide Constantinopoli e sublimi trabe suspensus, per triduum horribili supplicio, fame ac fumo Martyrium fecisset; nisi Angeli beneficio ereptus

curatusque, ad majora in Italia ac mirabilia pro Christi nomine efficienda facinora fuisset reservatus. Porro pro egenorum subsidiis, pro rudium disciplina, pro odiorum extinctione, pro perditorum hominum reditu, pro animarum salute, pro divini demum honoris incremento idem utrique ardor, idem studium, eadem sollicitudo atque eadem ferme ab ipsis patrata miracula. Haec sane omnia atque alia quamplurima etsi Josephum et Catharinam cum Christo ejusque Matre beatissima Virgine Maria et Angelis, quibuscum in terris etiam frequentissime versari et colloqui meruerunt, sempiternam in caelis vitam ducere certissime manifestant; non ante tamen Sanctissimus Pater de publico solemnique cultu iisdem deferendo agere censet, quam invocato consilii et veritatis spiritu, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, in hujusmodi gravissima deliberatione caeleste lumen ostendatur. Eapropter laudatissimis Romanorum Pontificum Antecessorum suorum exemplis insistens, primum quidem Os Domini consulere, deinde vero in Consistorio semipublico tum Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, tum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum Romae degentium sententias exquirere existimat; ut exoptatam tandem, postulatisque olim a Regibus et Principibus, ac saepe a Religiosis Ordinibus cum iteratis precibus a Vobis modo editis maxime expetitam laetitiam rite sancteque possit indicere. Hasce animi sui significationes Sanctissimus Pater jussit me disertissimis Orationibus vestris subjicere.

His peractis SANCTISSIMUS PATER recessit ab Aula Consistorii. Post aliquot vero dies Castrum Gandulphi tertio decimo ab Urbe lapide distans divertit; non tam ut Pontificatus curis distentum relaxaret animum, et salubritate caeli propriae consuleret valetudini, quam ut liberius apud Deum de tota Canonizationis quae jam imminebat, ratione cogitaret. Ob id redeuntibus sacrae Pentecostes feriis, triduo publicas ibi preces haberi voluit. Archipresbyterali igitur eo Templo damascenis aulaeis convestito, et in Ara principe exposito inter undique collucentes faces Augustissimo Eucharistiae Sacramento Veliternos, Tusculanos, Albanos, aliosque finitimos Populos invitavit, plenariam peccatorum Indulgentiam iis omnibus largiens, qui Sacramentali confessione expiati, et caelesti cibo refecti per aliquod temporis spatium in eo Templo piae Pontificis voluntati Deum precibus propitiarent.

Dici vix potest quantus illico Virorum ac Mulierum concursus fuerit ad Templum eo toto triduo, quousque sub meridiem Sanctissimus Pater solemni ritu Pontificali Eucharistia in Crucis formam ter circumducta omnibus benediceret: Exciverat autem e patriis domibus tantam hominum multitudinem cum ipsa celebritas ad quam vocabantur, tum supremi Pastoris erga omnes benignitas et plane perspecta religio, cujus cum viderent impressa ubique vestigia, mirum non est, si ad omnem pietatis sensum eorum animos excitarentur.

Interea quinque Beatorum qui ascribendi Sanctis erant, compendiaria narratione Vitae descriptae jam fuerant. Excerpi hae solent ex publicis Tabulis, quae penes Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium servantur. Eas igitur separatis libellis impressas R. P. D. de Valentibus Fidei Promotor jussu Pontificis, qui nondum Romam redierat, ad Eminentissimos Dominos Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, quorum non pauci in Urbem peregre veniebant, transmittere curabat, ut ex hujusmodi Beatorum Vitis agnoscere quisque posset quid sibi ad majorem Dei gloriam et catholicae Fidei incrementum circa eorumdem Canonizationem consulendum Sanctissimo expeditius tutiusque videretur. Haec quae sequitur superaddita libellis erat Instructio in unoquoque ex quinque ordinatim habendis semipublicis Consistoriis adamussim servanda.

Methodus servanda

In semipublicis Consistoriis ante proxima indictae Canonizationis sollemnia, ex ritu habendis.

In singulis hujusmodi Consistoriis de uno tantum Dei Servo ex quinque in Sanctorum numerum cooptandis tractabitur prout infra:

In primo agetur duntaxat de beato ***FIDELI a SIGMARINGA*** *Martyre Ordinis Mino-*

rum S. Francisci Capuccinorum; In secundo; de beato CAMILLO de LELLIS Clericorum Regularium Ministrantium infirmis Fundatore; In tertio; de beato PETRO REGALATO Ordinis Minorum Observantium S. Francisci; In quarto; de beato JOSEPHO a LEONISSA pariter Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Confessoribus; et in quinto; de beata CATHARINA de RICCIIS Ordinis Praedicatorum Virgine.

Eminentissimi Domini Cardinales Cappis violaceis ex camellotto induti erunt.

Reverendissimi Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi omnes in Urbe praesentes, necnon DD. Protonotarii, duo antiquiores Rotae Auditores, et Camerae Apostolicae Procurator Fiscalis eas respective deferent Cappas, quibus in Pontificio Sacello uti solent.

Sanctissimi Domini Nostri brevis allocutio Actioni dabit initium, eaque Fratrum suffragia exquiret.

Eminentissimi Cardinales, ac Reverendissimi Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, suo proprio servato ordine, paucis suum sensum aperient.

DD. Cardinales dum sententiam prodere incipient, sigillatim nudato capite assurgent, eamque bireto tecti prosequentur sedentes.

Superius recensiti Praesules ferentibus suffragia Eminentissimis Patribus, sedebunt capite operto: Stabunt vero cum Summus Pontifex verba faciet.

Surgent autem ipsorum singuli, statim ac primus Patriarcha sententiam dicturus assurget; Sicque jugiter permanebunt, donec ultimus Episcoporum loqui desierit. Auditis cunctorum Placitis, iterum Papa sermocinabitur.

Mox Procurator Fiscalis Camerae consueta forma adstantes DD. Protonotarios rogabit, ut publicum Actorum documentum conficiant.

Eorumdem Decanus ad Pontificis Familiares conversus illos advocabit in Testes; sicque Consistorium absolvetur.

Meminerint omnes Eminentissimi Cardinales, aliique Reverendissimi Suffragatores, quod propriam quisque sententiam scriptam atque subscriptam tradere debet singulis vicibus eadem in Aula Consistoriali Reverendissimo Secretario Congregationis Sac. Rituum, vel ejus loco uni ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris.

Ideo etc.

COMPENDIUM

Vitae, Virtutum, Martyrii, et Miraculorum, necnon Actorum in Causa Canonizationis BEATI FIDELIS a Sigmaringa Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum, Praefecti Missionis Apostolicae in Rhaetia, et Sac. Congregationis de Propaganda Fide Protomartyris.

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

« Sigmaringae Constantiensis Dioecesis Oppido satis nobili in Sveviae Ducatu ex non obscura Rejorum familia genitus Fidelis in lucem prodiit anno a partu Virginis millesimo quingentesimo septuagesimo septimo. Sacro Baptismatis fonte caelo renatus, et a prima aetate a piis catholicisque parentibus iis studiis addictus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, singulari morum candore et honestate apertum dedit de futura sanctitate praesagium. Adolescens ad Friburgensem Academiam missus, cum ibi studia scientiarum cum magno pietatis ardore conjungeret, brevi in utroque ita profecit, ut non minus virtute quam doctrina ceteris omnibus antecelleret. Cum vero praeter Philosophiae, Theologiae, et utriusque Juris peritiam accessisset etiam exterarum linguarum singulare ornamentum, factum est, ut nobilissimi aliquot inter Germanos eum seligendum putaverint tanquam magis idoneum, cui Magistro, Custodi, atque Rectori Filios committerent in Italiae Galliaeque itinere peragendo. Eorum precibus cum se Fidelis facilem praebuisset, ita se in eo munere praestitit, ut et Deo et hominibus probaretur. Sex enim annorum spatio, quibus iter illud confectum fuit, commissos sibi Adolescentes ita gubernavit, rexit, erudivit, ut in Patriam cum fuissent reduces, non minus insigni in Deum pietate imbutos eorum parentes confessi sint, quam multiplici rerum cognitione versatos. »

« Friburgi paulo post ritu solemni utriusque Juris laurea ceterisque doctrinae insi-

gnibus decoratus in Alsatiam perrexit, ut Ensishemii Advocati munere fungeretur. Vix tamen in Fori lucem egressus Fidelis fuerat, causasque coeperat agitare, cum animadvertens inane esse atque vanissimum quidquid honoris quidquid dignitatis aut lucri a Forensi exercitatione se aliquando consecuturum sperare poterat, imo etiam quanti alea illa in animae suae perniciem foret plena periculi, nuncium illi remittere statuit, seque totum divini Numinis obsequio mancipare. Per arduum igitur virtutis iter incedere cupiens, cum aliquot ex rigidioribus Ordinum Institutis consideranda sibi ob oculos proposuisset, illud potissimum seligendum putavit, quod Patribus Capuccinis est peculiare, quodque proposito sibi fini assequendo omnium aptissimum videbatur. Neque cunctatus; Cum, ut in eam Religionem admitteretur infimis precibus postulavisset, facilem aditum apud eos Patres doctrinae et virtutis ejus minime ignaros invenit. Antequam vero tam difficile perfectionis iter ingrederetur, quasi ascensiones in corde suo dispositurus, sacris prius Ordinibus voluit initiari, seque Domino per Sacerdotium consecrare. Die igitur ipsa quae Seraphico Patriarchae Francisco solemnis est, primum fecit Sacrum incredibili spiritus sui fervore: Quo peracto veterem expoliatus Hominem cum actibus suis, novumque simul cum habitu Religionis indutus, qui secundum Deum creatus est, nova ingressus fuit tirocinia evangelicae perfectionis. Quo tempore cum deposito quo antea vocabatur Marci nomine, Fidelis appellari maluisset, Magister Novitiorum quasi prophetico illustratus lumine, quid de Fideli futurum erat, divinaret: *Et tu* (inquit) *esto Fidelis usque ad mortem, et accipies coronam vitae.* »

« In eo stadio cum se positum Fidelis cerneret, quod tot votis ardentibus concupiverat, mirum est, quantum ad currendam viam exultaverit sicut Gigas. Seraphici Patris imitator egregius tot edere statim coepit humilitatis, obedientiae, ac ferventissimae devotionis exempla, ut et Tyronibus et illis emeritae sanctitatis hominibus praeluceret. »

« Expleto itaque tot inter incrementa virtutum tempore Probationis tanto pietatis sensu emisit Vota solemnia, ut inter principaliora beneficia, quae Deo referebat accepta, votorum Religiosorum gratiam recensendam putaret, et de agendis pro ea Domino gratiis, quam de ipsismet peccatis suis illum sollicitudo major urgeret. Hinc sermo illi familiarissimus postmodum semper fuit de commemoranda eorum felicitate, qui in domo Domini plantati sunt, suique cordis explicando dolore, quod ex seculi tempestatibus in tutissimum Religionis portum se citius non recepisset. »

« Fidelem interea novis votorum stimulis ad altiora perfectionis culmina properantem singulari quodam amore atque benevolentia Superiores Ordinis complectebantur. Admirabantur in eo siquidem praestantissimam Juris utriusque peritiam cum insigni animi humilitate conjunctam, juvenilem aetatem cum peculiari morum gravitate atque prudentia copulatam, exactam disciplinae Regularis observantiam ab humanitate, officio, comitate minime segregatam. Hinc raro inter Capuccinos exemplo maturius quam fieri soleat Christifidelium Confessionibus excipiendis addictus est, ipsique commissum Apostolicum Concionatoris munus. Utrumque autem tanta assiduitate, diligentia, et Religionis zelo Fidelis exercuit, ut plures miseras animas vitiorum coeno involutas a Diaboli servitute, in qua diu multumque jacuerant vinculis voluntariis adstrictae, omni prius labe purgatas, in filiorum Dei libertatem feliciter asseruerit. Neque enim aut humana prudentiae carnis dictamina, aut potentum invidia, aut voces malevolorum, aut conatus Haereticorum efficere potuerunt, ne poscentibus Poenitentiae Sacramentum domi forisque ministraret, ne contra peccatores inveheretur, ne contra Haereticos declamaret, ne totis quibus poterat viribus malos mores evellere conaretur. Hinc ejus opera laboribusque plurimi haereseos infecti ad Ecclesiae sinum reducti: perditissimi homines ad meliorem frugem revocati: inveteratae compositae simultates: jussae a Fidelium ore exulare blasphemiae: compositae ad omnen modestiam mulieres: a Christianorum cordibus atque corporibus eliminata luxus, superbiae, luxuriae vitia. Licet enim bellum implacabile peccatis omni-

bus indixisset, tamen explicari non potest quanto animi ardore, assiduitate dicendi, eloquentiae conatu, modis omnibus haec praesertim vitia, quae tunc temporis in iis Regionibus grassabantur, insectaretur. »

« Cum vero in Fideli zelum fortem quidem Superiores Ordinis animadverterent, non tamen asperum illum atque humanitatis expertem, sed cum admirabili quadam prudentia conjunctum, simul publicae Fidelium et privatae Ordinis utilitati consulere volentes, eum Vitchyrchiensis Coenobii regimini admoverunt. Quo munere non ambitus vitio, sed obedientiae virtute suscepto, nihil antiquius habuit quam ut forma fieret gregis, singulasque Regularis disciplinae Magistri partes impleret. Ipse igitur divinis laudibus persolvendis statis horis semper adesse: omnia etiam humillima Religionis munia promptius obire: per multum temporis spatium in publica mensa se flagellis saepissime caedere: Aegrotis inservire in abjectissimis ministeriis, eisque omni ope praesto esse et auxilio: afflictos recreare: Errantes corripere: Valentes corpore avocare a desidia: Ferventes cogere ad requiem: suave Christi jugum omnibus allevare: omnes in sanctam animorum societatem et perfectam Christi charitatem unire: omnes ad currendum Religiosarum virtutum stadium verbo exemploque animare. »

« Interea vero sollicitus, ne dum aliis praeerat dignitate et imperio, rebellis adversus spiritum caro sibi ipsi dominaretur, ciliciis, inedia, vigiliis atque omni poenarum genere ita eam afflixit, ut in servitutem perpetuam plane redegerit. Cum tot apud Capuccinos solemnia jejuniorum tempora sancita lege serventur, ut jejunando anni pars maxima ab iis Patribus transigatur, multo tamen plura Fidelis addidit: A die scilicet festo beatae Mariae Virginis in Caelum assumptae usque ad eum, qui S. Michaeli Archangelo sacer est, ita jejunare consuevit, ut neque in itinere constitutus de hujus jejunii rigore voluerit unquam remittere: singulis totius anni secundis, quartis, et sextis feriis, ab omni prorsus carne exacta observata abstinentia, paucis tantum leguminibus utebatur: Adventus vero et Quadragesimae tempore, sicuti etiam in omnibus Apostolorum Sanctorumque nonnullorum vigiliis tam rigidum sibi jejunium indixerat, ut modica panis vinique quantitate contentus, nullis praeterea cibis calidis vesceretur; Quin etiam, ut omnibus beatae Mariae Virginis suique Ordinis Sanctorum festivis diebus puriori ferventiorique spiritu se praepararet, in eorum pervigilio, praeter modicum panis et aquae haustum, nihil aliud sibi penitus permittebat. Nec illud silentio praetereundum, quod jejuniorum tempore eam sibi praescripserat rigidissimam legem nulla unquam ratione violandam, ut ad vesperas, nisi forte sequenti die concionaturus, a cibis omnibus abstineret. Neque magis indulsit somno, quam cibo; Eo enim usus est ita parco, ut, cum orationi, lectioni, scribendisque concionibus maximam noctis partem tribueret, tres, ad summam quatuor horas in sacco stramineo provolutus dormitando consumeret. »

« Adeo igitur mortificatus carne cum foret, illud Fidelis est consecutus, ut spiritus vivificatus non solum intactum illibatumque ab omni mortifera peccati labe corpus animumque servaverit, sed promptior alacriorque in Deum elevaretur. Usque enim adeo oratione cum vocali, tum mentali delectabatur, ut nec noctu invictum ab ea spiritum relaxaret. Praeter horas canonicas ab Ecclesiae, et Franciscanae Familiae Ritu praescriptas, quas simul cum ceteris Fratribus graviter decenterque psallendas in choro curabat, ea etiam officia recitare solitus, quae beatae Mariae Virgini, sanctoque Francisco sunt peculiaria, ab iis nullis unquam diebus abstinuit; quin etiam post completas nocturno tempore eas laudes, quae Matutinae dicuntur, ceteris cubitum repetentibus, ipse in Ecclesia coram Sanctissimo Sacramento flexis genibus perseverans, sanctae orationis studia usque ad auroram prosequebatur. Divina vero mysteria tanto mentis ardore, tanta sui spiritus suavitate meditabatur, ut contemplatione aliquando defixus atque in Deum raptus immobilis multo tempore permaneret. Porro qualem ac quantum suavitatis odorem Fidelis orationes emitterent coram Domino, ex eo facile dignosci potest, quod, duo solitus cum fuisset ab eodem enixis precibus postulare, scilicet, ut vitam ab omni peccato immunem traduceret, fidemque

suo sanguine confirmaret, utriusque voti compos effectus est. »

« Neque vero in hac claustrali tantum, atque domestica vivendi ratione, quam non interrupto exercitio virtutum usque ad exitum vitae est prosecutus, ultimam perfectionis atque virtutis suae metam sitam esse Fidelis voluit; sed, quod magis mirandum est, eam cum admirabili quadam Proximorum charitate conjunxit. Numquam igitur magis exultare in Domino videbatur, quam cum aegrotos inopes homines inviseret, solaretur, blandis piisque sermonibus recrearet: Detentis in carcere ea, quae poterat, cum animae, tum corporis solatia conferret: Collectis ex divitibus eleemosynis aliorum inopiam omnium ipse pauperrimus sublevaret: Viduarum et Pupillorum causas apud ipsos etiam Principes promoveret. Austriacas Copias pestilens quidam graveolensque morbus invaserat, quo correpti miserandum in modum Milites squalore confecti, viribus debilitati, omni destituti auxilio, vel in nuda humo, vel super tabulas, ut apud Milites moris est, decumbere cogebantur. In hac tanta miserorum hominum calamitate explicare quis satis possit, quantum Fidelis charitas emicuerit? Quos enim alii seu metu morbi, seu incredibili corporum foetore repulsi diligentissime declinabant, eos ipse singulos saepissime invisere, eorum ulcera pertractare, eorum tabem abstergere, eorum pedes lavare, eorum confessiones in terram pronus excipere, eorum sanitatem collectis undique delicatioribus cibis, conquisitis undique opportunioribus medicaminibus procurare, eorum necessitatibus subvenire omni, qua poterat, ope tamdiu non destitit, quamdiu calamitas illa Vitchyrchii perseveravit. »

« Verum nullum unquam majus, praeclariusque Fidelis dedit suae in Proximos ardentissimae charitatis argumentum, quam invicto illo, quo usus est, zelo in evellendis radicitus ab eorum animis perversis quibusdam moribus, et orthodoxa inter eos Religione tuenda. Cum enim frequentissimis concionibus suis induratam scelestorum quorumdam hominum mulierumque pervicaciam infringere minime potuisset, nihil veritus eorum minas, vitae periculum nihili faciens, omni conatu adhibito, ab iis, quibus gubernanda commissa fuerat Civitas, decretum obtinuit, quo cavebatur, ut vel resipiscerent, vel Senatus consulto deleti a Civium numero in posterum exularent. Quin etiam cum plures Haereticorum libri per Germaniam Italiamque postea evulgandi ad Vitchyrchienses Mercatores transmitterentur, publiceque prostarent, non modo effectum est Fidelis opera, ut hoc illis eodem Senatus consulto fortiter inhiberetur, sed ubicumque in privatis etiam aedibus libros hujusmodi reperiret, eos ipsemet suis manibus tollere secumque abducere non dubitabat. »

« Voluntariis hisce frequentibusque veluti pugnis atque conflictibus exercebat sese Athleta Christi fortissimus, praeparabatque ad magnum illud periculosumque certamen, quod erat paulo post pro amplificanda Religione catholica subiturus. Non multos ante annos Rhaeti, qui illam incolunt Alpium partem, qua Germania ab Italia dividitur, ex nimia cum Pagis Helveticis vicinitate, haereseos peste contracta, infeliciter tabescebant. Quin etiam, cum jam prope esset, ut in vicinas catholicas Valles penetraret, maxime verendum erat, ne ob assiduam cum illis Populis consuetudinem et mercimoniorum commoditatem sensim omnem Cisalpinam Galliam labefactaret. Huic tam gravi morbo tantoque vitando periculo, cum magno praesentique remedio opus esset, re diligenter a Summis Pontificibus Paulo V. et Gregorio XV. considerata, statutum est, doctos aliquot religiososque Viros in Rhaetiam esse mittendos, qui Religionis zelo inflammati et evellerent, et dissiparent, et plantarent, et aedificarent. Quoniam autem diuturno experimento compertum fuerat, Capuccinos, siculi Apostolicam vivendi formam adeo egregie et fideliter imitantur, ita omnium aptissimos esse Apostolicis hisce muneribus obeundis, ii potissimum inter ceteros delecti sunt, quibus id muneris committeretur. Cum vero inter Capuccinos ipsos morum integritate, scientiarum splendore, vitæ sanctimonia, prudentiae luce, linguarum peritia, Religionis zelo unus Fidelis omnibus emineret, dubitandum diu non fuit, cui inter alios, tanquam Duci, hujuscemodi Provinciam Superiores Ordinis demandarent. »

« Eam autem quam forti alacrique animo Fidelis susceperit, quam egregie praeconceptae de sua virtute opinioni responderit, norunt ii omnes, qui imperterrita quadam corporis animique constantia et diuturnos maximosque exantlantem labores viderunt, et certissima capitis pericula subeuntem: Novit Ecclesia, quae tot errantes miseros filios in viam salutis Fidelis opera revocatos in sinu suo laetissima excepit: Norunt Haeretici ipsi, qui, cum Spiritui sancto per Fidelem loquenti resistere minime possent, egregium de ejus doctrina, sanctitate, zelo testimonium summa ipsius laude ferre coacti sunt. Et revera, ne pretiosissimo Christi Sanguine redemptas animas lucrifaceret, suumque ministerium impleret, non hyemales montium asperrimorum altissimae nives, non intentatae ab Haereticis minae, non fames, non nuditas, non sitis, non frigus, non persecutio, non gladius deterrere potuerunt. Imbre madidus, sudore perfusus, viribus destitutus montana quaelibet ardua conscendebat, loca omnia nivibus et glacie quantumvis obsita penetrabat, et in ipsis Haereticorum Templis catholicae Fidei dogmata praedicare non verebatur. »

« Inter haec vero, ut propositum sibi finem facilius assequeretur, et universam Provinciam brevissimo tempore ab omni haereseos labe purgaret, in eo praecipuam operam duxerat collocandam, ut Principes, et nobilissimi Religionis illius Homines ad saniorem mentem, ejuratis erroribus, primo revocarentur; ut ii, qui apud Haereticos Praedicantes vocantur, supremo Edicto Principis ab universa Rhaetia exulare juberentur; ut omnes bis in hebdomada adesse catholicis dogmatibus explicandis audiendisque concionibus cogerentur. Quae omnia cum ipsi feliciter contigissent, stratam sibi gaudebat sanctissimus Vir amplissimam viam ad victoriam certissime consequendam. Neque spe sua frustratus est; licet enim eam inde victoriam non omnino fuerit consecutus, quam animo reputabat, triumphum tamen inde in semetipso retulit singularem. Inde scilicet factum est, ut scelestissimi quidam inter Haereticos pertinacissimi, cum de rebus suis diffiderent, si diutius Fidelis viveret, furore in sanctissimum Virum amentes de ipso mactando nefarium consilium inirent, atque executioni mandarent. »

« Vitchyrchio, quo se ad paucos dies contulerat, redux in Rhaetiam Fidelis, peragratis aliquot Oppidis, pluribusque concionibus habitis, in Pago quodam (Luceyn Incolae dicunt) tunc forte constiterat concionaturus. Interea ex vicino Seviensi Pago delecti sunt, qui Fidelem pietatis simulatione adeuntes rogarent, ut Dominica prima ad eorum Ecclesiam sese conferret concionem ad Populum instituturus. Quin etiam, quo facilius scelestissimi Homines voti compotes fierent, multis pollicentur, se dicto audientes futuros, nihilque praetermissuros, quod ipse faciendum, praestandumque proponeret. Intellexit quidem Vir prudentissimus, se fraudibus et insidiis circumveniri, quod postea ipso rei exitu probatum est. Sive vero, quam tandiu concupiverat, Martyrii palmam sibi tandem oblatam respuere minime vellet, sive Apostolico, quo fungebatur, muneri aliqua ex parte deesse videri nollet, illorum simulationi morem gerendum putavit. »

« Postero itaque die, cum in primis Rem Deo sacram fecisset, profectus ad Ecclesiam in Sevis concionem ad frequentissimum Populum habiturus suggestum ascendit. Ibi vero patefactis subito insidiis, tempus illud praesens esse cognovit, quod prophetico illustratus lumine venturum saepe praedixerat, quo scilicet sibi erat, illata ab Haereticis crudeli nece, obeundum. Vix enim in Rostris fuit, cum haec verba certissimum imminentis mortis indicium ibi inscripta perlegit. *Hodie praedicabis, et non amplius.* Qua tamen re ceteri animum despondissent, et periculi magnitudine territi mente concidissent, tantum abfuit, ut Fidelis commoveretur, quin etiam caelesti inflammatus charitate erectus et confirmatus est. Divina igitur virtute fretus, majoremque praeter consuetudinem alacritatem ostendens, impavidus concionem sacram aggreditur: Cum subito armata hominum Haereticorum manus impetu repentino in Ecclesiam irrumpit, altissimos insanosque clamores tollit, ingentique concitato tumultu adstantem Populum incredibili terrore et confusione perturbat. Quin etiam audacior quidam et furibundus, ignito globulo contra Fi-

delem exploso eumdem in ipso suggesto trajicere conatus est. Cum vero globulus, eo inoffenso, contra Sicarii mentem fuisset alio delatus, Fidelis periculo, quod declinare non poterat, animadverso, invictum sedatumque animum gerens inter Populi strepitum clamoresque descendit, et ante majorem aram flexo utroque genu procumbens, certissime moriturus se, Catholicos, suosque ipsosmet hostes haereticos Domino commendavit. Veritus vero, ne in tanta rerum perturbatione atque tumultu multi, qui ex Catholicis aderant, sui causa mali aliquid paterentur, per patentem ex Ecclesiae latere portam egressus est. Vix autem secesserat aliquantulum e Templi foribus, cum furore amentes, crudelitatem rabiemque toto ore spirantes nefarii quidam Fidelem circumveniunt, ensibus ferratisque fustibus immanissime caedunt, et repetitis frequenter ictibus tamdiu contundunt, quamdiu vulneribus supra viginti saucius suo sanguine foedissime maculatus, oculis ad Caelum, quoad poterat, paulo sublatis, animam, plaudentibus et mirantibus Superis, exhalavit octavo Kalendas Maji anno salutis nostrae millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. »

« Porro quanta fuerit in obeunda morte Fidelis animi magnitudo, ipsi, Haeretici satis norunt atque testati sunt. Cum enim quidam ex illa Sicariorum coborte gloriabundus in omnium coetu narraret, Fidelem praesentissimae mortis aspectu nec territum, nec perturbatum, imo hilari laetoque vultu in suo corpore vulnera quaelibet excepisse, Haereticus praeco tanta commotus animi fortitudine, ejurata illico haeresi, Catholicus effectus est. »

« Sacrum Martyris corpus prope eumdem locum, ubi fuerat interemptus, primo sepultum, ad Ecclesiam deinde Curiensem ab Austriaco exercitu triumphali pompa delatum est die quinta Novembris ejusdem anni, Clero universo Populoque euntibus obviam, illudque ea insigni veneratione prosequentibus, quae tanto Christi Martyri debebatur. »

« Haeretici vero diuturnam ex tanto facinore voluptatem capere minime potuerunt; Cum enim a Leopoldo tunc temporis Austriae Archiduce per summum nefas defecissent, collectisque copiis adversus Austriacos arma cepissent, dum signa cum ipsis conferunt, sese illis, tanquam Austriaci exercitus Caput, spectandum Fidelis praebuit divino lumine circumfusum, ensem manu vibrantem aspectuque eos terribili minitantem: Quem cum inter ceteros ipsemet Haereticorum Dux fuisset intuitus, territus et semianimis fugam statim capessere coactus est. Cujus rei fama multorumque insignium miraculorum, quae ad manifestandam sui Martyris gloriam a Deo patrata fuerant, longe lateque vagata, summo postmodum fuit Principibus Populisque incitamento, ut tanti Martyris patrocinio se multis precibus commendarent. Quoniam vero eos inter Operarios, qui excolendam vineam Domini jussu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide susceperant, primus Fidelis fuerat, qui eam proprio sanguine irrigaverat et foecundaverat; Hinc ut etiam de seipsa tam benemerito Protomartyri suo majores, quas in terris poterat, grati animi vices eadem Congregatio rependeret, ejusdem opera subito factum est, ut de eo inter gloriosiores Christi Martyres recensendo ageretur. Quod ut citius obtineretur, dato ad Urbanum VIII. Pontificem Maximum supplici libello, Sacra eadem Congregatio impetravit, ut omissis iis Processibus, qui auctoritate ordinaria fieri consueverunt, Apostolici tantum conficerentur. »

« Ii vero probe riteque confecti cum fuissent, et ad Urbem delati, cumque ad rigidissimum examen de more revocata fuissent cum martyrium et causa martyrii, tum signa atque miracula, quae ipsum fuerant consequuta, demum in generali Rituum Congregatione coram Benedicto XIII. Pontifice Optimo Maximo habita die vigesima quarta Mensis Februarii anni millesimi septingentesimi noni decretum est: *Constare*, quod in odium catholicae Fidei interemptus vere Fidelis fuerit; quatuorque ex pluribus adprobata miracula. Primum est, quod exorto in arce Majenfeldensi maximo incendio, post invocatam Fidelis opem statim extinctum est. Secundum, quod cum Soror Caecilia Munsingerin Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis mamillam dexteram horribili quodam modo inflammatam haberet, doloresque acerbissimos pateretur, vocato Fidelis auxilio, statim tumor omnis, omnis

dolor evanuit. Tertium, quod, cum infantulus Franciscus Papussin vix in lucem editus dexterum oculum primo fluentem, mox densa suffusione obnubilatum habuisset, foramen quoque in medio ocelli conspectum de humore crystallino profluente suspicionem maximam ingessisset, Medicus vero, tanquam re desperata, opem ferre recusavisset, Matre ad Fidelis opem confugiente atque vovente, se diem vigesimam quartam Aprilis qua martyrium passus fuerat, inter solemnes habituram, soluto voto, Puer ita sanatus est, ut nullum in oculo remanserit praeteritae infirmitatis indicium. Quartum denique, quod, cum Gaspar Stigler ex Pago Gisingensi quinque annorum spatio laterum tergorumque tam acerbo dolore fuisset afflictus, ut cuique labori, imo etiam motui impotens esset, postquam se Fidelis patrocinio commendavit, eoque gladio contactus fuit, quo dicebatur fuisse percussus illico pristinae sanitati primisque viribus restitutus est. »

« Quapropter, cum Sacra eadem Congregatio Servum Dei inter Beatos solemni Ritu recenseri posse dixisset, idem Benedictus XIII. dato diplomate, die decima secunda Mensis Martii anni millesimi septingentesimi vigesimi noni de Fideli Beatorum fastis adscribendo Decretum emisit, indulsitque, ut in universo Ordine Minorum S. Francisci Capuccinorum, in Urbe Curiensi, Sigmaringae, Friburgi, atque Vitchyrchii in ejus honorem Officium ac Missa de communi unius Martyris quotannis anniversaria illius mortis die recitaretur. Percrebrescente vero postmodum illius sanctitatis fama, Pontificia sanctione permissae sunt propriae de beato Fideli martyre Lectiones a Sacra Rituum Congregatione, audito Fidei Promotore, adprobatae, ejusque nomen una cum illis, quae in Romano Martyrologio leguntur, annumeratum. »

« Causa iterum reassumpta, novi paulo post efformati fuerunt Apostolica auctoritate Processus, ut, quae post cultum indultum dicebantur patrata, miracula probarentur. Itaque post perpensam diligenter admissamque eorum validitatem, ad examinandam eorumdem miraculorum veritatem atque substantiam deventum est: Cumque in pluribus Congregationibus fuissent bene discussa, et in ultima generali duo ex quatuor plenis Patrum suffragiis adprobata, tandem aliquando die decima octava Mensis Januarii anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. Pontifex Optimus Maximus peculiari Decreto suo Apostolicae confirmationis iis robur adjunxit. Primum ex iis fuit Fr. Carolus a Mediolano ex Ordine Capuccinorum Professus a morbo epileptico, quo per decennium laboraverat, momento sanitati pristinae adeo restitutus, ut infirmus fuisse nullatenus videretur. Alterum in Josepho Kirner Puero quadrienni patratum est: Hic enim ob rachitidem triennalem omnem pedum usum amiserat; sed a Matre ad Ecclesiam Capuccinorum cum fuisset ductus, beatoque Fideli ante ejus imaginem fervidis precibus commendatus, consolidatae subito sunt bases ejus, relictisque, quibus corpus regebat, fulcris, ita recte ambulavit, ut suis ipse pedibus Domum redierit, sanusque semper incesserit. »

« Postremo, cum die vigesima quarta Mensis Martii ejusdem anni in generali Congregatione coram Sanctitate Sua solemnem beati Fidelis Canonizationem tuto perfici posse Patres unanimes affirmassent, eadem Sanctitas Sua preces prius ipsa fundere statuit, et ut a Christifidelibus funderentur indixit. Die demum vigesima quarta Mensis Aprilis, qua Martyrii beati Fidelis anniversaria memoria recolitur, cum in Ecclesia Capuccinorum fecisset Sacrum ad illud Altare, quo ejusdem beati Martyris Reliquiae erant expositae publicae Fidelium venerationi, Decretum expediri mandavit, ut Sanctorum Albo idem Fidelis adscribi posset. Pro cujus Decreti executione post Regum, Principum, Sacraeque Congregationis de Propaganda Fide supplicationes usque a causae initio sanctae Sedi porrectas, humillimas etiam preces suas reverenter exponit tota Capuccinorum Familia. »

COMPENDIUM

Vitae, Virtutum, et Miraculorum, necnon Actorum in Causa Canonizationis BEATI

CAMILLI de Lellis Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

• BUCLANICI, quod Oppidum satis honestum est Theatinae Dioecesis in Regno Neapolitano, natalem diem sortitus est Camillus de Lellis octavo Kalendas Junii anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo. Qualis autem futurus esset, divinis pluribus praesagiis, antequam nasceretur, ostensum est: Inter quae illud est celeberrimum, quod dum eum Mater haberet adhuc in utero, visa est sibi Puerum peperisse gestantem Crucem in pectore, quem praeeuntem, veluti Ducem, sequebatur ingens puerorum turba eadem Cruce condecorata. Et revera tanto praesagio certa spes visa est effulgere. Sacro siquidem fonte renatus, et a Parentibus pie ingenueque educatus, tale de se Puer specimen praebuit indolis facilitate et morum integritate, ut vere praeventus a Domino in benedictionibus dulcedinis judicaretur. O tamen difficilem in adolescentia Hominis viam! Nondum pubertatis annos Camillus attigerat, cum sensim in vitia deflectens, ita perdite coepit aleis indulgere, ut dies noctesque in iis impenderet. In qua pessima sequenda vitae ratione cum se postea eo tempore confirmasset, quo Patrem secutus nomen militiae dedit, multo tamen adhuc vehementius, Patre paulo post morte sublato, summo suo jure ad otium et aleas abusus est. Quo tempore illud maximae fuit omnibus admirationi, quod ab execrando blasphemiae vitio semper abhorruit. Divino tamen judicio atque permissu sortem adeo infensam et iniquam in aleis expertus fuit, ut, profligato quam citissime patrimonio, universaque domestica re consumpta, debuerit Romae in Nosocomium sancti Jacobi Incurabilium secedere non tam, ut ab ulcere, quod in tibia itinerando contraxerat, convalesceret, quam ut Infirmis famulando in abjectissimis ministeriis suorumque natalium conditione alienissimis sibi victum quomodolibet procuraret. Cum vero natura, voluntate, consuetudine ad aleas raptus se ab iis cohibere non posset, et Superiorum monitis nihil proficeret, ne simili peste ceteros labefactaret, a Nosocomio dimissus est. •

• Roma in Dalmatiam profectus cum esset, et Castra Veneta contra Selymum Turcarum Tyrannum secutus, a praesentissimis, quae in variis conflictationibus obiit, mortis periculis divinitus liberatus, anno tandem millesimo quingentesimo septuagesimo quarto in Regiis triremibus Neapolim appulit. Illic reliqua sua re omni in aleas projecta, ne ipso quidem excepto, quo operiebatur, indusio, seminudus et rerum omnium egentissimus Manfredoniam secessit. In ea Urbe ex Patrum Capuccinorum charitate in eorum Coenobio receptus, cum ad vilissima quaeque Conventus ministeria adhiberetur, brevi laboriosae ejus vitae pertaesus, pristinam libertatem et anteactae vitae licentiam animo meditabatur. Clementissimus tamen Dominus, a quo Camillus ad tantam Proximorum utilitatem suique ipsius gloriam praeordinatus fuerat, ut diutius erraret in invio, non passus est. •

• Ex Castro sancti Joannis, quo Superioris jussu se Camillus contulerat, jumento insidens quadam die Manfredoniam revertebatur: Cum ejus animum nunquam magis quam eo tempore a meliori fruge remotum inopinata et vehemens circumfulsit de Caelo lux, anteactae vitae ignorantias objecit ipsi ante oculos contemplandas, permovit, perterrefecit, eaque specie concussum ac deturbatum humi prostravit: Tum in salutarem ipsum compulit doloris amaritudinem, qua ex Saulo in Paulum, ex vase irae in vas misericordiae illico pertransiret. Vera mutatio dexterae Excelsi! cum deinceps ne leviter quidem amplius deliquisse perhibeatur. Ut ergo stetit ex eo lapsu, Manfredoniam reversus ad Superioris pedes provolutus, de induendo ejus Religionis habitu qua precibus qua lacrymis impetravit. •

• Vix itaque compos voti factus, orationis, poenitentiae, praecipue vero evangelicae humilitatis studio ita brevi profecit, ut proprio quasi nomine Frater Humilis appellaretur. Interim vero pristino illo ulcere in tibia recrudescente, cum in eo curando omnis Medicorum opera evaderet irrita, proin-

deque austero illi ac plane laboriosissimo vitae Instituto impar judicaretur, ex eorum Patrum sententia dimissus semel et iterum fuit. Rem aequo quidem animo tulit Camillus, ut erat Deo conformis; sed Capuccinos novis adhuc precibus etiam atque etiam rogare tamdiu non destitit, quamdiu ex Dei voluntate non esse intelligens, ut in illo viveret Ordine, Romam iterum cogitavit. »

» Huc ut venit, cum is, qui hominum corda regit Deus, res ita disposuisset, ut eidem Nosocomio, a quo paucos ante annos ignominiose exulaverat, nunc honorifice Oeconomus praeficeretur, dici vix potest, quam sedulum diligentemque sese in tali munere praestiterit administrum. Non solum siquidem ea omnia Infirmis remedia procurabat, quibus tum corpus ad salutem juvaret, tum spiritum ad Deum erigeret, sed eas omnes delicias diligentissime conquirebat, quibus a morbi molestia relevarentur. Hinc ipsemet iis semper adesse: Eos, qui maxime stomachum provocarent, morbos minime fastidire: Ulcera tabo manantia attrectare, tergere, circumligare, fovere: Omnes adhortari ad patientiam: Omnibus quam vehementem poterat Dei amorem insinuare et ingerere: Eos potissimum, qui in vitae discrimine versarentur, sacramentalis gratiae refectione stabilire in gratia et charitate: si penderent animis, revocare in spem: si bene rebus suis confiderent, confirmare: vindicare a rugitu circumeuntis Leonis, liberare a perditione, ac plane rapere ad gloriam. »

» Haec autem ipse dum ageret sponte solisque impulsus stimulis charitatis, vehementissime non poterat non dolere, quod ii, qui multa mercede conducebantur, ut in Infirmorum cura omnem impenderent operam, negligentius et minus accurate, quam par erat, suo munere fungerentur. Hinc mercedem si ipse proposuisset aeternam, tum demum intelligebat, fore ut idipsum, quod a lucro temporali praestari non poterat, sola illa, quae omnia suffert, omnia patitur, patiens est atque benigna, charitas facile assequeretur. Re communicata cum S. Philippo Nerio, quo et Confessario et Consiliario in rebus omnibus utebatur, paucisque aliquot ejusdem Nosocomii Ministris, facile omnes ad Camilli accessere sententiam, consenseruntque ineundam aliquam ex Laicis hominibus societatem, qui solo ducti spiritu charitatis in id unum incumberent, ut Infirmis jacentibus in Nosocomiis opem omnem, omnem operam diligentiamque praestarent. Cum igitur ii ipsi, qui consilio adhibiti fuerant, Nosocomii Ministri primi post Camillum in eam Sodalitatem (Confraternitatem ipsi vocabant) dedissent nomen, erecto in quodam ejusdem Nosocomii cubiculo devoto Altari, appositaque Christi Domini de Cruce pendentis imagine, illuc cum iis convenire Camillus coepit, et prima veluti designare amplissimi Ordinis fundamenta. Crebris porro ibidem pietatis, orationis, et poenitentiae exercitationibus spiritum reficientes, castigantesque corpus, dici vix potest, quanta deinde alacritate gestientes, quanta charitate aestuantes Evangelici jam plane homines illinc Infirmis ministraturi egrederentur. »

» Verum qui stat ex adverso operum Christi inimicus Belial, quas non movit in novam hanc Christi segetem tempestates, quas turbas non excitavit, quae neglexit superseminare zizania? Despondisset profecto Camillus animum, ejusque promovendi Instituti omni spe decidisset, nisi, quo auctore sanctum facinus capessere non dubitaverat, eumdem non habuisset in supremis angustiis vindicem ac plane statorem Deum. »

» Ante Crucifixi imaginem sese Camillus quadam die provolverat, eumque enixis precibus orabat obsecrabatque, ut praesto esset afflicto operi suo, opem necessariam afferret, et ab hostium impetu jam ferme obrutum relevaret, tutaretur, confirmaret. Haec autem cum inter lacrymas supplex Camillus effunderet, claris distinctisque vocibus ex eadem imagine sibi loquentem audire Christum Dominum meruit, seque non adhortantem modo, sed etiam pene increpantem his verbis: *Eja pusillanimis, quid times? incoeptum opus prosequere.* Ex quibus Christi Domini vocibus quantam Camillus acceperit alacritatem, luculenter satis ostendit summa illa, qua deinceps in rebus difficillimis usus est, animi fortitudo atque constantia. »

» Ac primo quidem ex gravissimo S. Philippi Nerii consilio initiari Sacerdotio cum de-

terminasset, nec ignoraret magnum in regno Caelorum vocari nullum posse, nisi qui similis parvulis efficeretur, hinc minime puduit hominem triginta duos annos natum in Collegio Romano scholas adire et frequentare, ut non solum, prout ibi moris est, in litteris proficeret, sed quod summopere optabat, majora in dies ad pietatem incitamenta referret. Summa igitur auctus Sacerdotii dignitate, cum jam certum constituisset in quadam Urbis parte Congregationis suae domicilium, et quamplures alii egregia virtute Ecclesiastici viri ad Camillum accessissent voluntariae ejusdem charitatis victimae, binas a Sixto Pontifice Maximo hujus nominis Quinto obtinuit Apostolicas Litteras: Primas quidem, quibus eam esse voluit et declaravit piorum hominum Congregationem, cui qui nomen darent, voluntariam paupertatem, castitatem et obedientiam sponte nullaque votorum sponsione profiterentur, addictique pauperum quorumcumque aegrotorum famulatui iis sublevandis tempore etiam pestis occuparentur: Alteras vero quibus peramanter indulsit, ut Cruce pectus insignirent. Cum vero frequentior in dies ad Crucis vexillum multitudo confluerent, et in ampliorem domum ad sanctam Mariam Magdalenam in Regione Columnae Congregatio migrasset, Gregorius XIV. incredibili illius in christianum populum utilitate permotus anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo primo eam in perfectam Religionem erexit. Quo factum est, ut maximum subito sumpserit incrementum, et brevi per Italiam universam, per Siciliam exterasque Provincias amplificata fuerit et stabilita. »

« Quam vero opportune eo tempore hujusmodi novum Ordinem per Camillum Deus excitavisset, non multo post Italia universa et ipsa potissimum Roma plane intellexit atque experta est. Cum enim anno quarto ab ipso Ordine constituto ea Urbs summa annonae caritate laboravisset; dirissima inde consecuta fuisset pestis, qua aliquot hominum millia consumpta sunt, explicare quis satis possit quanta in Proximos exarserint charitate hujusmodi Religiosi homines Camilli virtute exemploque inflammati, quot susceperint pro omnium salute labores, quot praesentissima adiverint mortis pericula, quot ab ipsis mortis faucibus eripuerint, quot eorum ope insidias Daemonum frustrati sint, quot terrenum exilium cum caelesti patria commutarint? Foeda profecto tunc erat Urbis facies; ubique vastitas, ubique horror, ubique luctus; plena languentibus Nosocomia, plenae semitae, plenae domus; tecta, compita, fora morientium gemitibus resonabant. Quin etiam eo calamitatis deventum erat, ut quibus pestem evadere datum fuerat, fame occumbere cogerentur, multique reperti sint, qui bestiarum more ex crudis nulloque habito delectu herbis viverent et vescerentur. In tam luctuosa vero Urbis calamitate Camillus Religiosique ejus asseclae quam pulchrum atque jucundum de semetipsis Deo et Angelis praebuere spectaculum! Quo enim tempore incredibilis quidam terror atque formido cunctorum pervaserat animos, cum de sua quilibet salute anxius cogitaret, cum alii fuga, alii tectis sese tueri studerent, Camillus agmen ducens suorum Religiosorum pro salute publica se devovit: Ipse conquirere in stabulis cryptisque jacentes inopes homines: Ipse iis si esurirent panem frangere, si aegrotarent suis sublatos humeris in Xenodochia transferre: Ipse nova erigere Nosocomia, necessariisque instruere rebus omnibus tum in ipsa Religionis suae domo, tum in ea quae est ad sanctum Sixtum Regione, tum in Rhedarum via: Ipse non solum omnibus Nosocomiis adesse, sed privatas etiam quaslibet domos invisere, portisque occlusis per fenestras, scalis adhibitis, penetrare: Ipse singulorum plagas curare, luem abstergere, lectos purgare: Ipse eos qui miserandum in modum morbo inficerentur, suis ipse complexos manibus, suas ipse inter ulnas alio transferre, novisque lectulis collocare: Ipse denique ubique voce, ubique opera, ubique animo, ubique omnibus praesto esse consilio: Jacentes recreare, valentes alere, constitutos in mortis angustiis in spe et fide confirmare, migrantesque ex hac vita animas apud Deum orationibus, sacrificiis, precibusque juvare, omnium bono consulere, sibi soli deesse, se solum negligere, omni posthabita sui corporis suaeque valetudinis ratione. »

« Singularia profecto sunt haec in Camil-

lo argumenta ardentissimae charitatis: Non sunt tamen unica. Cum anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo eo usque intumuisset Tiberis, ut primas in Xenodochio sancti Spiritus cameras, ubi jacebant infirmi, jam occupasset, ac in altiora contendere minaretur, in hac recenti atque inopina Infirmorum calamitate quid non aggressus est pro eorum salute Camillus? Impavidus in aquas ulceroso etiam crure prosiliens per tres integros dies in hac una fuit molestissima plenaque immensi laboris opera, ut Infirmos eorumque grabatos suis humeris exportatos in tutiora atque salubriora loca transferret, mirantibus cunctis, quod aquae multae non potuissent Camilli extinguere charitatem. »

« Neque vero unius Urbis ambitu immensa tantae charitatis amplitudo finiri potuit ac circumscribi; sed Italiam universam complexa incredibili fuit omnibus adjumento. Buclanicum Oppidum Patriam suam cum vehementer annonae caritate affligi intellexisset, adfuit Camillus illico, opemque de Caelo tulit et ubertatem, insigni miraculo Domino comprobante quam sibi Camilli charitas foret accepta. Factum enim est, ut exiguus fabarum agellus non solum integro esurientique Populo alendo esset satis per multos dies, sed ex eo insuper, quanta nunquam sperari poterat, earumdem copia colligeretur. Genuae alias cum foret, audissetque pestem Mediolani grassantem, quam Urbem alii diligentissime declinabant, in eam ipse summa advolavit alacritate, ibique ea omnia, quae Romae expleverat, charitatis officia abundantissime praestitit. Neapoli vero cum ageret, atque Nolanae Urbi dirissimus morbus coepisset ingruere, Camillus illico accurrit ejusdem summae charitatis vi atque impetu actus ac plane compulsus, ut animam suam pro Fratribus suis poneret et devoveret. »

« His tamen ceteroquin amplissimis non contenta confiniis Camilli charitas, extra etiam Infirmos et Nosocomia effusa est. Egenis igitur opitulari Virginibus, derelictos tutari Pupillos, Viduas vindicare, Nudos operire, Esurientes saturare, hospitio Peregrinos accipere, omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaceret Christo in spiritu patientiae et charitatis, fuerunt jucundissimae Camilli deliciae. Quorum charitatis munerum obeundorum usque adeo amantissimus fuit, ut, cum innumeris propemodum sumptibus sufficere minime posset Religionis suae paupertas, gravissimo aere alieno in Domino confisus illam saepe gravare non dubitaverit. Immo etiam illatas sibi a plurimis eorum causa injurias contumeliasque non modo aequanimiter tulit, sed detractores suos humilitate, charitate, patientia ita lenivit, ut ex infensis sibi Deoque amicissimos fecerit. Ea enim semper fuit mente, eoque consilio omnia facinora capessebat, ut et prodesset hominibus, et gloriam Dei totis viribus procuraret. Hoc vel inde maxime intelligi potest, quod, si qui haeresi infecti in Nosocomiis aut alibi occurrerent homines, eos ipse quoad poterat, libentissime primo juvabat, tum posteaquam in suam eos traxerat amicitiam atque familiaritatem, ita sensim alliciebat ad Catholicae Matris Ecclesiae sinum, ut ii occulta quadam divinae lucis vi ab errore ad veritatem sese avocari et rapi quodammodo faterentur. »

« Ceterum cum Camillus tam praeclare de omnibus mereretur, semetipsum negligentius, injuriosiusque tractabat. Hinc, cum omnium morbis, omnium egestatibus majori, quo poterat, praesto esset auxilio, saevissimam interim illam, quam ipse in crure ab adolescentia acceperat, plagam, molestissimamque herniam non solum ad mortem usque neglexit, imo vero singularem ex iis videbatur capere voluptatem: Hinc nullis unquam vestibus uti voluit, nisi maxime attritis, nulla supellectili, nisi quae paupertatem Evangelicam redoleret: Hinc inediae, et vigiliarum usque adeo patiens fuit, ut et perraro ad vesperam sese reficeret, et simplicissimos eos cibos, qui afferebantur ad prandium, maxima ex parte cum Pauperibus communicaret, nec plures, quam quatuor horas ad quietem somnumque capiendum permitteret corpori: Hinc Regularis disciplinae severissimus sui ipsius exactor nihil unquam de suarum Constitutionum observantia remittere voluit, tametsi famulando Infirmis occupatissimus. »

« In tanta tamen virtutum omnium luce id certe mirandum quam maxime, quod de se rebusque suis tam abjecte sentiret, ut nec Ordinis Fundator a quoquam vocari vellet, et

semetipsum non alio honorificentiori nomine et appellaret et crederet, quam peccatorem inter pejores pessimum, hominem indignum, qui inter homines viveret, ac plane destinatum aeternis ignibus titionem. »

« Neque vero abjectissimam hanc, quam de se proferebat, opinionem oretenus solum, sed etiam ipsa re testabatur. Cum enim generalem adhuc Religionis suae Praefecturam haberet, domi patinas tergere, cubicula verrere, vasa immunda purgare, foris vero ostiatim emendicare, haec demum ministeria decere in primis dignitatem suam existimabat; Non enim per contentionem, neque per inanem gloriam, sed per humilitatem Superiorem se esse oportere cum Apostolo arbitrabatur. Quin etiam posteaquam Religionem jam constituerat et stabiliverat, posteaquam laudatissimis per summos Pontifices Constitutionibus exornaverat, posteaquam viginti septem annorum spatio contra omnem tenebricosi hostis impetum summo labore, studio, constantia rexerat, auxerat, amplificaverat, tum demum Praefectura generali se abdicare, et inter ipsos, quos enutriverat et exaltaverat, Filios suos in forma servi esse voluit, petiit, et impetravit. Quo quidem tempore illud maxima admiratione dignissimum visum est omnibus, quod, cum Ordinis Fundator fuisset et Pater, talem se tamen Superioribus praestitit, ut verum obdientiae et humilitatis exemplar Religiosis omnibus praeluceret. »

« Summam porro, qua afficiebatur in Proximos, charitatem, singularem, qua de se modestissime sentiebat, humilitatem, immensus ille, quo ferebatur in Deum, vehementissimus amor penitus cumulavit. Infinitas sibi animas exoptabat, quas in diligendo Deo unice impenderet. Quo factum est, ut, sive cum suis sive cum exteris sermonem haberet, nil nisi quod Deum saperet, divinamque beneficentiam commendaret, alloqueretur, rebusque omnibus, quae ipsius oculis obversabantur, ad divinas laudes celebrandas, et ad caelestem pulchritudinem contemplandam excitaretur. Cum vero vel verba de Deo faceret, vel ejus immensitatem meditaretur, tanto cor ejus aestuabat ardore, ut, cum intra suos fines contineri non posset, foras etiam in vultum erumperet, seque divino quodam splendore longe lateque radiante manifestaret. Quin etiam in aera quandoque elevatus atque suspensus mirabiles ecstases patiebatur, in quibus et arcana caelestia penetrabat, et eximiis a Deo gratiis illustrabatur. Divinae siquidem bonitati consentaneum erat, ut, qui pro gloria Dei et Proximorum utilitate in vinea Domini adeo laboraverat, amplissima hic etiam in terris praemia, fructusque perciperet. Quocirca prophetiae, curationum, discretionis spirituum gratias cumulatissime illi impertitus est Deus, quibus humilem voluit ipsius spiritum exaltare. Occultissima igitur quae putabantur, tamquam ante oculos posita intueri, arcana in penitioribus animi latebris diletescentia penetrare, morbos brevi prece, vel etiam solo tactu depellere, familiarissimum Camillo fuit. Imo etiam in summa rerum necessitate atque egestate cum maxima fide jactasset cogitatum suum in Domino, ab eodem meruit mirabiliter enutriri. Cujusce rei ut unum exemplum adducam, multis aliis omissis: Ad Capuccinos in quodam loco, nocte ingruente, cum iter faciens divertisset, ii vero summa tum vini, tum panis penuria laborarent, Camillo orante, factum narratur, ut et aqua in optimum vinum converteretur, et exiguo pane tum ipse, tum multi opipare saturarentur. »

« Neque vero res solum inanimes Camilli voluntati obsecundarunt, sed ipsi etiam Angelici Spiritus ad ipsius obsequia saepissime descenderunt. Genua quondam Florentiam proficiscens in altissima quadam palude cum jam pene demergeretur, ab Angelo in forma juvenis apparente ab interitu una cum Sociis ereptus traditur. Deturbatus alias ex equo cum esset, et in maximo versaretur vitae periculo, ne ad lapidem offenderet pedem suum, ab ipsis Angelorum manibus perhibetur elatus. Genuae cum itidem esset, et ad Nepotem suum Buclanici tunc temporis commorantem dedisset epistolam, eadem die, qua scripta fuerat, ea reddita est; quod etiam Angelorum ministerio evenisse facile putari potest. His gravissima accedit sancti Philippi Nerii auctoritas et testimonium; Ipse enim se oculis suis Angelos vidisse testatus est ipsorum etiam Camilli Religiosorum lateri adstantes, eaque omnia eorum auribus suggerentes,

quae dicebantur ab ipsis, dum Infirmis assisterent, et praesertim morientibus spiritualem opem afferrent. »

» Interea tamen tempus illud advenerat, quo caelestes iidem Spiritus, qui hic in terris Camillo inservire gestiverant, eumdem secum transferre in caelestem Patriam festinabant. Quod cum caelitus sibi nunciatum esset, satis explicari non potest, quanto spiritus sui fervore per actus certissimae fidei, sincerissimae charitatis, assiduaque rerum caelestium contemplatione in occursum Domini se praeparaverit. Per triginta tres igitur menses lenta molestaque febri patientissime tolerata, cum adesse jam intelligeret optatissimam illam diem, qua dissolveretur, et esset cum Christo, convocatis Religiosis suis, veniam ab iis humillime prius postulavit de cursu suo, ut ajebat, pessime consummato; deinde vero plurima salutis monita circa Dei Proximique, praecipue vero Infirmorum charitatem, aestu divini cujusdam fervoris plenissima communicavit. Postea vero Ecclesiae sacramentis summo pietatis et religionis sensu susceptis, brevi tolerato mortis agone, abscondit cum Christo vitam suam in Deo anno salutis millesimo sexcentesimo decimo quarto, die decima quarta Julii, aetatis suae sexagesimo quinto. »

» Audito ipsius obitu, cum maxima subito omnis ordinis multitudo confluxisset ad Templum Sanctae Mariae Magdalenae pretiosum ejus cadaver veneratura, clementissimus Deus multis miraculis, et insignibus beneficiis Sanctum suum voluit illico mirificare: Inter quae silentio praeteriri non debet, quod ad simplicem Camilli contactum, quotquot ab immundis spiritibus vexati ad ejusdem accessere cadaver, fuerunt illico liberati, iisdem spiritibus insignem Camilli virtutem et gloriam voce maxima praedicare coactis. »

» Cum postmodum coelesti lumine circumfusum se plurimis spectandum praebuisset, ejusque gloriam multis testari miraculis Deus minime destitisset, agi coeptum est paulo post ejus obitum de eo inter Coelites recensendo. Porro multis confectis ordinaria et Apostolica facultate Processibus, eorumque validitate approbata, iisque de more bene discussis, post longum diuturnumque silentium, tandem a Benedicto XIII. P. O. M. die vigesima quarta Julii anno millesimo septingentesimo vigesimo octavo, constare de Camilli virtute in gradu heroico declaratum est. »

» Tum vero, cum miracula, quae post obitum perpetraverat, in quaestionem producta fuissent, iis omnibus rite valideque confectis, beneque perpensis, quae ex Summorum Pontificum Decretis sancita sunt in solitis Congregationibus, die demum vigesima sexta Septembris anni millesimi septingentesimi quadragesimi primi BENEDICTUS XIV. P. O. M. duo ex novem propositis approbavit. Quorum primum est de undenni Puella, quae cum Viterbii per septem menses afflicta fuisset dirissimo in naribus polypo, ex solo fili Camilli subuculae contactu convaluit. Alterum vero de Catharina Dondula triginta annorum muliere, quae cum Romae sexto gestationis mense maligna febri correpta, inflammata item in pleura atque pulmonibus, imo etiam in gutture infeliciter ulcerata, ideoque fuisset ab omnibus Medicis conclamata, ex solo aquae haustu, in quo pulvis ex cubiculo beati Camilli fuerat dissolutus, repente incolumis, viribusque pristinis assurrexit. Virtutibus itaque miraculisque luculenter probatis, cum tuto ad Camilli Beatificationem procedi posse Sacra generalis Congregatio Rituum judicasset, idem Summus Pontifex Decretum Beatificationis edidit die secunda Februarii anni millesimi septingentesimi quadragesimi secundi, die vero septima Breve expediri mandavit. »

» Camillo itaque paulo post solemni ritu inter Beatos adscripto, cum a Deo ad Servi sui majorem gloriam nova quotidie miracula fierent, novique super his Processus Apostolica auctoritate constructi fuissent, post approbatam eorumdem validitatem de iis in pluribus Congregationibus actum est. Delata postmodum causa coram Sanctissimo Domino Nostro die decima sexta Martii anni millesimi septingentesimi quadragesimi quinti, ex tribus propositis duo censuit approbanda die prima Maji ejusdem anni. Primum est instantanea salus Luciae Theresiae Petti ex oppido Capraro]ae. Haec cum asthmate laborasset ab ipsa nativitate, adeoque gravissimam

respirandi difficultatem haberet, crescente postea aetate, tali ac tanta variorum morborum accessione gravata fuit ac pene oppressa, ut fractis viribus omnibus miserandum in modum extenuata levissimis etiam laboribus esset impar: contracto insuper gibbo, cum sanguinem una cum pure coepisset expuere, Medicorum judicio de ejus salute desperatum est: cum vero illa invocato beati Camilli nomine ejus opem implorasset, repente a morbis omnibus expedita, in tali ac tanta constituta est valetudinis firmitate, tamquam si nullo unquam morbo laboravisset. »

« Alterum vero miraculum contigit Margaritae Castelli duodeviginti annorum Puellae. Haec siquidem hereditariam a Genitrice infecta quamdam traxerat aegritudinem, qua erumpentibus in diversis corporis partibus pustulis sanie taboque manantibus, toto deinde corpore per sanguinem labefactato, hae ita coaluerant in unum ulcus, ut corpus a plaga minime distingueretur: accedente postmodum acuta febri, cum nullus pharmacis locus esset, et Medicorum judicio brevi moritura crederetur, ejus funeri necessaria jam parabantur: Interim tamen beati Camilli ope a Matre, et a Sororibus implorata, illico tumor omnis a corpore inflato, tabentes crustae a membris omnibus, febris a sanguine evanuerunt: quin etiam de lecto statim prosiliens, auctis integris viribus, eam valetudinem, quam nunquam habuerat, consecuta est. »

« Approbatis hisce miraculis, habitaque denuo coram Sanctitate Sua generali Congregatione die tertia Augusti ejusdem anni, cum unanimi consensu tuto ad Canonizationem procedi posse Patres existimassent, eadem Sanctitas Sua die ipsa anniversaria exaltationis suae ad Petri Cathedram, quae est decima septima ejusdem mensis, Decretum pro beato Camillo canonizando, et inter Sanctos referendo publicum fecit. Pro cujus Sanctissimi Decreti executione et complemento, praeter Reges et catholicos Principes, enixe et humillime supplicat universa Infirmis Ministrantium Familia. »

COMPENDIUM

Vitae, Virtutum, et Miraculorum, necnon Actorum in Causa Canonizationis BEATI PETRI Regalati, Sacerdotis Professi Ordinis Minorum, Regularis Observantiae inter Hispanos Restitutoris.

Ex Relatione Rotali, Decretis Sac. Rituum Congregationis, et Summorum Pontificum INNOCENTII XI. et BENEDICTI XIV.

« In Urbe antiqua, ac celeberrima Vallisoleti in Regno Castellae natus est Petrus Regalatus anno salutis nostrae millesimo tercentesimo nonagesimo ex Parentibus optimis, nec minus generis nobilitate conspicuis, quam christiana virtute clarissimis. De iis siquidem memoriae proditum est, quod inter ceteras, quibus excellebant, praeclaras christianoque homine dignas animi dotes, adeo eos effusa in pauperes liberalitas commendaret, ut rem domesticam non procurare ad usus suos, sed administrare ad sublevandos inopes viderentur. Qui igitur hujuscemodi beneficentiae hostiis maxime promeretur Deus, antequam adeo misericordes animae centuplum in Caelis acciperent, talem iis impertitus est Filium, in quo uno hic etiam in terris duplicia reportarent de manu sua, quique plenissimum ipsorum gaudium esset atque corona. Ablutus enim sacramentali fonte Baptismi nondum Petrus emerserat ab infantia, cum pietate erga Deum, observantia erga Parentes, morum innocentia atque candore quam bonam fuisset a Domino sortitus animam, non obscure significavit. Tam praeclarae indolis facilitati egregia Matris institutio cum accessisset (ea enim, Patre paulo post morte sublato, Filium susceperat christianis virtutibus informandum) brevi factum est, ut Coelites omnes, praecipue vero Deiparam Virginem cultu singulari prosequeretur, et eo, qui est initium sapientiae, sancto timore Domini supra suam aetatem mirabiliter emineret: Quin etiam Evangelicae jam tum perfectionis iter arripiens, non modo corpusculum continere in spiritus servitute, crebra oratione Deum interpellare, juvenculorum declinare consortia diligentissime satagebat; verum etiam si quid puerile, quodque aetatem suam saperet, vel patrasset in opere, vel deliquisset in sermone, adeo statim contristabatur ad poenitentiam, ut sui ipsius rigidissimus

vindex eas sibi poenas indiceret, quae magnis criminibus expiandis satis esse potuissent. »

» Decennis cum foret, ea nempe aetate, qua Parentum blanditiis, mundique illecebris allici primum Pueri solent, et irretiri, tantum abfuit, ut Petrus ab his caperetur, quin iis aditum interclusit. Domesticas igitur coepit apertius fastidire res omnes, avitos aspernari Regalatae gentis honores, universas, quae ex mundo sunt, despicere vanitates. Hinc mundo, opibus, nobilitati, ipsi etiam sibi charissimae Genitrici vale dicere statuit, ut Crucem simul cum Christo Domino ad ardua Evangelicae perfectionis culmina bajularet. Matrem itaque cum etiam atque etiam efflagitasset, ut se in Fratrum Minorum Coenobium secedere pateretur soli Deo famulaturum; illa vero molestissime ferens, quod is, quem maxime diligebat, Filius tam immature a se divelleretur, moras innecteret, atque protraheret, usque adeo per triennium eam precibus defatigare non destitit, donec tertio decimo aetatis suae anno voti compos effectus, mundo nuntium remittere permissus est. Itaque in Patrio Coenobio Franciscanae Familiae dedit illico nomen, atque uno post anno unanimi Religiosorum suffragio solemnibus emissis votis (quod ante Tridentinum impuberi licuit) semetipsum Domino mancipavit. Tum vero religiosis virtutibus excolendis adeo incubuit, ut cum brevi perfectissimum evasisset eorum exemplar, omnium in se oculos animosque converteret, ac plane in magnam raperet admirationem. Evangelicum enim stadium tanta percurrebat animi contentione, ut iis etiam longo intervallo antecelleret, qui meliora charismata aemulabantur, si quae mundum aliquo modo sapere viderentur, ea non abjicere solum, sed perhorrescere: quae vero ipsius animum ad Deum erigerent, ea studio maximo investigare et consectari: si quandoque ejus virtus laudibus efferretur, conqueri et stomachari: si vero injuriosius tractaretur, ex ipso sui contemptu summam capere voluptatem: corpus flagellis, inedia, vigiliis, ciliciis, atque omni poenarum genere excruciare: spiritum vero oratione continua reficere et recreare. »

» Quoniam vero non ignorabat, magnum in Regno caelorum vocari neminem posse, nisi qui et faceret, et doceret, hinc, quam in se efformaverat divinam sanctitatis imaginem, eam in aliorum animos alte imprimere contendebat. Quamobrem, cum sanctissimam sui Ordinis disciplinam ex humanae naturae infirmitate collapsam magna ex parte absolvisse animadverteret, nihil unquam antiquius habuit, quam ut omne studium, omnem animum, cogitationem omnem in id potissimum conferret, quo eam ad integritatem et splendorem pristinum revocaret. Quam quidem mentem Regalato divinitus inditam fuisse ex eo maxime patuit, quod, dum ipse tanti momenti facinus animo versaret, accidit peropportune, ut Villacretius vir ex eodem Ordine cum vitae sanctitate, tum rerum divinarum cognitione clarissimus Vallisoletum veniret. Cum non minori, quam Regalatus, teneretur is etiam studio renovandi antiquum illud asperrimumque vivendi genus, quod suis indixerat Patriarcha Franciscus, facultate a Praefecto Ordinis impetrata, tunc forte illuc idcirco venerat, Socios, quos sibi ad Institutum adjungeret, quaesiturus. Re itaque cum Regalato communicata satis explicari non potest, quanta concordes animae alacritate gestiverint, quam sanctum in Deo foedus iniverint, quam forti animo tot difficultatibus impeditissimum opus aggressi sint. »

» Probe autem cum intelligerent, non urbanam frequentiam, sed solitudinem a Domino fuisse delectam, ut ad cor hominum loqueretur, ad domicilium quoddam non procul ab Oppido Aquileriae, permissu Oxomensis Episcopi a Villacretio constructum ambo unanimes secessere. Porro in eo loco quam sanctam, quam austeram vitae rationem aggressi sint, ex eo conjici facile potest, quod universa supellex, de qua secum asportanda unice cogitarunt, Breviarium fuit atque flagellum: Illud quidem, quo horas canonicas inter diutissimas meditationes et lacrymas persolventes, voce et spiritu cum Domino communicarent: Hoc vero, quo corpus singulis noctibus castigatum, quominus concupisceret adversus spiritum, in officio continerent. »

» Interea vero tantae virtutis fama per loca Urbesque finitimas percrebrescente, exemplo tam praeclaro alii plures illecti tum ex

Minorum Familia, tum Presbyteri Seculares, ut in eorum contubernium admitterentur, infimis precibus postulaverant et impetraverant. Cum itaque Aquilerienses aedes crescenti in singulos dies novorum Religiosorum numero impares redderentur, novae apud Abrocum, quod alii Tribulum vocant, in deserta quadam planitie ad ripam Durii constructae sunt. Hinc pro restaurati Ordinis feliciori progressu hoc unum videbatur jam desiderari, ut, quas pro Aquileriensi, ac Tribulana Familia sanciverant novas austerissimae vitae leges, eae suprema Romanae Ecclesiae auctoritate confirmarentur. Occasionem igitur nacti Constantiensis Concilii, quod per id temporis celebrabatur, in eam mentem unanimes consensere, ut Villacretius Constantiam proficisceretur, rem in eo Concilio apud Pontificem eligendum pertractaturus: Regalatus vero interim Aquileriensibus, ac Tribulanis Fratribus praesideret. Quo quidem munere tam sapienter, tam prudenter, tam sancte perfunctus est, ut cum in eo Villacretii imaginem non adumbratam leviter, sed verissimis expressam coloribus intuerentur, absentis desiderium Fratres aequo animo ferrent. »

« Villacretius Constantiae re bene gesta, et a Martino Summo Pontifice hujus nominis Quinto summa sui cum laude iis omnibus impetratis, quae communibus cum Regalato votis vehementissime optaverat, in Hispaniam sese recipere festinavit. Verum sanctissimus Senex non multo post, quam fuerat Aquileriam reversus, gravissimo correptus morbo, quasi ex inopinato supremum diem obivit. Nihil acerbius Religiosis, atque amantissimis Filiis contingere profecto poterat, quam tanti Patris, atque Magistri interitus. In tanta tamen animi aegritudine atque dolore id eos unice relevabat, quod, qui Villacretium consilio atque opera maxime semper juverat, ipsis superesset Regalatus, a quo accepta ex illius obitu jactura abunde compensaretur. Quamobrem unanimi utriusque Familiae suffragio illico factum est, ut in Villacretii locum Regalatus sufficeretur, et praestantissimam ceteroquin Villacretii virtutem diligentiamque non exaequaret modo, sed longo etiam intervallo superaret: Quod enim Villacretius per Pontificem Maximum probari curaverat, ut scilicet ex restaurato Ordine novi Fratres per summam paupertatem, per vigilias, per orationes, per inediam, per patientiam certam facerent vocationem, et salutem suam operarentur, id omne et accuratissime ipse perfecit, et, ut perficeretur, exemplo suo absolutissimo operaque diligentissima Regalatus est consecutus. Ut enim a privata domesticaque vivendi ratione ducamus initium, novem illa jejuniorum tempora, quibus Patriarcha Franciscus maximam anni partem explebat, non solum ipse etiam una cum ceteris observavit ex integro, sed summam hanc ipsam abstinentiam singulari quadam austeritate perfecit; cum scilicet raro admodum aut vinum biberet, aut carnem gustaret, atque ut plurimum pane et aqua unice vesceretur, tum, si obsonii loco cruda olera adjiceret, sibi convivari opipare videbatur. His etiam addendum est, quod, nisi festis diebus, quibus duntaxat ob Dominicam celebritatem modico pane uti consuevit, reliquis diebus omnibus nihil omnino sub vesperam manducabat, et integros etiam dies orans vigilansque persaepe transigebat, absque eo quod ullo prorsus cibo reficeretur. Somno vero ita raro brevique utebatur, ut vel insomnes orando saepe traduceret integras noctes, vel si defatigato ~~et de~~ficiente corpore paululum decumbere cogeretur, id non aliter faceret quam humi prostratus, ut non tam conquiescere, quam ipsammet quietem suo corpori molestam facere videretur. »

« Huic tantae vigiliarum et jejuniorum austeritati parem spiritus paupertatem Regalatus adjunxit: Eam siquidem usque adeo in deliciis habuit, ut quantum ditissimis in seculo quibuscumque Sodales sui paupertate eminebant, tantum ipsis etiam Sodalibus suis longe antecelleret Regalatus. Cum enim et attritissima prae ceteris tunica uteretur, et pallio quam maxime lacero, tum in eo plane admirandum dedit summae paupertatis exemplum, quod, ut majora ab ea sentiret incommoda, nullum unquam calceorum genus adhibere voluerit usque ad ingravescentem aetatem, ipsisque etiam repudiatis, ut vocant, sandaliis, pedibus semper nudis incedere. »

« Hinc mundanis opibus quibuscumque expeditus cum foret, iisque rebus omnibus

liber, quae aggravant animam, dici vix potest quanta assiduitate, quanta animi promptitudine, quanto fervore mentis in Deum Regalatus assurgeret. Caelestium enim contemplationi cum perpetuo inhaereret, tum statis potissimum diei noctisque temporibus ita defixo, ita sublimi animo singula nostrae salutis mysteria commentabatur, ut si patientis Christi commisereretur, erumpens ubertim in lacrymas cum ipso compateretur, ac veluti commoreretur; si vero mox Christi ipsius resurgentis gloriam recogitaret, caelesti quadam perfusus dulcedine gestiret et exultaret; si eam intueretur, quam praeparavit Deus diligentibus se, immarcescibilem coronam gloriae, in atria Domus Dei rapi atque elevari quodammodo videretur; si vero mox aeternos illos hominum reproborum cruciatus considerandos sibi proponeret, totis artubus contremisceret. Id certe ipsi familiarissimum fuit atque perpetuum, ut, cum infinitam erga genus humanum charitatem Dei mente recoleret, abstraheretur illico a sensibus, atque divina quadam suavissima vi in ecstasim raperetur; cum vero perversam erga Deum ipsum nequissimorum hominum voluntatem recordaretur, indoleret gravissime, seseque in uberrimos diutissimosque fletus effunderet. »

« Ceterum, cum tanto aestuaret divini amoris ardore, illud interim vehementer optabat, curabatque diligentissime, ut eamdem caelestem flammam Religiosis suis omnibus communicaret. Hinc suaviter adeo cum suis Alumnis de Deo divinisque rebus continuo colloquebatur, ut et ignavi, si qui essent, in perfectionis stadio redderentur alacriores, si qui vero jam currerent, non quasi in incertum, sed ita currere, ut comprehenderent, animarentur. Quod si casu aliquo contigisset, ut ex Fratribus quisquam aut ex incuria deficeret, aut ex humanae conditionis debilitate delinqueret, praesto aderat Regalatus forma gregis factus, non ut ille in spiritu irae atque superbiae confunderetur, sed ut in spiritu patientiae et lenitatis tanquam filium charissimum admoneret, et tanquam fratrem in Domino lucraretur. Utrumque enim praestabat Vir prudentissimus, et ut suam, qui peccasset, culpam agnosceret, et ut agnitam exprobratamque maxime perhorresceret, humanitatem cum aequitate ita conjungens, ut nihil facilitas de auctoritate, nihil austeritas de humanitate detraheret. »

« Hactenus de Regalati virtutibus in domestico vivendi modo. Breviter commemoranda ea nunc sunt, quae pro vitiis exterminandis, pro virtute in exteras etiam gentes amplificanda a Regalato gesta fuisse traduntur. Quidquid igitur reliquum a domesticis curis ipsi temporis erat, id omne ab eo in Proximorum salutem impendebatur. Cum plurimi ad ipsum quotidie confluerent tanquam ad insigne sanctitatis oraculum, non tam hospitio solebat eos excipere, quam ad virtutem Deique cultum totis conatibus inflammare. Si quos vero haberet obvios elephantiasi laborantes, eos ad hospitium secum una deductos tergere a sordibus, fovere linteis, esculentis reficere, et quorum alii conspectum ferre non poterant, ipsorum ulcera manibus attrectare; imo etiam quandoque deosculari, et saniem lambere minime dedignabatur. Quae quidem pietatis officia in eos potissimum conferre solebat, qui vel in Nosocomiis graviori aliquo morbo afflictarentur, vel in carceribus, vel in Turcarum vinculis, inedia et squalore conficerentur. Cum enim singulari apud divites esset gratia, nihil curabat magis, quam ut, opportuna ex eorum eleemosynis collata stipe, inopes ab angustiis sublevarentur, infirmi relevarentur a morbis, captivi numerata Barbaris pecunia in libertatem assererentur; ac proinde omnes a culpa arcerentur, et ad honestam vivendi rationem qua hortationibus, qua obsecrationibus, qua opportunis auxiliis impellerentur. Eo siquidem spectabant omnia Regalati consilia, ut, quae perierant a Christo, oves ad Christi gregem reducerentur, et quae in pascuis salutis erant, de manu Christi nulla inimici hominis vi raperentur. »

« Dum vero eos omnes, quibuscum versabatur, ut manerent in Deo, qui charitas est, ardentissime hortaretur: illud interea, in quo alterum legis mandatum situm est, minime negligendum putabat, ut scilicet ipsa Fraternitatis charitas apprime diligeretur. Hinc tantam hac in re curam semper adhibuit et diligentiam, ut si quos infesto in Proximum animo esse cognosceret, eos statim

adiret, alloqueretur, et tamdiu verbis instaret omni ancipiti gladio penetrabilioribus, quoadusque sublatis inimicitiis, compositis simultatibus, spiritualia aemulantes, diligentes alterutrum, charitatem sincero animo sectarentur.

« Neque vero iis tantum, qui adhuc in hoc seculo peregrinabantur a patria, cujuscumque conditionis hominibus suam dabat opem atque operam Regalatus, sed singulari etiam pietate ad eas juvandas animas commovebatur, quae a corporis vinculis expeditae beatam spem in Purgatoriis ignibus expectabant: Non enim assiduas solum, ut eis suffragaretur, ad Deum preces fundere solitus fuit, sed et ubertim flere, et jejunare assidue, et flagellis ad sanguinem usque se duriter caedere, et omni suppliciorum genere sese immaniter excruciare, donec aeternam ipsis pacem promereretur. »

« Inter haec vero, quoniam jam senio confectus erat et laboribus fractus, neque procul abesse sentiebat adventum Domini, in id ultimo cogitationem suam contulit, ut, quam ipse stabiliverat vitae austerissimae sanctissimaeque disciplinam, eam fideli prudentique Ministro vindicandam, conservandamque committeret. Cum itaque Lupo Salazario, qui id temporis in Oppido Ficonedae acerrimum Instituti Custodem agebat, deferre id muneris decrevisset, ex Tribulano Coenobio per centum et quadraginta passuum millia ipsum convenit, suoque cum eo communicato consilio, ad rem sancte in Domino fortiterque gerendam gravi oratione adhortatus, in suam sententiam facile traxit. »

« Ab eo colloquio Tribulum rediit Regalatus, rebusque illic probe compositis, Aquileriam profectus est. Ibi cum ineunte Quadragesima coepisset vitio stomachi conflictari, per totum ejusdem intervallum decubuit. Solemni paschatis die cum caelesti pane sese refecisset, multa subinde ad Fratres suos circa lectulum lacrymantes de vita Christi imitanda, de diligenda paupertate, de abjiciendis secularibus desideriis ardentissime peroravit. Postera vero die cum difficilem jam omnino, atque impeditissimum anhelitum traheret, sanctumque Oleum ad extremam illi impertiendam unctionem fuisset allatum, eos ut paululum cessarent precatus est, admonens, Palentinum Episcopum mox adfuturum, de cujus manu ultimum hoc sacramentum susciperet: Tum a Praefecto Coenobii cum impetrasset, ut vilissimam inter omnes lacernam sibi permitteret, oculis in Caelum sublatis, animoque in instantem gloriae coronam defixo, suam in Dei manus commendans animam, iisdem vocibus, quibus moriens in Cruce Jesus Dominus Patrem oraverat, inter Fratrum suorum preces et lacrymas placidissima Justorum morte suam in Deo vitam abscondit anno salutis nostrae millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, tertio Kalendas Aprilis, aetatis suae supra sextum sexagesimo. »

« Vulgata ipsius morte, cum ingens illico hominum concursus fieret ad Coenobium, id primo omnibus spectaculum fuit, quod Regalati corpus post aliquot dies non modo molliusculum foret atque flexibile, sed odorem etiam suavissimum redoleret. Mox vero, cum peractis rite exequiis in comuni Fratrum sepulcro humatum esset, ex implorato Regalati nomine praesentissimam ejus opem plures experti sunt. Et revera Deus Optimus Maximus, qui in Sanctis suis mirabilis semper fuit, non modo cum adhuc viveret Regalatus, ad testandam ejus sanctitatem in terris, omnipotentiae suae divitiis eum abundantissime cumulaverat, sed postquam obierat, ad ejus gloriam manifestandam in Caelis, miraculis etiam eum mirificare dignatus est. Quae cum singula recenseri non possint, ea tamen quatuor praetermittenda non sunt, quae jam pridem rite probata tanti ponderis fuerunt, ut, cum de Regalato inter Sanctos referendo postmodum ageretur in Sacra Rituum Congregatione, heroicae ejus virtutes satis per ea confirmatae declararentur. Cum enim juxta legum praescripta oculatis testibus ob temporis antiquitatem amplius probari eae non possent, Sacra Rituum Congregatio peculiari Decreto suo, edito die decima sexta Novembris anni millesimi sexcentesimi trigesimi amplissime declaravit, per haec quatuor miracula testimonium quodlibet satis abunde suppleri. »

« Primum in eo situm est, quod, cum procuratis quondam Aquilerianae Familiae negotiis, Tribulanum domicilium pro suo mu-

nere Regalatus constituisset invisere, seque hora septima una cum Socio contulisset in viam, divinitus factum est, ut hora octava in Tribulano Conventu reperiretur, quadraginta passuum millibus nudis pedibus unius horae spatio confectis. Quo certe agilitatis miraculo summam fidelis atque prudentis ministri sui diligentiam, qui ipsum constituerat super familias suas, Dominus luculentissimo veluti testimonio comprobavit. »

» At illud fortasse mirandum magis, quod singularem Regalati erga pauperes charitatem a morosis quibusdam hominibus reprehensam, novo inusitatoque portenti genere vindicare Deus voluit, et honestare. Erant inter Regalati Fratres, a quibus ipse, quod nullum in elargiendis eleemosynis teneret modum, temere incusaretur. Contigit igitur aliquando, ut, dum collecta ex communi mensa panis et carnis frusta deferret ad pauperes, ipsi obvius Vicarius occurreret, et ab eo quid haberet in sacciperio importunus percunctaretur: Divino tunc Regalatus afflatus spiritu omnipotentis Dei, qui ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt, pariter vocat: Flores se habere, respondit. Quoniam vero ea erat anni tempestas, qua nulli certe flores, nisi divinitus vernare poterant, ideoque ad hanc Petri vocem videretur haerere Vicarius, sacculum continuo Petrus explicuit; neque jam, quas vere detulerat, panis carnisque reliquias, sed recentissimas in eo candidas purpureasque rosas ostendit. Cujus rei fama cum longe lateque finitima loca omnia pervasisset usque Vallisoletum, incredibile dictu est, quantam erga Regalatum excitaverit universarum gentium existimationem. »

» Sed his etiam longe majora sunt, quae in extento Servi sui brachio a Deo facta fuisse signa dicuntur. Quod enim de Apostolo Petro tradunt Evangelia, ut super maris undas ad Dominum ambularet, id usitatum plane fuit Regalato et familiare, ut Durii aquas sicco pede trajiceret; Quoties enim accideret, ut flumen illud superaturo navicula in promptu non esset, posito Regalatus pallio, eoque super undas extenso, supra illud insistens trans fluvium gradiebatur. Ex quibus, aliisque miraculis, quae Dei virtute Regalatus operabatur, tanta de eo consecuta jam fuerat populorum opinio, ut in ipsum tamquam in absolutissimum Apostolici Instituti hominem intuerentur. »

» Rei autem novitate ac magnitudine omnium excellentissimum illud fuisse videtur, quod post ejus obitum patratum est. Mendicus quidam Coenobii Janitorem adierat, reliquias mensae, uti assolet, accepturus: Cum vero eae omnes in egentium turbam jam fuissent a Janitore antea distributae, miser ille vacuus atque hians dimissus est. Is vero cum et vehementer esuriret, et alias a Regalato eleemosynam quotidie certam soleret accipere, Templum gemebundus ingressus, et ad Regalati sepulcrum in genua provolutus: *Si tu viveres* (inquit) *Regalate, non ego sane duriter adeo viverem, nec mihi, quo pascerer, nunc deesset.* Vix haec Mendicus: Continuo sepulcrum, mortalium nullo moliente, apertum est; manum Regalatus exeruit, et pane Supplici dato, confestim retraxit. Porro tanti miraculi magnitudine mirum in modum perculsi tum Mendicus, tum reliqui, qui aderant, spectatores primo quidem obstupescere, tum in altissimas laetitiae voces erumpere, postremo per universam Hispaniam rem evulgare, eamque incredibili admiratione complere. »

» Sepulcrum igitur Regalati jam inde ab ejus obitu magna populorum frequentia coeptum est celebrari, ejusque Reliquiae magno semper in honore habitae sunt. Hinc trigesimo sexto post ejus obitum anno Elisabetha Castellae Regina Aquileriam profecta loculamentum corpori sane elegans ex alabastrite marmore excitandum curavit, ubi quatuor ea miracula, quorum ante meminimus, anaglyptico opere affabre visuntur expressa. Quo factum est, ut ejus cultus per insequentes aetates mirum in modum fuerit amplificatus. Hoc autem rite approbato, Innocentius XI. Pontifex Optimus Maximus Officium et Missam in ipsius honorem quotannis celebrari permisit, anno millesimo sexcentesimo octogesimo quarto Kalendis Martii: Cum in eam rem orando instandoque Carolus eo nomine secundus Hispaniarum Rex Catholicus, Regina Uxor, ejusque Mater, Ludovicus Portocarrerus Cardinalis amplissimus, pluresque insignes Episcopi vehementer incubuissent. Triennio post, cum in Templo Aquileriensi Sa-

cellum cultu magnifico fuisset excultum, et Regalato dicatum, in illud ejus ossa solemni pompa delata sunt, eodem Pontifice permittente. »

» Anno post sexagesimo, cum de Regalato in Sanctorum catalogum referendo ageretur, BENEDICTUS XIV. Pontifex Optimus Maximus idemque cum rerum omnium, tum earum praecipue scientia, quae in Divorum consecratione legitima positae sunt, facile princeps, nova quaedam miracula, quae post indultam venerationem, Petri ope invocata, acta fuisse ferebantur, in examen vocavit. Ea autem in solitis pluribus Congregationibus probe riteque discussa cum fuissent, die tandem decima quarta Julii anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti Apostolica ejusdem Summi Pontificis declaratione duo, quae sequuntur, probata sunt et publicata. »

» Anno millesimo septingentesimo quinto Didacus quidam Sacerdos cognomento Plasentia, cum morbo comitiali affectus esset, epileptico paroxismo quodam die repente correptus, in domesticum focum prunis ardentibus maxime tunc forte refertum in praeceps ruit, plenamque ollam ferventis aquae cum subvertisset, cum cetera membra, tum oculi praecipue ex eo casu ita labefactati sunt atque caligaverunt, ut caecus omnino fieret. Frustra adhibitis per aliquot menses medicaminibus, ejus salus conclamata jam per Medicos fuerat, animumque Didaçus ipse desponderat: Implorato tamen Regalati auxilio, ejusque cucullo oculis admoto, ita luci restitutus est eo contactu, ut quoad vixit, multo quam antea vividiores habuerit oculos, acieque meliores. »

» Anno vero millesimo septingentesimo trigesimo septimo Birgittae Ortegae in sinistra, ut appellant, lumborum regione vitiatis carnibus ex interclusa sanie, quae prius ex quodam tumore manabat uberrima, ulcus ita horrendum erupit, ut et aliquae costae pure corruptae omnino fuerint extrahendae, et ulcere hiante renes nudi apparerent. Medicatione admodum longa, et operosa non solum nihil est actum, sed ulcus in fistulam conversum est ita periculosam, ut peritiores manum ipsi admovere ausi non sint; febri etiam cum mulier arderet, et summa doloris acerbitate afficeretur, rebus accisis ac prope perditis, ad Regalatum confugere, Deo interius incitante, constituit. In equo igitur, ut potuit, leucarum sex hispaniensium itinere ad Aquileriam contendit Petri Reliquias veneratura, ejusque opem imploratura. Quod cum fecisset majori, quo poterat, fervore spiritus, seque postea dedisset in viam in patriam reversura, vix aliquantulum progressa fuerat, cum equo desiliens gestiensque prae gaudio, valere se optime inclamavit, nullisque aut renum, aut lumborum doloribus ultra cruciari. Et revera a Marito itineris comite, arte Chirurgo, etiam atque etiam recognita fistula deprehensum est, eam cicatrice modice obducta penitus coaluisse, et morbum morbique reliquias omnes momento temporis abstersas esse: quin etiam auctis eodem tempore pristinis viribus, habitu corporis firmiore deinceps fuit, suisque muneribus, ut antea fecerat, exequendis cum primis idonea. Haec ea sunt, quae pluribus aliis omissis in antiquissima hac causa, tamquam omnium certissima, referenda esse putatum est. Illud unicum remanet observatu dignissimum, quod a Sanctissimo Domino nostro factum est in hujus causae favorem, quo, cum summum eidem decus auctum fuerit et ornamentum, tum quanti ea sit meriti luculentissime declaratur. Sanctissimus siquidem Dominus Noster pro summa sua illa, ac pene incredibili cognitione, quam in hujus praecipue generis causis assiduo tot annorum studio, improboque labore sibi acquisiverat, aequissime non minus, quam sanctissime stabiliverat die vigesima secunda Aprilis anni millesimi septingentesimi quadragesimi primi, ut Servis Dei, quorum virtutes heroicae oculatis essent testibus destitutae, honores divini nequaquam decernerentur, nisi quatuor post mortem patrata miracula Apostolicae Sedis judicio comprobarentur. Hoc igitur ipso vitio Regalati causa cum laboraret, solemnis ejusdem Canonizatio haberi minime poterat, nisi quatuor prius fuissent rite asserta miracula. Animadvertens vero idem Summus Pontifex in heroicis Regalati virtutibus confirmandis oculatorum testium auctoritatem quatuor miraculorum testimonio fuisse suppletam, hinc ejusdem causam in earum numero, de qui-

bus in suo Decreto loquutus fuerat, minime comprehendi amplissime declaravit die secunda Augusti ejusdem anni. »

« Cum itaque duobus praefatis miraculis Apostolicae confirmationis fuisset robur adjunctum, et in generali Rituum Congregatione habita coram Sanctitate Sua die vigesima secunda Septembris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti ab omnibus Patribus unanimi sensu affirmatum, tuto posse beatum Petrum Regalatum in Sanctorum numero recenseri: post effusas ad Deum plurimas preces, et imploratam in re tam gravis momenti caelestis luminis opem, die tandem sexta Octobris ejusdem anni beatum eumdem Petrum Regalatum Sanctorum fastis adscribi posse publice declaravit. Hoc autem ut fiat, Catholicae Hispaniarum Familiae Reges, et universus Minorum sancti Francisci Ordo preces ab initio causae Sanctae Sedi porrectas et confirmant, et augent. »

COMPENDIUM

Vitae, virtutum, et Miraculorum, necnon Actorum in Causa Canonizationis BEATI JOSEPHI a Leonissa Sacerdotis Professi Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum.

Ex Monumentis Sacrae Rituum Congregationis.

« JOSEPH in Baptismate nuncupatus Euphranius, Leonissae Aprutii Oppido non ignobili natus anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, pridie nonas Januarii, Joanne de desideriis et Francisca de Paulinis ingenuis honestisque parentibus, quam sublimiter electus fuisset in sortem Domini, singulari eidem collocato ab ipsis incunabulis beneficio, divinitus manifestatum fuit. Cum enim parum abfuisset, quin adhuc lactens a matre dormiente incaute suffocaretur in lecto, ea gravi alapae ictu invisibili manu percussa, et a somno experrecta, imminentis mortis periculo ereptus est. Puer vero, ubi primum per aetatem licuit, honeste a parentibus institutus, et vultu totiusque corporis conformatione caelestem plane indolem spirans, coepit eximia futurae sanctitatis indicia praeseferre. Ab iis siquidem oblectamentis, quibus aetas puerilis duci maxime solet, vehementissime abhorrens, de nulla alia re magis delectabatur, quam de invisendis frequenter Ecclesiis, et singulari quadam animi voluptate jam tum sedulam orationis studio operam impendebat. Vix annos septem natus, cum miro quodam amore silentii, incredibili erga inopes misericordia, et perpetua quadam, sibique semper constanti morum suavitate et gravitate commendaretur, tum in puero plane mirandum, quod in pervigiliis beatissimae Dei Genitricis, et sextis quibusque feriis tam rigidum sibi jejunium indixit, ut solo pane et aqua vitam libentissime toleraret. Grandior postea natu factus, castigatior etiam in dies evasit atque perfectior. Cum enim in Societatem Sanctissimi Salvatoris dedisset nomen, non solum corpus flagellis coepit acriter caedere, divinis sese frequentius Sacramentis munire, aliisque christiano homine dignis operibus impensius incumbere, sed etiam (quod in ea aetate admiratione dignissimum est) aequales suos, qua poterat, ad pietatis studium hortari, et pro viribus suadere, ut coercendis pravis animi cupiditatibus primo tempore assuescerent, et a choreis praesertim, ceterisque ejus generis oblectamentis, quibus in summum periculum adducitur spiritus, temperarent. »

« Parentibus e vita sublatis, Viterbium profectus, ut apud Patruum, qui in ea Civitate magna cum laude publico docendi munere fungebatur, liberalibus disciplinis animum coleret, litterarum studium cum religione, pietate, innocentia arcte adeo copulavit, ut ab eo uberrimum retulerit fructum, his vero admirationem in omnibus excitaret. Castimoniae et pudicitiae eo usque amans fuit, ut, cum idem Patruus honestissimarum nuptiarum cum opulenta, ac nobili genere nata virgine ipsi molestissimus esset auctor, non modo eas constantissime repudiarit, perpetua Deo vota virginitate, sed eo urgente atque sollicitante, tantum fuerit animo commotus ac perturbatus, ut iniquo morbo correptus, eo in dies ingravescente, reverti in Patriam coactus sit. Ibi omni timore vacuus,

omni etiam morbo brevi convaluit. Cum vero de novo vitae genere secum ipse statim deliberasset, qua maxima poterat celeritate sacrae Capuccinorum Familiae nomen dare constituit. A quo Religionis proposito cum multis Domesticorum blanditiis, precibus, minisque saepe tentatus deduci minime posset, laetus tandem et victor in eorum Patrum Sodalitatem adscitus est. »

« Tirocinio absoluto, solemnibus emissis votis, egregiaque navata opera tum Philosophicis, tum Theologicis disciplinis concionandi provinciam ab Ordinis Superioribus ultro sibi commissam obedientiae virtute, ac pene invitus accepit; Quam quidem, cum singulari Religionis reparandae augendaeque pietatis zelo succensus esset, fortiter maximaque populorum utilitate sustinuit. Cum vero interea contigisset, ut quidam ex eadem Capuccinorum Familia non ita pridem vita functus sese ipsi videndum dedisset, ut vivens, Deo annuente, promiserat, et ab eo de summa divini judicii severitate multa intellexisset, tanto metu atque terrore perculsus est, ut quasi ad virtutem lento tunc pede progrederetur, de ineundo asperiori ac perfectiori vitae genere deliberaret. Animo igitur reputans, se certissimam privatam salutem suam operaturum, si pro publica Christianorum, et Infidelium animam suam devoveret et poneret, Constantinopolim cogitavit, ubi et opem ferret nostris hominibus in molestissimam captivitatem abductis, et alienos a vera pietate populos Romanae Religioni conjungeret, aut certe pro lege Christi crudelissimam mortem oppeteret. Facultate post diutinas preces a Superioribus impetrata, cum maritimo itineri se commisisset, non unum habuit divinae erga se voluntatis atque benevolentiae evidentissimum argumentum. Exorta siquidem repente horribili tempestate, cum navis in immensum crescentibus fluctibus operiretur, Nautis omnibus animum despondentibus, non modo solus Joseph tanquam vir magnae fidei non dubitavit, sed omnium admiratione precibus suis obtinuit, ut subito fieret in mari tranquillitas magna. Cum viaticum paulo post fuisset exhaustum, pauculas quasdam, quae Josepho forte supererant, panis reliquias ad ejus preces adeo Deus amplificavit et auxit, ut omnibus ad vescendum illae suppeterent. Egressus autem e navi, cum reliquum itineris pedibus conficere constituisset, quaque versum sibi foret eundem penitus ignoraret, Fratris Filium jam pridem e vivis in Oppido Leonissae sublatum sibi habuit occurrentem, qui, Patruo ejusque Sodalibus ad quoddam beatae Virginis Templum Urbi Constantinopolitanae conterminum ductis, ex omnium conspectu improvisus evanuit. »

« Divinis hisce laetus auguriis Urbem Joseph ingressus, nullis incommodis, nullis laboribus, nullis difficultatibus frangi potuit aut retardari, quo minus christianos homines in miserrima illa captivitate jacentes omni, qua poterat, ope levaret, erigeret, solaretur. Quin etiam cum ea spe teneretur, si ad ejurandam Mahumetanam superstitionem supremus ipse Turcarum Tyrannus adduci potuisset, fore ut facile Populus universus voluntati exemploque Principis se conformaret, vehementiori quodam Religionis studio inflammatus eum adire constituit, eique se ducem esse et auctorem ad amplectendam Christi doctrinam At vero, dum magno animo, fidentique expleturus consilium suum in intima Principis cubicula pedem tentat inferre, regii Satellites concursu facto hominem comprehendunt, et pugnis, calcibus, verberibus, omnique contumeliarum genere cruciatum in arctam custodiam detrudunt. Gaudebat Athleta Christi fortissimus, quod dignus habitus esset, qui contumelias atque tormenta pro Jesu nomine pateretur, nihilque illi gratius poterat evenire, quam si inter supplicia quaelibet acerbissima Christianam fidem suo sanguine confirmaret. Votis ejus arrisit Deus: Lata enim in eum mortis sententia saevissimo quodam supplicio perimendus Satellitibus traditur, a quibus pede manuque dexteris unco ferreo e sublimi suspensus est ea lege, ut tamdiu ex ea trabe penderet, quamdiu dolore et fame confectus crudelissimo mortis genere animam exhalaret. Spe tamen sua frustrati sunt; Quamvis enim neque ipse martyrio, neque martyrium ipsi defuerit, sola tamen ea mors defuit, quam unam, ut dissolveretur, esselque cum Christo, ardentissime cupiebat. Postquam scilicet triduo hujusmodi crudele supplicium invicto animo toleraverat, fidem-

que catholicam elata voce testatus fuerat, Satellitibus igne fumoque supposito, frustra obnitentibus, ut voce interclusa halituque prohibito vel interiret, vel concionari desineret; factum est, ut Angeli in forma pueri beneficio vinculis solutus ex unco deponeretur. Curatis subinde ab eodem de repente vulneribus, viribusque cibo aliquantulum reparatis, in Italiam jussus est remeare, aliud martyrii genus pro bono christianae Reipublicae subiturus. Cui cum vir sanctissimus paruisset, iterque repeteret, Graecum Antistitem, qui turpiter a Religione desciverat, atque in impietatis praemium gerendam primariam acceperat Praefecturam, ab errore suis concionibus revocatum secum victor abduxit. »

« Itaque in Italiam reversus, satis explicari non potest, quam assiduum fortemque legis divinae praeconem sese praeberet, et quantus in eo esset, ut male affectos Fideles reduceret ad sanitatem, probos vero acrius ad virtutem et pietatis studium accenderet. Cum vero prospiceret abunde semper in Urbibus sacros suppetere Concionatores, qui animarum saluti religionique consulerent; contra autem in Pagis, Villis, locisque campestribus, ubi messis est multa, paucos esse Operarios, qui ambulantibus in umbra mortis Evangelicae veritatis lumen afferrent; hos ipse sibi erudiendos, informandos, evangelizandos studiose proposuit. Totius igitur anni curriculo, quadragesimali praesertim tempore per Vicos et Castella circumiens Vir vere Apostolicus tanta aestuabat erga Proximos charitate, ut et dies integros a solis ortu usque ad occasum itineribus, concionibusque consumeret, et sexies, septies, undecies etiam aliquando, atque duodecies diversis locis, diversis populis, diversis argumentis eodem semper fervore spiritus, eadem semper mentis alacritate quotidie concionaretur. Mirandum plane, quod vir tot austeritatibus pene consumptus, sacco indutus, cilicio, loricaque ferrea praecinctus, solo quandoque panis frustulo ab Agricolis pauperrimis emendicato sub vesperam pastus, imbre saepissime madidus, vehementissimo aestu solis exustus, ardenti etiam febri aliquando cruciatus, ut Christo lucrifaceret animas, tot itineribus non lassaretur, tot laboribus non frangeretur, nulla aeris intemperie perterreretur, nulla corporis aegritudine retardaretur. »

« Neque tamen his solum confiniis, licet amplissimis charitatis ejus spatia contineri potuerunt; sed ea usque adeo extendi voluit, ut cum tot flumina emitteret aquae vivae ad irriganda Fidelium corda e suggesto, non ideo tamen sibi acquiescendum putaret. Si quos enim praeterea a veritatis tramite errantes intellexisset, eos ipse in privatis etiam eorum domibus, in publicis etiam semitis convenire non dubitabat, eosque exhortando, obsecrando, increpando in omni patientia et doctrina transferre de tenebris et umbra mortis in Regnum filiorum Dei totis viribus conabatur. Quin etiam intelligens, quemlibet adolescentem juxta viam suam, etiam cum senuerit, ab ea non recessurum, puerisque rite institutis perennem fieri pietatem, ad eos etiam instruendos informandosque charitatis suae viscera dilatavit. In Ecclesiis igitur, in plateis, in vicis, in domibus, in ipsis montium cavernis quos invenire et congregare poterat rusticos pueros et Pastores primis fidei elementis instruere, necessaria Religionis mysteria edocere, salutaribus monitis confirmare, sancto timore Domini imbuere, patientia incredibili summaque sui spiritus suavitate, quoties licuit, minime praetermisit. »

« Porro, cum tantis laboribus pro Fidelium utilitate susceptis congruum foret, ut fructus amplissimus responderet, mirum esse non debet, quod Josepho in vinea Domini strenue adeo laborante, plantante, rigante, Deus maximum dederit incrementum. Certum enim est, quod homines flagitiosissimi ad sanam frugem revocati fructus poenitentiae dignissimos ediderunt; quod mulieres libidinis coeno sepultae a peccandi consuetudine feliciter emerserunt; quod et privatae Personae, et Familiae quamplures, et integri pene populi cum odiis acerbissimis inter se multo tempore dimicassent, iis extinctis in gratiam fide optima redierunt; quod blasphemiis ad Infernum detrusis omnium ora Dei laudibus resonarunt; quod Templa in pluribus locis aut reparata, aut sacra suppellectili decenter ornata, aut etiam a fundamentis extructa sunt; quod aleae vitium eliminatum; quod repressa chorearum licentia;

quod bacchanaliorum consuetudines extirpatae.

« Interea, cum tot tantasque quotidianas clades acciperet infensissimus humani generis hostis, et tanta ipsi inferretur, uno Josepho auctore, pernicies, incredibile dictu est, quanta in eum indignatione excandesceret, quantas ipsi moliretur insidias, quantas contra illum excitaret tempestates. Quoniam vero collectam diu rabiem ipse per se in Josephum effundere prohibebatur, effecit, ut hoc ipsum per improbos quosdam homines ministros suos, quorum vitia moresque corruptos Apostolica libertate reprehendebat, abundantissime consequeretur: Itaque cum innumeris fuisset ab iis lacessitus injuriis, maximisque contumeliis affectus, eo tandem furoris insaniaeque deventum est, ut in publico omnium conspectu, medioque Oppidi foro barba ipsi per summam injuriam avelleretur, verberibus et colaphis immaniter caederetur, et parum abfuerit, quin a scelestissimo quodam, arrepto utraque manu caputio, eoque collo arcte perstricto, elisisque faucibus praefocaretur. Quae tamen omnia tam aequabili invictoque animo vir vere Christianus toleravit, ut charitatis, patientiae, humilitatis exemplar evaserit admirandum. Gaudio siquidem in tribulatione pro Christo superabundans cum malediceretur benedicebat, cum persecutionem pateretur, sustinebat, cum blasphemaretur, obsecrabat; et Christi Jesu mortificationem in corpore suo circumferens, ejusque consilium peragens percutienti maxillam, alteram protinus offerebat. »

« Neque vero constanti adeo voluntate aeternam tantum animarum salutem Josephus operabatur, sed dici vix potest quantam susceperit etiam corporum curam, quantoque amore inopes omnes complecteretur. Hinc non solum eos cibos, qui sibi contingebant, majori ex parte cum pauperibus communicabat, et omnes communis mensae reliquias diligentissime colligebat egenis impertiendas, sed non exiguam insuper horti aream de Superiorum licentia suis ipse manibus colens, quidquid inde aut fructuum accipiebat aut olerum, id omne amantissime pauperibus elargiebatur. Guardianus porro cum fuit, etsi nunquam domo diverteret, quin secum deferret aliquid, quo obvios in via pauperes solaretur, quandoque tamen cum nihil sibi praeterea reliquum foret, eo usque voluit esse misericors, ut suis ipse vestibus trementes ex frigore pauperes operiret. Si vero quandoque Apostolico muneri incumbens in aliquo extra Conventum hospitio degeret, (quod saepissime contingebat) tum in aliud pauperes turmatim compellere, ibi eos a capitis vestiumque sordibus purgare, pedes eorum tergere, plagas curare et osculari gaudebat; tum lautioribus, quibus poterat, esculentis reficere, somnoque opportuno in praeparatis lectulis recreare. Quin etiam in ipsas se insinuans secretissimorum carcerum obscuritates, confectos ibi squalore ac fame homines, omni quocumque modo poterat, relevare satagebat; si quem vero eorum vel innocentem deprehenderet, vel morti destinatum intelligeret, illius causam apud Judices agere; hunc vero omni, quo posset, officii genere apud Deum juvare et consolari studebat. Cum autem vehementissime optaret, ut, qua ipse aestuabat, singularis charitas in omnium animos diffunderetur, et ad futuras etiam aetates transmitteretur, a ditioribus quibuscumque, qua precibus, qua monitis, qua minis, qua pollicitationibus impetravit, ut suam in sublevandis pauperibus operam collocarent. Quo factum est, ut ex eleemosynis collata pecunia, plura in diversis Oppidis vel instauraverit, vel excitaverit pauperum et peregrinantium Hospitia, et certos perpetuosque Pietatis, ut vocant, Montes solertissime stabiliverit, quorum fructus in egenorum beneficium erogarentur. »

« Haec autem pietatis officia Deo fuisse acceptissima pluribus insignibusque miraculis Deus ipse testatus est: Inter quae illud non est praetermittendum, quod Ocriculi summa omnium admiratione patratum est. Ibi enim cum esset Joseph, habuissetque sermonem de eo Christi miraculo, quo quinque panibus et duobus piscibus quinque hominum millia saturaverat, quoniam summa id temporis annonae caritate ii Populi laborabant, sua in Deum fide Josephus obtinuit, ut ex perexigua farina, quam acceperat ex eleemosyna, tanta panis copia conficeretur, quanta sufficeret integro illi populo, finitimisque,

quae ad concionem confluxerant, gentibus abundantissime saturandis. Borbonii item, in summa pariter rei frumentariae angustia de eodem Christi miraculo verba fecisset, et perexiguam farinae eleemosynam accepisset, nedum ea mille sexcentorum hominum famem explevit, sed etiam tanta panis copia superfuit, quanta esset satis, ut postero die toti populo distribueretur. »

« Hactenus de eo spiritu Domini ferventissimo, quo vir Apostolicus ferebatur in eos omnes, quos sibi conjunxerat christiana charitas. De iis modo virtutibus pauca subdenda sunt, quibus in excolenda domestica vitae ratione mirifice effulsit: Inter quas cum principem sibi vindicet locum humilitas, hinc non immerito, cum magnum ab initio construere cuperet aedificium sanctitatis, de jaciendo prius cogitavit alto fundamento humilitatis. Quamobrem et internam animi demissionem vigilantissime coluit, et contemptus hominum ardentissime concupivit; oblatos in Religione honores et gradus, quoad potuit, constantissime recusavit, eosque obedientiae virtute susceptos citius, quo potuit, dimittendos curavit. Et quemadmodum domum verrere, terram effodere, lances in coquina detergere, exportare vasa in contumeliam, viliora quaeque praestare, tanquam qui omnium abjectissimum se putabat, jucundissimum illi fuit: ita, cum maximum se ex animo crederet peccatorem, ceterorum precibus se commendare consuevit. »

« Porro ex hac tantae humilitatis radice suam traxit originem caeca illa obedientia, qua adeo Josephus excelluit, ut cum Christum Dominum fide non ficta in suis Superioribus intueretur et coleret, cum iis non aliter quam flexis genibus nudoque capite colloqueretur, neque eorum imperium sibi duceret expectandum, sed voluntatis indicia perscrutanda. »

« Tantam vero crucis mortificationem in corpore suo portavit, ut cum pane durissimo mucidoque, et putrescentibus aquis se durissime, ut plurimum, sustentaret, ad lautitiem aliquando unum aut alterum vini cyathum adhiberet, cineribus prius bene corruptum, et semiustis quibusdam putridis aspersisque fuligine leguminibus, vel crudis quandoque oleribus uteretur. Ciliciis etiam diversi generis cum castigaret corpus, ferrea quadam catena dies noctesque ita constringebatur, ut, cum tumescentibus membris caro labefactata putrescere inciperet, forcipe fuerit obtruncanda. Tum in abditissima domus sylvaeque loca secedens, remotis arbitris, inusitatis flagellorum generibus corpus suum ita diverberabat, ut sui ipsius crudelissimus carnifex laniusque ab ipsis Fratribus et vocaretur et esset. Quo factum est, ut legem in membris suis repugnantem legi mentis suae sentire minime videretur, et quo carne mortificata depressior, eo spiritu vivificato sublimior in rerum caelestium contemplationem assurgeret: Huic enim sic erat deditus vir religiosissimus, ut vix possit intelligi, quonam pacto et orationis assiduitati, et una Proximorum saluti tantopere posset incumbere. Siquidem, ut orandi satietatem expleret, saepe insomnes traducebat integras noctes, et meditationibus jugiter vacans ex visibilibus quibuscumque, in quae oculus incidebat, ad invisibilia Dei vel invitus rapiebatur. Hinc ante sanctissimam Christi Domini de Cruce pendentis imaginem plures horas consistere visus est, aliquando brachiis extensis atque sublatis, aliquando vero in sublime raptus e terra, radiosque ex vultu emittere lucidissimos. Acerbissimam vero ejusdem Passionem tam attenta mente animoque sollicito contemplabatur, ut dolor, quo intus afficiebatur, per varias totius corporis distortiones vere summus esse cognosceretur. Tot tantarumque virtutum odoratus Dominus suavitatem odoris, ut Servi sui sanctitatem omnibus manifestaret, insignium charismatum dona illi largiri dignatus est, multorumque miraculorum gloria condecorare. In spiritibus itaque discernendis, in secretis cordium abditissimis penetrandis, in rerum eventibus longe in posterum prospiciendis, in gravissimis morbis simplici tactu, prece, imperio expellendis, in bestiarum feritate edomanda, in elementis ad arbitrium suum moderandis atque flectendis illum mirabilem sic Deus fecit, ut cum numerando non possint singula recenseri, necesse sit ex iis summatim aliqua delibare. Truentum igitur expanso super aquas pallio una cum Socio transegit: Marojam fluvium sicco pede calcavit: In Tem-

plo triturantibus comminatus, cum, extincto bove, poena illico subsecuta esset, illum paulo post Agricolae pauperrimi lacrymis precibusque commotus ad pristinae vitae munera revocavit: Ex arido monte ad Socii sui sitim sedandam cum aquae venam aperuisset, eaque subito exsiccata, locus paulo post a quibusdam indagaretur, ubi miraculum contigisset, aquae iterum eruperunt, quibus epotis nullum amplius visum est aquae vestigium. »

« Interea tempus illud advenerat a Josepho multo ante praescitum ac praenunciatum, quo reposita corona justitiae, quam repromisit Deus diligentibus se, in triumphanti eum patria Dominus coronaret, quem bonum certamen certantem tantis charismatum donis jam coronaverat hic in terris. Plurimis igitur acerbissimisque cum coepisset affictari doloribus, et intelligeret horam novissimam appropinquare, satis explicari non potest, quam totus in id incumberet, ut animo praeparato venienti Domino laetus occurreret. Quamdiu per vires licuit, licet infirmus, immaculatam Deo hostiam offerre non praetermisit: Quod postmodum cum peragere acerbioris morbi vi prohiberetur, illud saltem solatii capere nitebatur, ut ante horas matutinas e lectulo suo consurgens ad Ecclesiam descenderet, ibique de Superioris manu sanctissima Eucharistia reficeretur. Ubi vero morbo invalescente e Cella egredi minime potuit, illud obtinuit, ut expiata per Exomologesim conscientia, immaculato Christi corpore, tanquam salutari vitae immortalis pignore, diebus singulis in sui domicilii vestibulo flexis genibus cibaretur. In meditanda interea Passionis Dominicae historia, in precibus recitandis, in persolvendo divino Officio reliquas diei partes devotissime transigebat: Donec instante novissimo mortis agone, Ecclesiae Sacramentis summo pietatis ac Religionis fervore susceptis, Christi Domini amantissime osculatus effigiem, dum corpus oculosque tanquam in Caelum properaturos attollit, placida serenaque fronte cursum felicissime consummavit in Amatricis Oppido, die quarta Februarii anno millesimo sexcentesimo decimo secundo, aetatis suae quinquagesimo septimo. »

« Mirum quanta speciei venustate florere subito coeperit beati cadaveris facies, quae antea, cum esset vivens, morborum diuturnitate vitaeque austeritate squalebat! Mirum quanta odoris suavitate ipsa etiam intima dissecti corporis viscera redolerent? Mirum quam vivida, quam flexibilia, quam mollia membra conservarentur! Quin etiam ipsa corporis intestina excrementitiis faecibus divinitus, ut creditum fuit, depurgata fragrantissimo inventa sunt humore lacteo redundare. Quae dum miratur Chirurgus, Deumque in Sancto suo mirabilem praedicat, Josephi sanctitatem sibi ipsi beneficam expertus est: cum enim inter secandum novacula sibi digitum gravi vulnere sauciasset, opportunissimam in Josephi sanguine medelam invenit, qua illico sanaretur. »

« Evulgata autem felici Josephi morte, ad visendum venerandumque sanctum illius Corpus tanta multitudo sanctitatis ejus fama ac religioni succensa in Oppidum Amatricis confluxit, ut finitimae Regiones omnes suis propemodum convulsae sedibus viderentur; quibus Josephus Apostolica illa charitate adhuc incensus, qua semper exarserat hic in terris, innumera obtinuit ab omnipotenti Domino beneficia. Quot enim diuturnis affectos morbis in pristinam valetudinem incolumitatemque restituit: Quot ab obsessis corporibus spiritus immundos ejecit! Quot intimum cordis dolorem ingessit, quo peccatorum veniam a Domino consequerentur! »

« Quamobrem cum, fama sanctitatis, gloria miraculorum, et populorum devotione ubique percrebrescentibus, votis omnium haberetur dignissimus, de quo ageretur inter Caelites referendo, plures formati sunt de ejus virtutibus miraculisque post mortem, ordinaria primum, deinde Apostolica auctoritate Processus: Quibus rite discussis, iisque adamussim servatis, quae in re tanti momenti Summorum Pontificum Decretis praescripta sunt, Clemens XII. P. O. M. die decima quinta Julii anni millesimi septingentesimi trigesimi quarti sacrae generalis Rituum Congregationis judicium de heroicis Josephi virtutibus Decreto Apostolico confirmavit; die vero octava Junii anni millesimi septingentesimi trigesimi septimi duo miracula comprobavit: Puer siquidem, qui ab ipsa nativitate

palpebras ita simul habebat unitas, ut ad videndum perpetuo impos judicaretur. Josephi ope illico luce donatus est: Laurentius vero Novellus cum fuisset in genu gravissime vulneratus, invocato Josephi nomine, momento temporis ab omni vulnere sanatus fuit. Hinc, cum Sacrae Congregationis judicio inter Beatos recenseri posse declaratum fuisset, idem Clemens XII. Summus Pontifex Josephum Beati nomine insigniri, ejus Reliquias publice venerari, et in aliquibus locis de eo Officium recitari, Missamque Confessoris non Pontificis juxta Breviarii Romani rubricas celebrari permisit. »

« Novis postea Processibus efformatis, ut, quae post indulti cultus concessionem nova miracula supervenerant, more solito probarentur, eorumque validitate discussa, duo in generali Congregatione coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. P. O. M. habita plenis calculis Patres approbavere: Josephus scilicet Dionysius annorum duorum puer tantam corporis debilitatem ab ipso vitae exordio contraxerat, ut stare nullo modo posset; carnis vero fibras adeo lentas habebat atque flexibiles, ut ad modum lintei complicarentur: Cum eum Mater delatum ad Templum super illud Altare collocavisset, sub quo jacebat Josephi corpus, Puerumque illius patrocinio maxima fide commendavisset, tanta roboris firmitate consolidatae sunt illico bases Pueri, et tam perfecta virium integritate corpus ejus donatum est, ut ex seipso subito incedere, deambulare, et currere sine ulla difficultate potuerit.

« Antonia item Morellia quadam fistula tam graviter laborabat, ut non solum sanies ex ea permixta sanguine flueret, sed ea hiante tam vehemens erumperet ventus, ut candelae sufficeret extinguendae: Accedentibus postmodum tussi, febri, acerbissimisque doloribus, de ejus sanitate fuerat conclamatum. Vix autem oleo, quod ante sacrum beati Josephi corpus ardere consueverat, oblinita ea fuit, cum eodem momento temporis fistula evanescente, febri, tussi doloribusque cessantibus, integre fuit pristinis viribus restituta. Quae duo miracula Sanctissimus Dominus Noster Apostolica auctoritate firmavit die prima Maji anni millesimi septingentesimi quadragesimi quinti. »

« Cum autem die tertia Augusti ejusdem anni idem Summus Pontifex in generali Congregatione ab universis Patribus intellexisset, locum esse, ut tuto caelestes in terris beato Josepho decernerentur honores, post adjutorium caelestis luminis, suis aliorumque Christifidelium precibus imploratum, die decima septima ejusdem mensis Sacrae Congregationis Secretario, et Fidei Promotori jussit, ut Canonizationis beati Josephi Decretum emitteretur. Pro cujus Decreti executione precibus in vestibulo causae olim a Regibus, et Principibus christianis quamplurimis devote porrectis, suas modo humillimas supplicationes addit omnis Fratrum S. Francisci Capuccinorum Familia. »

COMPENDIUM

Vitae, virtutum, et Miraculorum, necnon Actorum in causa Canonizationis BEATAE CATHARINAE de Ricciis Florentinae, Monialis Professae Ordinis Praedicatorum.

Ex Monumentis Sacrae Rituum Congregationis.

« CATHARINA de Ricciis Florentiae in Hetruria nata octavo Kalendas Maji anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo secundo Parentibus pietate et nobilitate conspicuis, ab ipsa infantia complura dedit non exiguae sanctitatis exempla. Puerilia siquidem oblectamenta mundique illecebras respuens, silentio, solitudine et oratione adeo delectabatur, ut Angeli sui Custodis aspectu et consuetudine frui, ejus colloquiis frequentissime recreari, eumdemque habere meruerit Praeceptorem in Rosarii, ut vocant, precibus recitandis. Ex qua precandi methodo, in contemplandis Dominicae vitae mysteriis jugi meditatione defixa cum esset, incredibilem illum traxit divini amoris ardorem, quo postea tam vehementer toto vitae suae tempore aestuavit. Monialibus suburbani Asceterii Divi Petri e Monticulis nuncupati instituenda cum fuisset tradita, ita supra suam aetatem caelestium rerum contemplationi se dedit, ut non in terris, sed in caelis vivere videretur; praecipue vero tanto mentis ardore, tanta la-

crymarum vi Christi Domini de Cruce pendentis imaginem singulosque ejusdem cruciatus assidue contemplabatur, ut et de eis assidue colloqueretur, et eos variis sui corporis actibus effingere conaretur, et prae doloris magnitudine conficeretur. Quo factum est, ut Christum Dominum audire meruerit sibi voce clara atque sensibili ex eadem imagine colloquentem. Decennem ex eo Monasterio cum Pater eam vellet abducere, facultate impetrata, ut antequam ad domum paternam reverteretur, commorari per decem dies sibi liceret in Monasterio Pratensi S. Vincentii Ordinis Praedicatorum, nec precibus, nec minis adduci potuit, ut inde egrederetur, nisi interposito sacramento fidem suam Genitor obligavisset de celeri reditu permittendo. Cum vero promissis ille non staret, et dilationem reditus variis praetextibus causaretur, tanta ejus animum aegritudo corripuit, ut ex febri decumbere coacta fuerit. Hoc argumento voluntate Dei manifestatam, omnique cogitatione deposita de ea in matrimonium tradenda, ut ad Pratense Monasterium rediret, tandem aliquando permisit Pater. Ibi igitur tredecim annos nata Religiosae vitae tirocinium ingressa arduum perfectionis iter, quod a teneris annis jam arripuerat, tanta animi alacritate prosecuta est, ut jam tum virtutum exemplo senioribus omnibus praeluceret. Praecipue vero, cum rerum caelestium contemplationi multo, quam antea vehementius instaret, in Deum frequentissime rapta tam admirabiles ectases patiebatur, ut omnino destituta sensibus judicaretur. Illud autem in ea multo admirabilius, quod hoc ipso tempore, quo tam singularibus gratiis illustrabatur a Domino, tam demisse humiliterque de se ipsa sentiebat, ut metueret, ne tamquam minus idonea et omnium imperfectissima a Monasterio dimitteretur. »

« Expleto Probationis tempore, quam tamdiu concupiverat, votorum solemnem professionem emisit, in qua, cum antea Alexandra nuncuparetur, Catharinae sibi nomen assumpsit. Rata vero in suscepto sanctioris vitae instituto sibi acrius incumbendum religiosarum virtutum studio, satis explicari non potest, quanta animi contentione gloriosas illas, quibus Ordo Praedicatorum abundat et illustratur, gloriosas Virgines aemulari, et secum ipsa certare niteretur, ut in dies melior evaderet atque perfectior. Solicita, ne ignis ille divini amoris, quo erat accensa, terrenis curis et cupiditatibus implicatus et suffocatus tepesceret, vel etiam extingueretur, id unum semper prae oculis habuit, ut nihil loqueretur nisi de Deo, nihil ageret nisi ad gloriam Dei, nihil nisi Dei clementiam, justitiam, sapientiam, pulchritudinem, omnipotentiam meditaretur. Quo factum est, ut, cum nec ipsa se avellere posset a Deo, nec alio a rebus exterioribus avocari, quidquid sibi ob oculos obversaretur, quidquid acciperet auribus, quidquid attingeret sensibus, omnia illam in Deum quasi violenter raperent, majoremque semper escam suppeditarent, qua suus ille ignis immensum evaderet in incendium. Hinc voces illae continuae, continua illa suspiria, quibus interni ignis exhalare conabatur ardorem: Hinc tot illi defectus corporis et tam longa deliquia, quibus jugiter charitate vulnerata languebat: Hinc crebrae illae protestationes, quibus se quidem indignam esse asserebat, quae igne divino accenderetur, fieri tamen minime posse, ut sine eo vitam traduceret: Hinc uberes illae gestientis animi voluptates et caelestium gaudiorum deliciae, quas, cum diutius inter angusta pectoris sui confinia continere non posset, in vultum identidem erumpebant divino splendore longe lateque radiantem: Hinc ecstases illae admirabiles, quibus per dies integros sensibus destituta, et in aera quandoque sublata unice cum Deo conversabatur, et miro quodam splendore micabat: Hinc lux illa caelestis speciesque coruscantis cujusdam flammae, quam ex ore oculisque emittebat, cum vel Dominicae Passionis mysteria recoleret, vel sacrae Eucharistiae pabulo reficeretur: Hinc denique fervidissimae illae adhortationes omni gladio ancipiti penetrabiliores, quibus saepissime in ipso mentis excessu de Sponso suo divino tam alta, tam praeclara, tam magnifica praedicabat, ut amoris divini flammam in ipsis etiam lapideis cordibus excitavisset. »

« Neque vero caelestis Sponsus, qui gratiam suam Servis suis dat affluenter, minora passus est hic in terris exhiberi Sponsae suae

argumenta maximae charitatis: Sacra siquidem Redemptionis Stigmata Catharinae sinistro lateri, manibus pedibusque sanguineis quibusdam rutilisque notis insculpta: Spinosum Diadema, quo caput Catharinae transfixit: Crucis vestigia Catharinae tergo profunde impressa: Suimet ipsius exterior species a Catharinae vultu viva quadam similitudine aliquando, eo permittente, expressa atque repraesentata: Acerbissima Passionis suae tormenta per duodecim annos singulis hebdomadis ab hora decima octava feriae quintae usque ad vigesimam secundam feriae sextae tum corpori extrinsecus, tum cordi intrinsecus communicata, non minus Catharinae erga divinum Sponsum charitatem, quam Sponsi divini erga suam Sponsam amorem singularem abunde testantur. »

» Haec autem, tametsi amplissima sint et plane singularia, non sunt tamen praeclariora illa argumenta, quibus mutua Catharinae Sponsique caelestis charitas evincatur. Majora siquidem et multo splendidiora remanent recensenda charismata, quae, ut tantae charitati vicem rependeret caelestis Sponsus, in Catharinam voluit uberrima derivari. Memoriae siquidem proditum est, quod, cum aliquando orationi ferventius esse intenta, se ipsam saepe Deipara conspiciendam contemplandamque illi praebuerit, nec dulcissimos modo cum ea sermones habuerit, sed eum ipsum Puerum Jesum, in quem desiderant Angeli prospicere, in ejus sinu amantissime collocaverit, ut eum tenerrime amplecteretur atque oscularetur, et cum illo familiarissime colloqueretur atque deliciaretur: Quodque eademmet Deipara Virgine pronuba ab ipso Redemptore, data dextera, pretiosissimo caelestique annulo fuerit desponsata. Nec silentio praetereundum est, quod, cum quadam die ante Christi Domini de Cruce pendentis imaginem prostrata jaceret, fervidasque de more suo funderet preces, brachia clavis confixa revellens idem Dominus in dulcissimos amplexus Catharinae proruerit, quam cum dulcissimo Sponsae nomine compellasset, ejus preces sibi acceptissimas esse affirmavit. »

» Ex his autem tam sublimibus charismatibus, quibus Sponsam suam tam abunde Christus Dominus insignire voluit et cumulare, sejungi minime debet propheticum illud lumen, quo illustrata et futura, et absentia saepe vidit; et quod summum est, cordium secreta aliquando funditus penetravit. Quod adeo familiare illi fuit, ut, cum saepissime arcana cordium perlegisset, quidque Sorores animo cogitassent, quid mente volvissent, omni dubietate seposita, maxima earumdem admiratione patefecisset, unaquaeque sibi metueret, ne si aliquid minus rectum vel perpetrasset, vel concepisset, a Catharina, cui nihil erat occultum, objurgaretur. Ex quo illud consequebatur, ut suaviter salubriterque tum apud Deum tum apud homines in officio continerentur. »

» Mirum autem videri non debet, quod tantam in semetipsa construxerit fabricam celsitudinis, cum tantum prius de fundamento cogitavisset humilitatis; neque quod Deus talia ac tanta in ea congesta esse voluerit dona caelestia, cum non potuerit non respicere humilitatem Ancillae suae. Haec enim virtus, quae ceterarum omnium est parens atque magistra, quam profundas fixisset in ejus corde radices, ex eo satis cognosci potest, quod divinis charismatibus tam liberaliter locupletata, summis Populorum, Magnatum, Principum laudibus exaltata, adhuc tamen tam demissam humilemque de semetipsa opinionem habebat, ut se maximam peccatricem, communi luce indignam, inutile terrae pondus, vas foetidum et immundissimum non praedicaret modo, sed ex animo reputaret. Hinc aliarum Sororum precibus enixissime se commendare, iis diligentissime famulari, eorum pedes amplecti atque deosculari consuevit: Hinc summam capiebat animo voluptatem, si abjectioribus ministeriis addiceretur, si uteretur vilioribus indumentis: Hinc quidquid in sui gloriam et laudem vel apud domesticos, vel apud exteros cedere posse videbat, alto perpetuoque silentio premendum caute curabat; quidquid vero ingerere contemptum sui, publicum omnibus esse volebat et manifestum. Quod quidem, ut cetera praetermittam; ex hoc uno clare liquet exemplo, Catharinae virtutes, res gestas, et singulares, quas a Domino acceperat, caelestes gratias volumine comprehensas diligenter Me-

niales collegerant, ut posteris vel imitandae, vel admirandae proponerentur: Vix autem tale quid ad ejus cognitionem devenit, incredibile dictu est quanto dolore molestiaque affecta fuerit Catharina. Tamdiu orare, obsecrare, instare humillima Virgo non destitit, ut liber ille conculcaretur, laceraretur, combureretur, quoad usque tandem aliquando in suas manus casu cum devenisset, vehementi humilitatis instinctu agitata flammis subito tradidit comburendum. Neque tamen humilitatis ejus postremus hic extitit terminus, sed eo usque progressa est, ut a caelesti suo Sponso multis precibus lacrymisque summi beneficii loco petierit et impetraverit, ut universis privaretur externis sanctitatis indiciis et argumentis. »

« Ex hujusmodi tam profundae humilitatis radice, veluti legitimus fructus, exactae obedientiae virtus originem traxit, quae, teste sancto Gregorio, ceteras virtutes menti inserit, insertasque custodit. Cum didicisset ex sancto Bernardo, quod: *Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, praeripit praecipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligit voluntatem;* nihil antiquius habuit Catharina, quam ut haec omnia prompto alacrique animo adamussim exequeretur. Neque solum id praestitit vel in rebus facilibus, vel quae juxta Monasterii morem et institutum e Monialibus omnibus fieri consueverant; sed nihil unquam de prompta ad exequendum voluntate remisit, etiamsi difficillimis saepe numero probaretur experimentis; et ardua quaeque, et ejus vires prope excedentia juberentur. Revera ab ejus conscientiae Moderatore fuit quondam illi imperatum, ut sincere fideliterque cuidam ex probatioribus illius Monasterii Sororibus aperiret quidquid sibi a caelesti suo Sponso creditum fuerat; vel in posterum crederetur. Humilitati suae profundissime inflictum vulnus vehementer admodum sensit Catharina; tantum tamen abfuit, ut mandatum non faceret, vel in eo faciendo moras innecteret; quinimo id subito fidelissime praestitit, sua nequidquam reluctante humilitate. »

« Cum vero obedientiam, ceterasque virtutes cum singulari quadam prudentia conjunctas in Catharina Superiores Ordinis intuerentur, rati eam, quae aliis subesse, atque parere tam bene didicerat, non minori cum laude rerumque spiritualium emolumento Monasterii regimini praefuturam, annuentibus, approbantibus, plaudentibus Sororibus omnibus, una duntaxat Catharina id aegre ferente, illam huic muneri admoverunt; in quo tam prudenter, juste, moderateque se gessit, ut Superiorum eorumdem jussu ad quadraginta duos annos, raro atque unico fortasse inter Moniales exemplo, summa cum animi sui molestia illud protraheretur. »

« Constituta autem a Domino super familiam suam, nihil magis cordi habuit, quam ut omnes vota redderent in conspectu Domini, quam ut mutuam inter se charitatem haberent, quae est vinculum perfectionis, quam ut ascensiones in corde suo disponerent, irentque de virtute in virtutem, quam ut Martham, et Magdalenam agentes orationem cum operatione conjungerent, quam ut denique quidquid verbo docebat, suo ipsamet firmaret exemplo. Comis, facilis, blanda, mitis omnes intimis charitatis visceribus, et materna quadam solicitudine complectebatur; sedulo incumbens, ne quam tristitia affligeret, ne quam cogitatio secularis urgeret, ne aliqua nimia quiete torpesceret, ne nimio labore aliqua premeretur: Cumque esset omnium Mater, nullibi magis auctoritatem suam adhibuit, quam ut sibi abjectissima quaeque Monasterii munera reservaret. Sordes igitur verrere, communi mensae inservire, lances in coquina detergere familiarissimum ipsi fuit. »

« Praecipue vero singulari erga Infirmas charitate resplenduit. Iis siquidem famulari usque adeo in deliciis habuit, ut non modo lectulos sternere, cibos propriis manibus praeparare, flexis ipsis genibus ministrare, earum pedes abluere solita fuerit, sed neque ab earum ulceribus sanie manantibus, sordidoque quolibet ministerio sui victrix abhorruerit: Si quae vero in vitae discrimine versarentur, nullum erat pietatis officium, quod ab ea non impenderetur, Cibi somnique prorsus oblita, nec diu, nec noctu veluti a commissa custodia discedebat: Sacramentali gra-

tia refici jugiter satagebat, et a Daemonis vexationibus liberare ferventius nitebatur: Cumque jam eo viderentur adductae, ut cum morte conflictarentur, talibus apud Deum precibus migrantes animas adjuvabat, ut in ecstasim rapta non prius sensibus restitueretur, quam illae obiissent, et ad aeternae salutis portum feliciter appulissent. Neque tamen idcirco solis his finibus circumscribi Catharinae charitas passa est, sed conquiescere minime poterat, donec a Purgatorii poenis ad caelestem Beatorum Patriam eas ipsa suis quodammodo manibus transtulisset. Vix enim concipi potest quot fusis ad Deum precibus lacrymisque, quot proprii corporis afflictationibus pro iisdem divinae justitiae satisfacere niteretur: Illud etiam a Domino enixis precibus petere solita, et impetrare omnium judicio, ut eas poenas a se ipsa adhuc viva repeteret, quae iisdem pro perpetratis culpis levibus debebantur. »

« Qua quidem plane heroica, et singulari charitate non eas tantum animas complectebatur, quae in Pratensi Monasterio, sed universas etiam, quae in toto Orbe ex hac vita in Domino commigrabant: Quin etiam viscera charitatis suae dilatans erga Peccatores, Haereticos, et Infideles eorum perditionem tam amare deflebat, ut se ad quaelibet pro illorum salute tormenta libentissime Domino offerret, et voluntarios proprii corporis animique cruciatus pro eorumdem conversione dicaret. Quo factum est, ut, Domino Servae suae precibus annuente, per multum temporis gravissimis afflicta fuerit morbis acerbissimisque doloribus, quos praeter naturam fuisse Medicorum judicio declaratum fuit. His hominum suspiciones, perversa judicia, calumniae, contumeliae addendae sunt. Quae tamen non solum forti et aequo animo cuncta sustinuit, sed mirifico dilectionis affectu persecutores suos omni benignitatis testimonio complexa, charitatis, patientiae, humilitatis hostia Deo viventi in odorem suavitatis evasit. »

« Omnibus his, quibus vel Catharinae votis satisfacere Deus voluit, vel ejus virtutem tanquam aurum in fornace tribulationis diu multumque probare, accesserunt voluntariae corporis afflictationes. Cilicio, flagellis, frigore, inedia, vigiliis, atque omni poenarum genere per quadraginta et octo annos semetipsam Virgo innocentissima cruciare non destitit. Quo tempore non solum ab ovis et carnibus, Deo jubente, semper abstinuit, sed tanta cum severitate jejunare consuevit, ut plerosque dies solo pane et aqua transigeret. Hinc est, quod tam gloriosum reportavit de seipsa triumphum, ut vel omnino extincto, vel oppresso libidinis sensu, nullum in suo corpore passa fuerit motum pudori virgineo reluctantem, et integritatis candorem ad mortem usque intactum illibatumque servaverit. »

« Hic tamen iterum revocat me Catharinae charitas erga Proximum, singularis illa praecipue erga pauperes misericordia, de qua usque adhuc nullam video a me factam fuisse mentionem. Haec porro tanta fuit in Catharina, ut, cum aere proprio eorum egestatibus subvenire non posset, et intra Monasterii septa conclusa, quaeritandis eleemosynis ad eos sublevandos minus idonea videretur, inops tamen Virgo ab omnibus segregata ingeniosa charitate perfecit, quod multi simul liberi divites facere minime potuissent. Ut enim praetermittam innumeras eleemosynas, quas non solum Pratensibus, sed totius Hetruriae pauperibus in dies singulos erogabat, constat, plures inopes virgines, congruis dotibus assignatis, nuptui aut Coenobio tradidisse, ne earum pudicitia periculum pateretur. »

« Tantarum vero virtutum fama cum intra Pratensis Monasterii septa contineri non posset, per Hetruriam, Italiam, Galliam, Germaniam longe lateque vagata percrebuit. Ad eam igitur undequaque Populi confluebant, vel ut a languoribus sanarentur, vel ut ab immundis spiritibus liberarentur, vel ut ad gratias spirituales obtinendas ejus precibus adjuvarentur: Neque unquam votis inanibus discedebant. Paulus etiam hujus nominis Tertius Pontifex Maximus summam famae adjunxit auctoritatem: Cum enim Roberto Cardinali Puccio Episcopo Pistoriensi commisisset, ut tam evulgatam Catharinae sanctitatem ad rigidum examen revocaret: Ille vero in hanc rem tanti negotii viros secum adhibuisset doctrina, dignitate, pietate praestantes, factum est, ut ea et maxime probaretur, et omnes

in summam raperet admirationem. Incomparabiles quoque viri S. R. E. Cardinales amplissimi Cervinius, Mediceus, Aldobrandinius, qui omnes deinde ad Petri Cathedram assumpti sunt: Nicolinius, Caffarellius, Justinianus, Alexandrinus sancti Pii Quinti Nepos, aliique Praesules bene multi: Hetruriae, Bavariae, et Mantuae Principes illam religionis et venerationis causa adiverunt, tamquam ad omnis sanctitatis magistram absolutaeque perfectionis exemplar. Sanctus quoque Philippus Nerius, et sancta Maria Magdalena de Pazziis, cum tam admirabilem sanctitatem non tam celebritate famae, quam Deo auctore intellexissent, amicitiam et litterarum commercium cum ea inire voluerunt. Quinimo S. Philippus cum Romae moraretur, illius tamen aspectum habuisse praesentem, et cum ea pios dulcesque inseruisse sermones tum ipse testatus est, tum luculenter satis in ejus Bulla Canonizationis declaratum legimus in haec verba: *Cum in Urbe maneret, tunc in humanis agentem Catharinam Ricciam etc. Monialem Prati in Hetruria commorantem longo temporis spatio est allocutus.* Quod profecto aliter contingere minime potuit, nisi cum ambo in ecstasim rapti (quod illis familiare admodum fuit) ambo etiam coram Domino in spiritu commorarentur. Id ipsum autem, cum BENEDICTUM Decimumquartum Pontificem Optimum Maximum pro omnigena sua eruditione cum in rebus omnibus, tum praecipue in historiis Servorum Dei, latere minime posset, in causa fuit, cur diem ipsam S. Philippo Nerio dicatam elegerit, qua a se beatae Catharinae miracula approbarentur. »

« Catharinam interea agentem jam sexagesimum septimum annum, mortiferus idemque acerbissimus invasit morbus ex nimia, ut proditum est, vitae austeritate contractus. Quapropter, ut in occursum divini Sponsi plena lampade Virgo prudentissima se praepararet, nihil curavit magis, quam ut sanctissima Ecclesiae sacramenta devotissime sumeret. Adstabant interea Catharinae lectulo Monasterii Sorores tantae Matris jacturam lacrymis inconsolabilibus deplorantes, quas Catharina ad Religiosae vitae observantiam, ut Christum lucrifacerent, majori quo poterat, animi fervore exhortans, frustra consolari in Domino nitebatur: Cum repente auditis per aera dulcissimis Angelorum concentibus proximae mortis Catharinae praenunciis, animi quodam stupore correptae a fletu aliquantulum conquiescere coactae sunt. Catharina vero nunquam magis, quam eo tempore, intenta contemplandis Dominicae Passionis doloribus, manibus pedibusque in Christi Crucifixi similitudinem positis, ad Sponsi sui caelestis amplexus inter plaudentes Angelorum choros feliciter evolavit die secunda Februarii anno millesimo quingentesimo octogesimo nono. Quo temporis momento non solum facies ejus diuturnorum morborum macie et pallore foedata insolita quadam venustate refloruit, sed mirus quidam ab universo corpore splendor emitti, mirus quidam odor efflari coepit, qui, eo etiam in sepulcro jam posito, maxima omnium admiratione perseveravit. Quanto autem in caelesti Patria excepta fuerit gaudio quantoque beatae illius Curiae triumpho, satis sit, multis aliis omissis, sanctae Mariae Magdalenae de Pazziis testimonium, quae se tantae solemnitati, Deo adeo illi favente, interfuisse Confessario suo narravit. »

« Ut vero mortis illius rumor ad Pratensem Urbem vicinasque Hetruriae Civitates, et Oppida allatus fuit, incredibilis subito ad visendum illius Cadaver concursus hominum factus est, cupientibus certatim singulis aliquam ex indumentis ejus habere particulam, qua ad impetrandas a Domino gratias uterentur. Percrebescente postmodum magis magisque sanctitatis illius fama, eamque multis insignibus beneficiis miraculisque Domino comprobante, digna omnium votis habita est, de qua inter Caelites referenda ageretur. »

« Instructis igitur anno milleximo sexcentesimo decimo quarto, et millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, ordinaria atque Apostolica auctoritate Processibus, tribus Sacrae Romanae Rotae Auditoribus, ut erat in more tunc positum, discutienda causa committitur, qui de ea lato judicio et documentorum auctoritatem probarunt, et Catharinae virtutes gradum heroicum attigisse affirmarunt, et miracula supra communem naturae usum patrata fuisse dixerunt. »

« Evulgatis tamen interea ab Urbano Octavo Pontifice Maximo novis legibus super hu-

jusmodi causas, novi subinde de non Cultu, ut ajunt, condendi fuere Processus. Quibus rite constructis anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, de omnimoda Decretorum observantia constare Episcopi Pistoriensis, et Sanctae Sedis judicio declaratum est anno millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo. »

« Siluit postmodum Causa usque ad annum millesimum septingentesimum decimum quintum, quo Sacrae Rituum Congregationis Decreto, annuente Clemente XI. Pontifice Optimo Maximo, instauratum fuit virtutum examen, quae Sacrae Rotae Auditorum judicio jampridem fuerant approbatae: Cumque nonnullae fuissent exortae novae difficultates, iis probe riteque discussis, Benedictus XIII. Pontifex Optimus Maximus Ordinis Praedicatorum Apostolico lato Decreto die septima Martii anno mullesimo septingentesimo vigesimo septimo, de virtutibus Catharinae de Ricciis in gradu heroico ad effectum, de quo agebatur, constare pronunciavit. »

« Quibus peractis, ad novum etiam examen revocata cum fuissent Catharinae miracula, in generali Sacra Rituum Congregatione coram Clemente XII. P. O. M. habita die vigesima secunda Aprilis anni millesimi septingentesimi trigesimi quarti, duo plenis calculis approbata sunt: Scilicet sanitas momento temporis impertita Sorori Catharinae de Bonsiis Moniali Professae in Monasterio Pratensi S. Vincentii Ordinis Praedicatorum, ab Aneurysmate: Et Sororis Elisabeth Cherubinae Catani Monialis Conversae in Monasterio Pratensi S. Clarae subita item salus ab Ischiade. Datoque de eorum approbatione Decreto die trigesima Aprilis anni millesimi septingentesimi trigesimi secundi, idem Clemens XII. Beatificationis diploma expediri mandavit die prima Oct. ejusdem anni. »

« Expeditis postea litteris, quas Remissoriales et Compulsoriales vocant; pro consuetis conficiendis Apostolica auctoritate Processibus super novis miraculis, quae post Catharinae Beatificationem patrata fuerant, eisque ad Urbem delatis, eorumque validitate recognita, praemissis consuetis Congregationibus Antepraeparatoriis et Praeparatoriis, ad BENEDICTUM XIV. P. O. M., quem diu sospitem Deus faciat ad majorem Ecclesiae suae utilitatem et incrementum, novum miraculorum examen delatum est: Et in Congregatione generali coram ipso habita, duo rursus plane approbavit. »

« Primum est absoluta et perfecta sanitas Mariae Clementinae Staccioli puellae Florentinae ab exulcerato atque immedicabili Cancro in dextera mamilla, quod septem primo valvulis seu cavitatibus, mox duabus per octo annos ita saevierat, ut ex eo Infirma non multo post certissime moritura judicaretur. »

« Alterum vero fuit repentina salus Sororis Mariae Magdalenae Fabris Monialis Professa in Monasterio S. Catharinae Civitatis Augustanae Ordinis Praedicatorum ab Arthritide pertinaciter fixa in artubus inferioribus, ex qua eorum motus impediebatur, quaeque Medicorum judicio erat prorsus insanabilis. »

« Quae cum peracta fuissent, habita iterum coram eodem Summo Pontifice generali congregatione, discussum est, an tuto procedi posset ad solemnem beatae Catharinae Canonizationem; et Patribus omnibus voto unanimi consentientibus, post aliquot dies, quibus in re tam gravi a Patre luminum divinum censuit postulandum auxilium, die demum sexta Octobris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti Decretum de peragenda Canonizatione publice pronunciavit. Quod ut executioni mandetur, novumque sibi decus accedat per solemnem hujus Virginis Canonizationem, humillimas offert preces universa Praedicatorum Familia. »

VIII. Idus Junii e Gandulphi Castro ad Arcem Romani Imperii redux Princeps Apostolici Senatus, per sequentem schedulam ob majorem commoditatem typis impressam, ut et in reliquis factum est inferius apponendis, a Cursoribus delatam commoneri praecepit Cardinales et Praesules, quotquot Romae tunc aderant, de primo semipublico Consistorio post biduum habendo.

INTIMATIO

Per Cursores facienda etiam Domi dimissa copia.

Feria 4. *die* 8. *Junii. In Aula, quae loco Ducalis est in Qurinali Palatio, habebitur Con-*

sistorium semipublicum sub hora decimatertia. *In eo* servata Methodo *juxta schedulam jam distributam Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Papa XIV. tam Eminentissimorum DD. Cardinalium, quam Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum suffragia excipiet pro futura Canonizatione beati FIDELIS a SIGMARINGA Martyris Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum.*

Intimentur idcirco omnes, et singuli Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales, necnon Reverendissimi DD. Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi in Urbe praesentes, ac Domini Protonotarii Apostolici, duo antiquiores Rotae Auditores, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, Promotor Fidei, et Procurator Fiscalis Camerae Apostolicae.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae.

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

In Ædibus Quirinalibus pro Aula Ducali accipitur ea, quae ascendentibus per scalam Regiam in Palatium prima occurrit, et in qua Parafrenarii commorantur. Ad caput igitur Aulae istius posuerant Pontificis Consmetae (vulgus *Florerios* appellat) Papalem Cathedram, supra quam ampla pendebat Umbella, serica culcitra coloris rubri auro contexta obductam; parietem autem posticum, cui ipsa sedes haerebat, damasceno serico rubro circumvestierant; scamna praeterea Consistorialia, in quibus Cardinales assiderent, disposuerant hinc et inde in rectam lineam porrecta, et in quadrum desinentia, aperto tamen aditu e regione Sedis Pontificiae relicto: Pro Praesulibus vero Assistentibus ad Solii dexteram; pro non Assistentibus, ad sinistram post Cardinalium sedilia eodem ordine distribuerant quamplura alia scamna ex nudo alboque ligno sine postergali, in quibus et Protonotarii et Auditores etiam Rotae assidere debebant; ut in hac Ichnographia apparet.


His dispositis statuta die et hora convenere in praefatam Aulam Purpurati Patres et Praesules omnes, quorum nonnulli ex Orientali Regione huc appulsi jussu Papae praeter cibaria ab ipsius Promo quotidie suppeditata, Rhedam quoque, qua vectarentur, a Pontificii Equilis Praefecto Marchione Pyrrho Vasè Pietramelara illustri ac probo Viro Bononiensi accipiebant.

Ad eos exiit Pontifex, duorum Diaconorum Cardinalium, qui in Aulam Paramentorum opportune ob id fuerant acciti, ministerio jam indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, Pluviali simplici coloris rubri cum Formalio ex unionibus, ac Mitra ex textili auro redimitus. Pedes incedebat praecedente Cruce ab Auditore Rotae delata cum Cappa: Vestimentorum ejus anteriores fimbrias duo Protonotarii; posteriores vero Cubicularii duo Assistentes elevabant. Cum se aptasset in Solio, jussi sunt de Aula egredi, quibus locus non erat in eo Conventu; iisque qui foris clauso ostio remanerent, vetitus in posterum ingressus. Speciali tam summi Pontificis gratia constituerunt prope ejus sedem in sinistro latere R. P. D. Joseph Livizzani Protonotarius supra numerum, utpote SANCTITATIS SUÆ a supplicibus Libellis, et R. P. D. Vincentius Malvezzi, eidem protonotariorum participantium Collegio adjunctus, Apostolico Cubiculo Praefectus, ambo nobilitate generis, prudentia, comitate apprime commendati.

Sessionis initium fecit Pontificia haec Allocutio.

VENERABILES FRATRES. Maximam Nobis hic amplissimus consessus jucunditatem affert, in quo Pontificum Praedecessorum nostrorum vetus consuetudo renovatur Siquidem, cum de gravissimis negotiis agendum ac deliberandum erat, in consilium vocabant Primores ex Clero Romano, Episcopos Suburbicarios et cæteros Antistites, qui casu aliquo Romæ versabantur. Materiem pariter, quam Vobis examinandam ac dijudicandam proponimus, sacrae vetustati omnino consentaneam judicamus. Etenim Causa Martyris Fidelis a

Ichnographia Aulæ Paræfrenariorum loco Ducalis in Quir. Palatio ad Consistoria semipublica pro Canonizatione



1. Sedes Pontificia. 2. Scamna Cardinaliũ Diaconorũ Assistentium ad ornatum tantum. 3. Sedilia Cardinalium 4. Scamna pro Patriar. s. Archiepiscop. et Episcopis Assistentibus. 5. Similia pro Patriarchis Archiepiscopis et Episcopis non Assistentibus. 6. Alia pro Protonotariis. 7. Alia pro Auditoribus Rotæ. 8. Locus Secretarii Cong.^ui Sac. Rituum 9. Supplicorũ Libellorum a Secretis et Cubiculo Præfecti locus ex Speciali Suæ Sanctitatis gratia. 10. Apostolicarum Ceremoniar. Præfectus. 11. Cæteri Cærimoniarum Magistri. 12. Promotor Fidei. 13. Procurator Fiscalis. 14. Secretarius Sacri Collegii. 15. Clericus Nationalis. 16. Ianuæ ad interiora Cubicula. 17. Introitus in Aulam ex parte scalarum. 18. Fenestræ versus atrium Quirinalis. 19. Alia versus Viridarium. 20. Infumibulum.

Sigmaringa Vobis exhibetur; et cognitum satis est perspectumque universis, quam diligenter accurateque Praedecessores nostri Clemens, Fabianus, et Antherus colligi jusserint eorum Acta, qui pro Fidei Catholicae defensione vitam profundebant. Actorum collectioni judicium succedebat, quod *vindicationis* appellabatur, quodque institui solebat ab Ecclesia ad fraudes et ambiguitates evitandas, de quo judicio verba facit Optatus Milevitanus Scriptor quarti seculi, cum illustre facinus Caeciliani Archidiaconi commemorat, qui superbam foeminam Lucillam vehementer objurgavit, eo quod ossa *hominis mortui, etsi Martyris, sed necdum vindicati*, osculari consueverat, priusquam Divinam Eucharistiam perciperet. Quod si aliquid paulo alienum ab antiquitate reperitur in examine, quod habetur hodierna die, illud profecto est, quod in Actis et narrationibus rerum gestarum a Fideli a Sigmaringa, quae Vobis exhibitae fuerunt, et quas antea Nos ipsi perspeximus ac diligentissime expendimus, in his, inquam, Actis non solum agitur de Martyrio, ejusque Causa, sed etiam recensentur signa ac Miracula, quae beato Fideli intercedente Deus patravit. Etenim vestram eruditionem minime latet gravissima disputatio, quam seculo nono Ecclesiae magna cum laude sustinuit S. Eulogius Martyr ac Toleti Archiepiscopus in suo praeclaro Libro, qui inscribitur: MEMORIALE SANCTORUM: pro Cultu Cordubensium Martyrum, magnopere contendens illis exhibendum esse Martyrum Cultum, etiamsi nulla Miracula ob eorum intercessionem obtigissent. Attamen id minime nos avocat ab instituto Nobis gratissimo venerabilis antiquitatis, cum in nostris Commentariis DE CANONIZATIONE SANCTORUM, qualiacumque fuerint, plane ostenderimus, propositis cujuslibet seculi monumentis et exemplis, numquam Sedi Apostolicae in more positum fuisse, ut Cultum publicum Martyris ulli concederet, aut permissivum et pro aliquibus tantum locis, vel praeceptivum et pro universa Ecclesia, nisi postquam Martyrium ejusque Causam perpendisset ac probasset, juxta vetus adagium, nempe MARTYREM NON FACIT POENA, SED CAUSA, et postquam Miracula etiam in examen adduxisset ac probasset. Siquidem tutiorem in hac re sententiam amplectendam censuit, nec ullam diligentiam omnino praetermittendam, ut de gravissimo hoc negotio judicium ferret, cum praesertim nulla necessitas ejusmodi judicium postularet. Equidem Vobis ante oculos proposita sunt omnia, videlicet, vita, mors ejusque causa, signa ac Miracula beati Fidelis a Sigmaringa. Interea vestras sententias exquirimus, utrum ad ipsius Canonizationem deveniendum putetis.

Post quam DD. Cardinales singuli, et post eos juxta proprii Ordinis gradum et dignitatem Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi de Beati Fidelis causa suffragium tulerunt, prout infra.

FRANCISCUS Tit. S. Mariae Transtyberim Presb. Card. Burghesius.

An non Ego tot gravibus ac sapientibus Collegis meis assentiar, qui in hac rogatione tua, BEATISSIME PATER, ante me senten-

tiam dixerunt, qui omnes ad unum disertis verbis consilium tuum de B. Fideli a Sigmaringa in Divos referendo tantopere et jure quidem ipsi laudaverunt? Assentior Ego sane; et quem gloria et honore coronavit Dominus, ejusdem per Te, PATER BEATISSIME, solemni legitimoque ritu coronandam consecrandamque memoriam censeo.

ANTONIUS XAVERIUS Tit. S. Stephani in Monte Caelio Presbyter Cardinalis Gentili.

Martyrium Sanctos aut invenit, aut facit; quandoque expiat anteactae vitae culpas et detrimenta; quandoque conceditur in praemium meritorum. In beato Fideli a Sigmaringa virtutum omnium praestantiam coronavit palma Martyrii. Excelluit quidem ab adolescentia morum candore vitaeque innocentia, et abnegatis secularibus desideriis humillimum Ordinem Capuccinorum amplexus est, laboribus et vigiliis corpus suum in servitutem redigens, ne terreno rebellis carnis pondere animus ad Deum anhelans retardaretur. Itaque sobrie, juste, ac pie sancteque vita peracta, Regularis disciplinae diligentissimus Custos ac catholicae Religionis acerrimus propugnator, quam diu desideraverat, meruit gratiam Martyrii accipiens coronam de consummatione virtutis. Æquum itaque est, ut beatus Fidelis, qui et tot virtutum splendore et triumphi nobilitate ceteris praestat, primusque fuit, qui institutae a sancta Sede Congregationis de Propaganda Fide mandata impigre ac fortiter exequens catholica dogmata contra infestimos Novatores proprio sanguine confirmavit; primus etiam decreta hic in terris summae virtuti praemia a SANCTITATE VESTRA consequatur.

Fr. JOANNES ANTONIUS Tit. SS. Silvestri et Martini ad Montes Presbiter Cardinalis Guadagni.

Exigunt praeclarae virtutes B. Fidelis a Sigmaringa miraculis a Deo comprobatae ac Sacrorum Rituum Congregationis examina discussae, ut S. V. Divinae vocis Interpres illi decernere dignetur Sanctorum honores in terris, qui jam similis factus est in gloria Sanctorum in Caelis. Justa prorsus retributio; beati enim Fidelis in pauperrimo strictioris Observantiae S. Francisci Instituto integerrima morum innocentia praefulgens, primus inter sacros Operarios ad excolendam vineam Domini a sacra Congregatione Fidei Propagandae adscitus ad Rhaetiae Regiones Zuinglii, et Calvini erroribus infectas orthodoxam Religionem indefesso labore propagavit: Ministerii sui cursum feliciter consummavit; atque Fidem catholicam usque ad ultimum vitae agonem profuso sanguine sartam tectamque servavit. Imponatur itaque Aris, qui profligatis haeresum monstris Aras Deo restituit; qui venerandum heroicae constantiae ac fortitudinis Apostolicis Operariis reliquit exemplum, ut novum adesse in Caelis Patronum agnoscat Ecclesia, quo amota praesentium temporum acerbitate optatae pacis serenitas illucescat, ac vita Religionis dogmata in dissitis remotisque Regionibus reflorescant.

TROJANUS Tit. S. Caeciliae Presb. Card. de Aquaviva.

Novum plane, BEATISSIME PATER, ac permagnum pietatis spectaculum beatus Fidelis a Sigmaringa nobis exhibuit, qui dum ab impiis interficiebatur, tanta vultus hilaritate tamque humili patientia, ac erga interfectores ipsos summa charitate splendescere visus fuit, ut unus ipsorum cum haec in ejusdem immani caede accidisse narraret, hoc facinore detestato ejurataque haeresi, statim fuerit orthodoxam fidem amplexus. Quapropter cum Deus Optimus Maximus Sanctitatem Servi sui tot tantisque probatis miraculis testatam voluerit, jure merito illum inter Sanctos a S. V. cooptandum esse arbitramur.

DOMINICUS Tit. SS. XII. Apostolorum Presb. Card. Riviera.

ARBITROR, SANCTISSIME PATER, beatum Fidelem a Sigmaringa, qui per omnes heroicas Confessorum virtutes traductam vitam pro catholica veritate amplificanda et tuenda, invictus nostrorum temporum Martyr,

amisit, in Sanctae Romanae Ecclesiae praesidium et decus inter Sanctos esse referendum.

JOANNES BAPTISTA Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis Spinula.

Æquum est, BEATISSIME PATER, ut eos corona honoris laetificet in terris, quos jam Dominus sertis gloriae ornavit in Caelis. B. Fidelem de Sigmaringa postquam in domestica suae Religiosae Familiae palaestra omnium virtutum genere exercitum, fortem suae Fidei Athletam sibi formaverat Deus, acerrimum etiam reddidit per vitae contemptum et profusionem proprii sanguinis catholicae Religionis Assertorem. Imperterritum se exhibuit vere Fidelis Dei servus non tantum heterodoxorum hominum insidiis, sed et armis et neci sibi illatae; exemplum Nobis relinquens ad omnia perferenda pro Fide et Dei gloria. Jure igitur et merito cum Martyris coronam consequutus fuerit, reliquum est, ut eorumdem Martyrum Fastis adscriptus, honorem illum, quem in Caelis obtinet, et quem per signa et miracula Deus comprobavit, habeat etiam et in terris ad Fidei propugnaculum, et ad Religionis orthodoxae incrementum et decus.

RAYNERIUS Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.

Nulla major profecto verae Sanctitatis probatio afferri potest, quam quae reddit hominem conformem imagini Filii Dei. Hanc ipse probationem de Sanctitate beati Fidelis a Sigmaringa in medium profero, ut meum de eodem referendo in sanctorum Martyrum Album sententiam explicem. Et quidem adeo perfecte et fideliter imaginem ille Christi Domini in se expressit, ut vita Jesu in eo manifestata videretur, sive spectares humilitatem, sive paupertatem, sive obedientiam, sive virtutes omnes, quibus in gradu heroico ditatus fuit.

Nec ab eo, quod sibi proposuerat exemplo, in vita sequendum, voluit in morte differre: Vestigiis quippe Reparatoris nostri inhaerens, qui mundum redemit in sanguine suo, ipse pariter pro salute animarum, et Haereticorum conversione strenue laborans, Martyrii palmam assequutus est, Deo confirmante sequentibus signis.

Merito igitur honores, quibus veri Martyres in Ecclesia honorari consuevere, decernendi sunt ei, qui tum in morte, tum in toto vitae suae cursu factus est similis illi, qui caput est Martyrum.

DOMINICUS Tit. S. Bernardi Presbyter Cardinalis Passioneus.

Pretiosus sanguis beati Fidelis a Sigmaringa clamat ad Te, BEATISSIME PATER, ut Vindex sis, non illatae sibi crudelissimae necis, sed Vindex gloriae, quam fortiter constanterque pro nomine Jesu, truculentam sui corporis caedem sustinendo, promeruit. Quanta enim adhuc vigeat suorum meritorum memoria et fama, sibi undequaque consentiens, cuncta Testis est Rhaetia Catholica: Testes quotquot eodem spiritu repleti in procuranda animarum salute ibi desudant: Testis denique et Ego, qui decem et amplius annos, licet immeritus, Apostolica Legatione functus, non semel perlustravi et suspexi ea Rhaetorum, scopulis impendentia, loca, quae fortissimus Christi Miles praeceptis excoluit, monitis instruxit, virtutibus fovit, odore Sanctitatis implevit, ac demum sanguine decoravit. Exaudi ergo, BEATISSIME PATER, hujus sanguinis vocem per tot horrida vulnera ad Te clamantem, et solemni Ritu sanctorum Martyrum Coetui, novum hunc Athletam adscribi decerne, quatenus hoc exemplo Helveti, et Rhaeti Fideles magis roborentur in fide, a fide extorres ad sinum Ecclesiae matris revertantur, et Nos discamus, numquam dignius mori posse Sacerdotem Christi, quam cum indigne occiditur pro fidei causa et defensione.

SYLVIUS Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.

Quamvis viri Sanctitate conspicui, BEATISSIME PATER, postquam immortalem adepti sint repromissionem cultu hominum non indigeant, copiosa enim eorum merces

est apud Deum, solemnes tamen iis ab Ecclesia decernuntur honores, ut fidei splendorem, qui foris sunt, venerentur, et praeclara illorum gesta fidelibus exemplum praebeant atque incitamentum.

Quae cum ita sint, B. Fidelis a Sigmaringa Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum sacro ritu exornandus jure merito mihi videtur, qui peculiari quodam divinae providentiae consilio nuperis temporibus datus, ut praeter ceteras eximias virtutes quam maxime heterodoxorum salutis, et religionis propagandae studium ad athleticam usque sanguinis effusionem universo Christifidelium Orbi, novi ad instar syderis elucesceret: Quamobrem nihil sane obstat, BEATISSIME PATER, quin Martyrum choro cooptatus censeatur, cujus Sanctitatem narrent populi, et laudem universam annunciet Ecclesia.

FR. JOACHIMUS Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Portocarrero.

Fortem ac invictum Martyrem habet Ecclesia, BEATISSIME PATER, Beatum Fidelem a Sigmaringa e sanctissimi Patriarchae Francisci Castris prodeuntem. A seculi enim curis in gratiam ille adlectus, et Ministerium Apostolatus, loricam Justitiae indutus, Fideique scutum assumens, exiit ad opus suum, et virtute robusta praeliatus est praelia Domini, dissipando, evellendo, ac aedificando: Utque tanti muneris partes digne undecumque adimplerentur, jugiter in suo corpore Crucis circumferens mortificationem, non vincula, non tribulationes veritus, nullum vitavit periculum, nullum horruit supplicium, sed Chrysostomo, ob ad confusionem et injurias, dici posset cum praedicandi studium, magis quam ad oblectamenta bonorum properabat, donec vitam illustri ac pretioso certamine consummavit. Æquum igitur est, ut illi sanctorum Martyrum a SANCTITATE VESTRA decernantur in terris honores, qui occisus pro Christo, et prodigiorum luce coruscans, jam gloriae accipere coronam promeruit in caelis.

CAMILLUS Tit. SS. Joannis, et Pauli Presbyter Cardinalis Paulutius.

INTER ceteras, quibus beatus Fidelis a Sigmaringa heroice floruit, virtutes, admirabilis profecto fuit solicitudo illa, qua nullo vel laborum incommodo, vel propriae vitae discrimine deterritus perditissimos homines ad meliorem frugem revocare, et qua orthodoxam Religionem conservare atque propagare adeo constanter studuit, ut ipsimet Haeretici de illius Sanctitate et zelo testimonium summa ejus laude deferre coacti fuerint. Plura quidem beatus Fidelis in vinea Christi excolenda peregerat; at parum fecisse fortassis praecogitans, nisi proprio etiam sanguine irrigaret, tam impavide, tantaque animi magnitudine martyrii palmam ab infensissimis Heterodoxis reportavit, ut illimet, qui crudelem ipsi mortem intulerunt, asserere palam debuerint, quod non solum nulla animi perturbatione, verum hilari laetoque vultu sui necem subierit. Si itaque beatus Fidelis majus atque praestantius argumentum sui pro Religione heroici zeli praebere nequit, quam pro ea animam suam dare, justum propterea censeo, BEATISSIME PATER, quod idem Sanctorum Albo per SANCTITATEM VESTRAM describatur.

CAROLUS ALBERTUS Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Cardinalis Guidobonus Cavalchini.

BEATISSIME PATER. Gloriosissimum Christi Athletam virtute praecinctum ex alto, Virum vere magnum secundum nomen suum laetantes suspicimus ac veneramur in praestantissimo Sacerdote B. Fideli a Sigmaringa. Fuit is frumenti granum, quod catholicae fidei tuendae causa cadens in terram mortuum est, et multum fructum attulit: Quis autem non confidat uberiorem adhuc esse allaturum, si tu jubeas, BEATISSIME PATER, ad vehementius incitandos evangelici verbi praecones, Pugilem istum in conspectu filiarum Hierusalem a Deo jam coronatum summis, qui supersunt, honoribus etiam in terris cumulari?

FRIDERICUS Tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Lantes.

BEATUM Fidelem a Sigmaringa Capuccinorum familiae decus et ornamentum, cujus

nec nomen quidem vacuum laudis fuit, censeo BEATISSIME PATER sanctorum Martyrum Fastis jure esse notandum. Hominis Sanctitatem novit Ecclesia, quae tot errantes in viam salutis ipsius opera revocatos in sinu suo laetissima excepit; norunt Haeretici ipsi, qui egregium de ejus doctrina cum summa Religione ac zelo conjuncta testimonium ferre non dubitarunt; novit Rhaetia prope omnis, quam inter hyemales brumas, inter altissimas nives et frigora (igne tamen charitatis aestuans), pedibus peragravit, ut oves ad Dominicum Gregem reduceret. Non illum Haereticorum minae, non persecutio, non gladius ab officio Evangelici Praeconis potuit deterrere. Quid igitur prohibet, quominus eum, qui tot nominibus Sanctus fuit, qui pro catholica Fide sanguinem suum fudit, Sanctum et Martyrem veneremur?

FRANCISCUS Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Cardinalis Riccius.

BEATISSIME PATER. Inter plurimas et pereximias virtutes, quibus B. Fidelis a Sigmaringa tam in seculo, quam in Claustris Capuccinorum eluxit, praecipuum locum obtinuerunt zelus, constantia et studium in propaganda catholica Fide per Rhaetiam, quarum intuitu, non solum colluctandum illi fuit fere toto vitae curriculo cum errorum et falsitatum Sectariis, sed mortem ipsam inhumana crudelitate sibi intentatam, invicto fidentique animo amplexam, in gloriosissimum Martyrii triumphum commutavit.

Quae omnia miraculorum accessione plenissime comprobata, justissime postulant, ut adeo emeritus orthodoxae Religionis Athleta a SANCTITATE VESTRA, novi et amplissimi cultus complementum assequatur.

D. FORTUNATUS Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis Tamburinus.

FIDELIS a Sigmaringa virtutum merita adeo clara et aperta sunt, ut ea commemorare, ac persequi minime oporteat. Unum id retulisse sufficiat, Fidelem, ut divinorum mandatorum viam inoffenso pede percurreret, arctiore S. Francisci regulae servandae voto inter Capuccinos se obstrinxisse; ad quam cum mores suos omnemque vitae rationem ita formandam et componendam curaverit, ut ne parumper quidem ab ea unquam deflexerit, Sanctitatis apicem eum attigisse compertum est et exploratum. Hinc magna exempla humilitatis et obedientiae, magna abstinentiae et charitatis argumenta in Proximos aliarumque Virtutum, quae christianum Heroem vere declarant, in hoc sanctissimo Viro jure, ac merito miramur, atque suspicimus. Hisce Virtutibus, praesertim vero catholicae Religionis propagandae studio ad Martyrii certamen fortis Athleta se se comparaverat. Atque hinc factum est, ut dum nihil eorum reliquum facit, quae ad haeresim profligandam conducerent, et ad Haereticorum conversionem efficiendam pertinerent, crudelissimam necem ab impiis Haereticis sibi illatam invicta animi constantia pertulerit, et gloriosam Martyrii palmam promeritus sit. Non est igitur cur tardes, BEATISSIME PATER, eum in Sanctorum numerum referre, qui sanctam Christi Ecclesiam effuso sanguine decoravit; ut ipsum vicissim Ecclesia veneretur, ac summo omnium donorum largitori Deo gratias agat, qui in hoc Servo suo fortiter pugnavit, et vicit.

D. JOACHIM Tit. S. Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis Besutius.

DIVERSAS esse Justorum vias ad Caelum SANCTITATI VESTRÆ, totique huic celeberrimo consessui notum est. Alias virtutum exercitio longiores, compendiosiores alteras, ut in Martyrio. Utrasque B. Fidelis a Sigmaringa sanctissimo cursu, pede inoffenso, heroico animo, cum consummaverit; idque Caelum rite probatis Miraculis testatum fuerit, idcirco iis, qui fideles fuerunt usque ad mortem, jure meritoque annumerandum existimo.

CAROLUS S. Mariae in Via lata Diaconus Cardinalis Marinus.

Ex plurimis illis in sortem Domini vocatis Alumnis, qui a sacra Congregatione Pro-

pagandae Fidei, vel ad infidelium Regiones Evangelii praedicandi causa mittuntur, vel revocandis ad Catholicam Religionem Haereticis destinantur, vel hic Romae singulari Pontificiae liberalitatis exemplo, in optimis quibuscumque disciplinis instituuntur:

Primus omnium beatus Fidelis a Sigmaringa purpureum illud triumphantis Fidei vexillum erigit, sub quo, dum in Rhaeticis Fideles aliquos ad constanter in Fide perseverandum, exemplo et monitis hortaretur, Haereticosque nonnullos ad eorum haeresim ejurandam inducere, jugi oratione et praedicatione satageret; Impiorum hominum gladiis, per summum scelus occubuit, suique sanguinis aspersione, nedum memoratam de Propaganda Congregationem, de hac adeo insigni illius triumphi gloria benemeritam, in futuram etiam caelestium retributionum sociam consecravit; sed illi quoque interim gloriosissimo matris Martyrum titulo appellari posse promeruit.

Unde si modo SANCTITAS VESTRA beatum hunc Virum, tot non minus virtutibus, quam triumphali hac palma insignitum Sanctorum Albo, dignari velit inscribere: Et Missionariis illustre, quod imitentur, exemplar maxima hac retributione exhibebit, et Collegium hoc Urbanum gloria primi Martyris illustrabit.

ALEXANDER S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Albanus.

FORTISSIMUS Christi Athleta beatus Fidelis a Sigmaringa in Reformato Seraphicae Familiae Ordine (Capuccinorum dicunt) Institutum austerioris vitae professus non modo virtutum splendore enituit, sed praeclarissimum, et quo majus haberi non potest, perfectissimae in Deum et homines charitatis, firmissimae fidei, et invictae spei edidit testimonium, dum pro catholica Religione amplificanda Haereticorum gladiis in Rhaetia confossus mira animi magnitudine de morte ipsa gloriosus triumphavit: Caelestem itaque Virum merito infallibili SANCTITATIS VESTRÆ Oraculo Sanctorum cultu decorari decet in terris, ut ubi verus Christi miles bonum certamen certavit, consummato cursu post acceptam in triumphante Ecclesia coronam justitiae, etiam in militante coronam gloriae assequatur.

NERIUS S. Eustachii Diaconus Cardinalis Corsinus.

QUUM et varietate linguarum et rerum scientia, qua praeditus erat B. Fidelis a Sigmaringa, usus semper fuerit ad ingenuorum adolescentium mores per tot itinera informandos; ac deinde miros in virtutibus heroicis profectus fecerit, et catholicam Religionem adversus Haereticos asseruerit, ac tandem pro ea sanguinem et vitam alacri atque invicto animo fuderit, auctor profecto sum, BEATISSIME PATER, ut quoniam haec omnia rite et evidenter probata sunt, ipse B. Fidelis in sanctorum Album cooptetur.

AGAPITUS S. Agathae Gothorum Diaconus Cardinalis Mosca.

COGNITUS *est in verbis suis Fidelis .... et invocavit Dominum omnipotentem.... in oblatione Agni inviolati* (a); ut Rem Deo sacram in Servis apud Rhaetiam peragendo, se se pro catholica Fide Haereticorum furore jam jam immolandum, Deo secum intus loquente praesentiens, acceptabilem sui corporis hostiam immortali seculorum regi adoleret. Tanta igitur ope fretus Fidelis, non modo pro catholica Ecclesia fortiter obeundo mortem, sed ipsa pene morte devicta, Catholicorum militum ducem, superno fulgentem lumine spectandum se praebens, haereticorum copiis injecto metu fugatis, *testimonium praebuit in conspectu Domini, et Christi .... et ostendit se velle delere impietatem* (b). Tantum propterea pro Fide studium, quod vel ipsa post funera, hic fortis Athleta Christi praesetulit; signorumque splendor, quo in dies coruscat, Sanctorum coetui eundem adscribendum a Te fore, BEATISSIME PATER, praestolantur.

(a) *Ecclesiast. cap. 46. vers. 13.*

(b) *Ibidem vers. 22. et 23.*

MARIUS SS. Cosmae, et Damiani Diaconus
Card. Bolognettus.

De praeclaris beati Fidelis a Sigmaringa pro catholica Fide gestis BEATISSIME PATER hodierna luce dicturi (a) *multa dicemus, et deficiemus in verbis* (b): *appellabo Martyrem, praedicavi satis.* Ubi ergo Fidelis in Rhaetinis arvis Evangelicum serendo semen, catholicam Fidem plantaverat, proprio etiam sanguine, mortem pro Christo fortiter obeundo, rigare illam voluit, ut Divino imbre foecundata deinde succresceret, et incrementum acciperet. Succrevit sane in Rhaetinis agris, et Fidelis irrigata sanguine incrementum catholica Fides accepit: hinc haeretico mortis ejus praecone redeunte ad Ecclesiam; inde haereticorum copiis a Fideli superna luce consperso, cum Duce suo fugatis (c). *An non coronabitur qui sic certaverit?* Quem ergo Deus gloria coronavit in caelis, huic B. P. (d) honorem tribue Sanctificationis in terris.

PROSPER S. Georgii in Velabro Diaconus
Card. Columna de Sciarra.

POSTQUAM revocata sunt ad severissimum examen Martyrium et causa Martyrii, tum signa et miracula, quae testatissima Dei Opt. Max. ope ad invocationem B. Fidelis, ante et post indultam Beatificationem patrata sunt; nihil modo reliquum est, quam ut Beato eidem solemnis de more sanctificatio infallibili SANCTITATIS VESTRÆ judicio decernatur; ut qui usque modo in beatorum Albo adscriptus est, inter Sanctos accenseatur. Hoc a Te petimus et expectamus: ut habeat inclytus Ordo Capuccinorum, de quo glorietur; habeat Ecclesia universa, quem in Fidei confessione imitetur; et impleatur tandem Divinum Redemptoris vaticinium, quo promissa est glorificatio illis omnibus, qui in terris per mortem suum nomen confiteri non erubuerunt.

ALEXANDER S. Mariae in Aquiro Diac.
Card. Tanarius.

BEATISSIME PATER. Excellentis fortitudinis Virum, qui primo se ipsum, deinde mundum, postremo Fidei hostes mirabiliter vicit, in beato Fideli a Sigmaringa jure ac merito venerandum censeo. Atque arbitror aequissimum utilissimumque fore, eum publico Canonizationis Decreto cunctis Fidelibus ad imitandum proponere, ut catholica Religio nostra, pro qua tot tantosque labores subiit, animoque impavido sanguinem et vitam glorioso Martyrio dedit, latius diffundatur, luculentius illustretur, fructusque ferat uberiores.

HIERONYMUS S. Adriani Diaconus
Cardinalis de Bardis.

BEATISSIME PATER. Divitiarum et honorum contemptu, abstinentia, vigiliis, orandi et contemplandi studio, proximorum salutis cura, mirifice tum in seculo tum in sacra Capuccinorum Familia vitam degens beatus Fidelis excelluit. Ob eas virtutes in retribuendo Deus manum (e) extendit suam, et in capite ejus de lapide (f) pretioso coronam posuit. Nam cum contra haereticam pravitatem fortissimus Christi miles pugnaret, insurrexerunt iniqui (g) adversus eum, et morte illum crudelissima pluribus confossum vulneribus affecerunt. Stare illum ante Thronum (h), et in conspectu Agni tum signis et prodigiis magnis in populo factis, tum sanctae istius Apostolicae Sedis judicio constat.

Illud propterea a S. V. humiliter quaeso, ut beatum Virum de catholica Religione tam praeclare meritum, et Congregationis de Propaganda Fide Protomartyrem invictissimum, solemni Canonizationis ritu in Ecclesia Plebis (i) exaltet; sic enim Evangelicis ministris incitamento esse poterit, ut animosius eos (k) qui veritati resistunt, corripiant; et pro Chri-

(a) *Ecclesiast. cap.* 43. *v.* 29.
(b) *Ambrosius lib.* 1. *de Virginibus.*
(c) *Bernardus serm.* 1. *in Festo omnium Sanctorum.*
(d) *Lib.* 2. *Machab. cap.* 15. *vers.* 2.
(e) *Ps.* 54.
(f) *Ps.* 20.
(g) *Ps.* 85.
(h) *Apoc.* 7.
(i) *Ps.* 106.
(k) 2. *Tim.*

sti nomine, quandocumque opus fuerit, etiam in carcerem et in mortem ire parati sint.

DOMINICUS SS. Viti, et Modesti Diac. Cardinalis Ursinus.

BEATISSIME PATER. Fidelis a Sigmaringa Ordinis Capuccinorum non tam virtutum pondere, quam prodigiorum gloria mirabilis, Crucis mortificationem jugiter in suo corpore portavit, semper agens, semper orans, nec proximos propter Deum, nec Deum propter proximos relinquens; Primus autem ad excolendam vineam Domini per sacram Congregationem de Propaganda Fide selectus, uberrimis illam fructibus adeo illustravit, et foecundavit, ut Haeretici ipsi praeclarum de ejus doctrina, sanctitate et zelo testimonium ferre non dubitarint; Quos demum verbo et exemplis informaverat, proprio sanguine in Religione et Fide confirmavit, Martyrium passus: Hunc ergo, qui vere fidelis fuit usque ad mortem, et accepit coronam vitae, Sanctorum Fastis reor adscribendum.

MUNDILLUS Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Beatus Fidelis a Sigmaringa non solum mortis sacrae compendio, sed et omni vita sanctissime traducta aeternam beatitudinem possidet. Nam antequam Religionem ingrederetur praeclarissimis virtutibus Deo et hominibus se maxime probavit, et Capuccinorum Ordine mancipatus ad Instituti sui, ceteroquin severissimi, perfectionem summa laude pervenit; et procurandae animarum saluti tum sua sponte, tum Superiorum imperio addictus Apostolici muneris partibus plenissime satisfecit. Quo quidem in munere ea demum charitate flagravit, qua nulla major est, ut nimirum animam suam poneret pro amicis suis. Quamobrem aequissimum censeo, ut hic fidelis Servus et prudens, cui dedit Dominus in tempore aequalem tot praestantissimis meritis caelestis gloriae mensuram, cunctis fidelibus, praesertim vero iis, qui ad Fidem Propagandam incumbunt, colendus et imitandus a S. V. per solemnem ejus Canonizationem proponatur.

ANTONIUS MARIA Pallavicinus Patriarcha Antiochenus Assistens.

OMNI virtutum genere conspicuus beatus Fidelis ad oves Dominici gregis, quae in haeresi perierant, suscitandas, potens in opere et sermone totus intendit, ac pro iis, illata sibi nece a nefariis catholicae Fidei hostibus, animam ponere non dubitavit. Mira quoque patravit signa, ut merito sanctorum Martyrum Fastis adscribi possit.

THOMAS Cervini Patriarcha Hierosolymitanus Assistens.

QUOD apposite ajebat Apostolus misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis; usurpari merito potest de beato Fideli a Sigmaringa; etenim ipse quoque misericordiam a Domino est consequutus, ut in sua professione exactissime implenda, fidelis esset; in rigidiori sui Instituti observantia promovenda, in catholica doctrina impavide praedicanda, ac tandem in Fidei dogmatibus proprio sanguine confirmandis.

Igitur qui tantis re et nomine titulis fidelis fuit, qualemque tot miraculis Caelum ipsum agnovit; dignus est profecto censendus, quod Servis fidelibus solemniter adnumeretur.

GABRIEL Eva Syrus Maronita Archiepiscopus Cypri Assistens.

CHRISTI vestigia secutus beatus Fidelis a Sigmaringa pro ejusdem nominis amore sanguinem suum fudit; quare aequissimum est, PATER BEATISSIME, ut talem ac tantum catholicae Fidei propagatorem heroicis virtutibus ornatum ac miraculorum dono a Deo insignitum in Sanctorum Albo jubeas describi, quod ut digneтur, SANCTITATEM VESTRAM enixe deprecor.

ALEXANDER Borgia Archiepiscopus Firmanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Praereptam recentioribus seculis Italiae ac finitimis Regionibus martyrii palmam, superiori seculo B. Fi-

delis a Sigmaringa restituere in Rhaetia visus est, ubi Missionibus Fratrum suorum, quos Capuccinos dicunt, ex potestate sibi facta ab instituta tunc Propagandae Fidei Sacra Cardinalium Congregatione praeerat, impias expertus haereticorum manus furentium in medicum, qui ab haeresis insania liberare illos, et in catholicae Ecclesiae gremium revocare summo studio conabatur. Virum hunc praeclara morum honestate in seculo, eximia integritate in Foro, summa abstinentia in Claustris, ardentissimo propagandae Fidei nostrae zelo inter Haereticos versatum, vere fidelem usque ad mortem, accedentibus e Caelo, ut accepimus, novis signis juremerito existimo a Te, BEATISSIME PATER, sanctorum Martyrum Canoni inserendum fore, postquam ille a Benedicto XIII. Praedecessore tuo, cujus memoria in Benedictione est ac semper erit, Beatorum nomen et cultum accepit. Erit ipse in exemplar iis omnibus, qui praedicandi Evangelii causa a Sacra Congregatione ad Infideles mittuntur, quod sane praeclarissimum opus, si cetera deessent, vel hoc uno quam sibi gratum acceptumque sit, Auctor Fidei nostrae Deus satis superque monstravit. Sit proeterea beatus Fidelis sacrarum Missionum apud Deum Protector; sit in hac acerbitate temporum Catholicae rei, quae non uno in loco periclitatur vel opprimitur, novum ac juge praesidium; et haereticorum reditum ad Ecclesiae sinum, quem in terris omni studio, labore ac effuso etiam sanguine quaesivit, modo precibus suis a Deo obtineat in Caelis.

JOSEPHUS MARIA Ferroni Archiepiscopus Damascenus Assistens.

Ad Cathedram SANCTITATIS VESTRÆ sistit B. Fidelis a Sigmaringa, vere fidelis usque ad mortem (a), qui, ut Orthodoxos in fide roboraret, et aberrantes ad Christi ovile reduceret, perduellium enses non metuit, sanguinem liberaliter fudit, animam pro fratribus posuit (b). Laudetur itaque Vir fidelis (c), et qui coronam vitae (d), reddente Domino, in Caelis obtinet, gloriam pariter, SANCTITATE VESTRA decernente, in terris assequatur.

MICHAEL de Palma Archiepiscopus Teatinus Assistens.

MULTIFORMITER Servos Dei insigniri honore martyrii egregie admonuit S. Augustinus. Alios etenim facit Vita, alios consecrat Mors: Qui secuti sunt Redemptorem usque ad Sanguinis effusionem, hos Mors atrox Martyres fecit: Qui vero eundem sequuntur arctiori virtutum ac perfectionis proposito, eos cooptat Martyres Evangelicae rigor disciplinae. *Tota quippe Vita* (sancti Doctoris alloquor verbis) *Christiani Hominis, si secundum Evangelium vivat, Mors est atque Martyrium.*

Utriusque generis insigne Martyrium sustulit B. Fidelis a Sigmaringa; Vita Martyr, quia Evangelicae perfectionis rigidus cultor: Morte Martyr, quia in testimonio veritatis persistens, gloriossimo fine, e manu Domini accepit coronam victoriae. Martyrio vitae excitavit ad meritum; Martyrio Mortis provocavit ad Palmam. Miracula crebra patrata dum viveret, et quae sequuta sunt funus, conflictum duplicem geminamque heroicam victoriam mire testantur; adeo ut de B. Fideli a Sigmaringa exscribere liceat, quod de S. Victore Bernardus asseruit: (e) *Ascendit cum immensa suppellectili meritorum clarus triumphis, miraculis gloriosus.*

Cumque ita sit, PATER BEATISSIME, optimo fretus jure, sacer Ordo Capuccinorum ante Solium majestatis tuae supplex exorat: Quatenus ex Cathedra veritatis pronunciare digneris, quod B. Fidelis a Sigmaringa per invictam martyrii passionem *penetravit* (f) *in Sancta, similis factus in gloria Sanctorum;* dignus proinde, ut solemnissimo ritu in sanctorum Martyrum Diptychis, Te praecipiente, scribatur.

(a) *Apoc. cap.* 2.
(b) *Joan.* 15. 13.
(c) *Proverb.* 27.

(d) *Apoc. loc. cit.*
(e) *S. Bernard. Serm.* 2. *de S. Victore.*
(f) *Idem uti supra.*

STANISLAUS Poliastri Archiepiscopus Rossanus Assistens.

BEATI Fidelis a Sigmaringa, qui ex illustri Rojorum Familia in lucem editus, rejectoque Marci, quo in sacro Baptismatis Fonte renatus nomine, decorabatur, illud Fidelis fideliter assumpsit: Qui Vitchyrchio in Rhaetia martyrio coronatus, et a Benedicto XIII. inter Beatos relatus; quique hodie beato lumine undique circumfusus, dum eidem Sanctitati Vestrae antiquissimas, et ab ipso pene causae suae exordio humillimas preces sanctae Sedi porrectas renovare non desinit tota Capuccinorum Familia; miris, sed veris modis exultat Fidelis et fulget: Si morum integritatem, si intactum Corpus illibatumque ab omni labe gravis peccati: Si animi candorem et desideria, quibus ab ineunte aetate se totum divini Numinis obsequio mancipandi aestuabat incendio, mente spectemus. Ab ipsa pene infantia per arduum virtutis iter aggressus tanto animi ardore, tanta spiritus alacritate veterem hominem expoliatus, novo Seraphicae Religionis indumento, novis votorum stimulis altiora perfectionis culmina fuit properator egregius: Si ingenii suavitatem cum divinarum rerum peritia et scientiarum splendore: Si exterarum ornamenta linguarum cum ingenti humilitate conjuncta: Si Religionis zelum cum imperterrita quadam Corporis animique fortitudine, in diuturnis maximisque difficultatibus: Si Apostolicum munus et implacabile bellum contra haereticam pravitatem vitiorumque omnium extirpationem cum assidua, et inexplicabili carnis afflictione, rigidoque, quod sibi indixerat jejunio, cogitare velimus: Haec Beatorum erunt praeclarissima Stemmata et charismata meliora. Si charitatis flammas, si Ecclesiarum sollicitudines et propagandae Fidei cupiditates, si martyrii constantiam aestimare studuerimus: Quis unquam erit, qui voluntarios frequentesque labores, in quibus veluti pugnis atque conflictibus exercebat sese Athleta Christi fortissimus, prae oculis habens Sanctitatis fastigium jam attigisse non dixerit? Si orationis studium, contemplationes et raptus, quibus aliquando defixus, atque in Deum elevatus immobilis multo tempore permanebat: Si miracula, quibus ante et post mortem clarus rutilat atque coruscat, inspiciemus: Nemo est, qui jure merito Sanctorum Fastis referendum esse non sentiat. Quae cum ita sint, quodque reliquum est, hoc unum pro mea sententia et voto humiliter rogo, ut pro exequutione Decreti a SANCTITATE VESTRA in ipsa Capuccinorum Ecclesia, et in eo praesertim Altare, in quo beati Fidelis Reliquiae Fidelium venerationi publice erant expositae, Sacrum faciente prolati; ut Sanctorum Albo idem Fidelis adscribi possit. Eadem SANCTITAS VESTRA sancti Spiritus radiante fulgore, adscribat quaeso Fidelem, et faveat.

FERDINANDUS MARIA de Rubeis Archiepiscopus Tarsi Assistens.

HABENT, BEATISSIME PATER, in beato Fideli Regularis Observantiae Alumni, quem imitentur. Habent veritatis vindices ac Fidei orthodoxae propagatores clarissimum Christi athletam ac Martyrem. Habet itaque, cum perinde sit Sanctum ac Martyrem dicere; habet, inquam, Ecclesia, quem Sanctorum tabulis merito addat, et cui condignos in terris decernat Martyri honores.

JOANNES ANDREAS Tria Archiepiscopus Tyri Assistens.

ARDUUM negocium aggredimur, et omnium aliorum in Republica christiana forte maximum, ubi agitur de Canonizatione Sanctorum: Ea tamen in B. Fideli a Sigmaringa concurrunt suae Sanctitatis testimonia, ut ipsum tuto in Album sanctorum Martyrum referri posse censeam.

Missa facio quae de virtutum exercitio dici possunt, utpote qui in omnibus, et quidem in gradu heroico semper emicuit, cum in seculo, tum Statu Regulari, quem in Seraphico Ordine Minorum S. Francisci Capuccinorum mutato sibi nomine Marci, eoque Fidelis assumpto, professus fuit.

Praetermitto pariter de orationis studio verba facere, in quo ita erat intentus, ut aliquando e terra sublatus, et in Deum raptus, immobilis permaneret.

Corpus suum inedia, ciliciis, vigiliis, aliisque diversis cruciatibus macerabat.

Hac in re unum pro omnibus mihi sufficere videtur, quod nempe Martyr occubuit. et misericors Dominus ejus Sanctitatem miraculis comprobavit.

Martyres enim sunt verae fidei margaritae omni bonore digni, et Ecclesiae constans mos fuit et est, eorum intercessiones invocare.

Ceterum me submitto sapientissimo judicio, et supremo oraculo SANCTITATIS TUÆ.

MICHAEL MARIA Vincentini Archiepiscopus Theodosiae Assistens.

HEROS a Sigmaringa Fidelis, adeo omnium excelluit splendore virtutum, ut merito SANCTITAS VESTRA, solemnis Canonizationis ei honores decreverit. At eum per scelestorum Haereticorum saevitiam, effuso sanguine, et tanta miraculorum omnis generis copia illustrarit Ecclesiam Dei, Sanctorum illum Cultum promereri, et gloriosis Martyrum Fastis adscribi posse, inficiari nemo unquam poterit.

SIMON Gritti Archiepiscopus Tyanen. Assistens.

BEATISSIME PATER: Beatus Fidelis a Sigmaringa Seraphici Patris Alumnus revera inclytus, adeo enixe caelesti suffultus adjutorio suae vitae primordia sub jugo Religionis Altissimo sacrasse compertus est, ut ampliores in dies subinde in corde suo in hac certe lacrymarum valle multifarie disponendo ascensiones, eas per universos progrediendo virtutum gradum, quarum exactissima de more trutina discussa est series, ac mirifica sane decreta est consensione, in finem usque divino plane perduxerit aestu, ac martyrio demum, indubiam profecto intentissimamque Dei testante charitatem, consummarit, propriique obfirmarit cruoris effusione; Qui propterea Fidelem se usque ad mortem nedum nomine, verum etiam heroicis facinoribus, omnem procul dubio naturae ordinem excedentibus, communi calculo praebet pronunciandum, atque SANCTITATI VESTRÆ ex Petri Cathedra oracula promenti, haudquaquam errori obnoxia, inconcussum in Sanctorum numerum referendi suppeditat argumentum, exposcitque Decretum; quod laetanter, ut vel inde trahat praesidium in hac turbulentissima christianae Reipublicae, ac tristissima quidem facie circumquaque squalore gemituque perfusa, Catholica (pro cujus puritate doctrinae, haeretica obtinente rabie, imperterritus Christi Athleta pugnavit fidelissime, fidentissimeque occubuit) efflagitat Ecclesia; ut diuturna, tanti Martyris intercessione, amaritudine mitigata, suavitate levaminum quandoque hujusmodi proposito sibi Patrono contingat recreari.

NICOLAUS Carafa Archiepiscopus Philippensis Assistens.

BEATUS Fidelis zelum Sacrae Congregationis Propagandae Fidei primus in Rhaetiam invexit, ac proprio sanguine illustravit. Tanto ergo invicto Viro, qui martyrum non modo pro confessione Fidei, sed pro Apostolico, quo fungebatur munere subiit, publicos sacros honores in Ecclesia Dei decernendos censeo; Si SANCTITATI TUÆ opportunum videbitur.

D. FERDINANDUS Romualdus Guiccioli Archiepiscopus Ravennae Assistens.

DIGNUM et aequissimum est, BEATISSIME PATER, Apostolicum Virum ac Martyrem Domini, beatum Fidelem a Sigmaringa, Caelitum Fastis adnumerari. Apostolum enim illum testantur tum omnia, quae Mundi sunt, derelicta, ut Christum sequeretur, atque ejus Crucem tolleret; tum reparati Christianorum mores, divinus cultus restitutus, Fides propugnata, ac tot Peccatorum ad poenitentiam, tot Haereticorum ad veritatem conversio, difficillimis temporibus, zelo, charitate, constantia pene incredibili. Martyrem vero Domini gloriosum apertissime eum praedicant pro Fidei confessione ac defensione effusus sanguis, mors asperrima, quam heroica animi magnitudine, hilari constantique vultu, impiorum manibus sibi illatam est passus. Duo haec altissimae Sanctitatis argumenta, Apostolatus scilicet ac martyrium ad evden-

tiam usque evexerunt illustria, quae Deus per hujus beati Viri intercessionem dare dignatus est signa ac miracula: Quapropter illum Sanctorum honoribus prosequi et cupit et petit Ecclesia universa, pacem sibi, Fidei incrementum, Regibus et Principibus suis concordiam et tranquillitatem ex novi hujus Sancti meritis ac protectione, se de Dei bonitate confidens, impetraturam.

FELIX Solatius Archiepiscopus Thebarum Assistens.

CANDOR vitae beati Fidelis a Sigmaringa, profunda ejusdem humilitas, exacta sui Instituti observantia, effervens charitas erga Deum et Proximum, et gloriosus demum Sanguis pro praedicatione Evangelii et profligandis haeresibus effusus, ut ex Actis, illum Nobis, et Sanctum virtutibus omnibus in statu heroico ornatum, et Martyrem multis miraculis ante et post obitum patratis clarum ostendunt. Hunc igitur Athletam Christi, BEATISSIME PATER, qui in agone, ad instar Capitis sui, flagella non timuit, quem inter sanctos Martyres regnare dicimus in Caelis, etiam intra eorumdem Ordinem colendum in terris Apostolico tuo infallibili judicio definire digneris.

ANTONIUS Fonseca Episcopus Æsinus Assistens.

VERE, BEATISSIME PATER, Fidem, quam etiam nomine praefert, beatus Fidelis a Sigmaringa illustravit moribus, praedicatione, martyrio. Fide namque assecutus sperandarum rerum praestantiam terrena quaeque abjecit, amplexus rigidioris vitae Institutum, jejuniis et corporis afflictationibus summopere deditus, omniumque virtutum splendore coruscans. Fidem evangelizavit pauperibus, propugnavit adversus haereses, et Apostolico muneri sedulo incumbens mirifice amplificavit: Fidei demum testimonio probatus, quam vitae integritate decoraverat, et Evangelii promulgatione statuerat, confirmavit effuso sanguine. Adeptum itaque repromissionem et coronam justitiae, quam subeunti bonum Fidei certamen paraverat Deus ante Mundi constitutionem, catholica Ecclesia debet inter gloriosos Fidei Athletas venerari; ut Fidei propagationi, cui totum se dedit, praemisso exemplo, praesenti gloria et futura intercessione magis magisque praefulgeat.

FR. PAULUS Alpheran de Bussan Episcopus Melitensis Assistens.

BEATISSIME PATER, Beatus Fidelis a Sigmaringa Ordinis Capuccinorum eos inter Operarios, qui ad excolendam vineam Domini a Sacra Congregatione de Propaganda Fide mittuntur, primus ille fuit qui eam, ut verus Christi Athleta, proprio sanguine irrigavit et foecundavit; et ideo Protomartyr est nuncupandus. Martyrio et causa martyrii, tum signis atque miraculis a supremo SANCTITATIS VESTRÆ oraculo adprobatis, in caelestium Civium numero colendus gloriosissimus Christi miles mihi videtur, ut qui posuit animam suam pro dilatanda Fide exemplo sit Operariis in vinea Domini.

ALEXANDER de Abbatibus Episcopus Viterbiensis, et Tuscanensis Assistens.

PRETIOSA mors, quam B. Fidelis a Sigmaringa pro Religione orthodoxa sibi alacri animo expetivit, prophetico Spiritu praenunciavit, hilari vultu excepit, eidem Martyrii lauream promeruit. Quamquam et asperrimum anteactae vitae cursum juge dixerim martyrium. Prius namque charitatis, quam furoris victima diutinum sui sacrificium pro Dei honore ac Proximorum salute vivens obtulit, moriens consummavit. Ecce autem, BEATISSIME PATER, vox Sanguinis pro vera Christi Ecclesia effusi clamat de terra, quam feliciter irrigavit; clamat de Caelo, ubi Fidelis iste usque ad mortem accepit coronam vitae; clamant et miracula luculentissimi testes Sanctitatis, ut in Sanctorum Album referatur Protomartyr Congregationis de Propaganda Fide.

NICOLAUS FRANCISCUS de Bonhome Episcopus Carpasiensis Assistens.

PLENE clarificavit beatus Fidelis a Sigmaringa nomen, et omen sibi in ingressu fa-

miliae Patrum Capuccinorum a Magistro Novitiorum inditum, nempe Fidelis *esto fidelis usque ad mortem*: Fidelis utique fuit nomine, fidelis quoque fuit in opere et sermone, fidelis in minimo, fidelis in maximo, atque fidelitatem suam usque ad iteratas sanguinis effusiones, imo et usque ad mortem in Christo Jesu patienter toleratam et subsecutam, comprobavit. Quapropter Dominus Deus fidelis in omnibus verbis suis justusque judex reddidit ipsi in Caelis promissam fidelibus usque ad mortem coronam gloriae et justitiae, ac insuper prodigiis quamplurimis adimplementum verborum suorum manifestavit in terris, ut honores sancto Martyri debiti fideliter beato Fideli exhibeantur: Quare illum inter sanctorum Martyrum Fastos adscribendum censet, et adscribi humillime SANCTITATI VESTRÆ supplicat.

LUDOVICUS ANTONIUS Valdina olim Cremona Episcopus Hermopolitanus Assistens.

CORONET SANCTITAS VESTRA corona Sanctitatis et gloriae, et inter sanctos Martyres solemni ritu adscribat beatum Fidelem a Sigmaringa. Fuit enim fidelis Servus et prudens, qui a Domino meruit accipere coronam vitae. Jesu Christi perpetuus imitator ab ipsa pueritia semper profecit sapientia, aetate et gratia apud Deum et Homines. Grandior natu, quam Christus Dominus professus est vitam, ipse manifestavit in carne sua mortali in Patruum Capuccinorum Familia, in qua mortificationem Jesu semper circumferens, mortem tandem pro Christo obiit furentium Haereticorum vulneribus saucius. similem illi, quam tulit Stephanus lapidantium Judaeorum saxis oppressus; et sicut Stephanus Ecclesiae est Protomartyr, ita beatus Fidelis est Protomartyr Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

FABRICIUS Borgia Episcopus Ferentinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Praeclara sane laus cujuslibet Christiani hominis est, ita se immaculatum custodire ab hoc seculo, ut possit ante Tribunal Christi exhibere innocentiae stolam, quam per Baptismum accepit, aut poenitentiae operibus lavit. De hoc quippe homine scriptum est: *Beatus Vir, qui inventus est sine macula;* sed hujusmodi innocentiae stolam, cujus nulla satis digna est aestimatio, fuso praeterea pro Christi fide sanguine purpurare, hoc enim vero decus est perinsigne maximequé admirabile. Utrumque hujus laudis ornamentum B. Fideli a Sigmaringa ex iis quae accepimus peculiari Dei beneficio collatum est, primum in Claustris Alumnorum Divi Francisci, quos Capuccinos dicimus, secundum in Acie cum armatus gladio spiritus, verbo scilicet Dei, contra Haereticos in Rhaetia pugnaret, a quibus ex Religionis nostrae odio pluribus vulneribus acceptis interiit. Quocirca duplici titulo gaudet, cur in Album sanctorum Heroum merito referatur.

D. PAULUS THOMAS Marana Episcopus Asculanus in Picenis Assistens.

BEATUS Fidelis a Sigmaringa Vir humilitate magnus, charitate major, Apostolico zelo animarum et fidei orthodoxae propagandae ardore maximus fuit sane, re, et nomine fidelis usque ad mortem proprio Sanguine per martyrium condecoratam: Quapropter cum jam sine dubio illi coronam de lapide pretioso in Apocalypsi pollicitam imposuerit Deus in Caelis, aequum est, ut SANCTITAS VESTRA tali laurea redimitum publicae fidelium venerationi proponat in terris.

F. SILVESTER Merani Episcopus Porphyrien. Assistens.

B. FIDELIS a Sigmaringa supra modum refulsit in Dei Ecclesia ob exactam severioris Instituti observantiam, ob egregium animarum zelum, ob martyrium pro Fide orthodoxa constanter ac feliciter expletum. Huic ergo multiplici catholicae Religionis Heroi, de Missione Romana optime ac praeclare merito, cum et ipsa Dei Omnipotentia eximiam illius virtutem miraculorum testimonio confirmaverit, justum est, ut condigni Religiosi honores, in tota Ecclesia semper mansuri, decernantur a S. V., cujus factis dictisque debetur immortalitas.

ANTONIUS Cantoni Episcopus Faventinus Assistens.

MATURO Congregationis Sacrorum Rituum judicio testatum habemus B. Fidelem a Sigmaringa duo solitum fuisse a Deo enixis precibus postulare, scilicet ut vitam ab omni peccato immunem traduceret, Fidemque orthodoxam suo sanguine confirmaret, et utriusque voti compotem effectum esse. Tantam Viri laudem rite probata implevere miracula. Gratulari licet ergo, BEATISSIME PATER, omnia in hac causa abunde suppetere, quaecumque desiderari poterant, ut SANCTITAS VESTRA solemni Decreto suo inter Sanctos referat praestantissimum Congregationis Propagandae Fidei Protomartyrem.

PAULUS Bonavisa Episcopus Spoletanus Assistens.

PACEM *sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*: Hac Epigraphe Sanctitatem conclusit Apostolus ad Hebraeos 12. Per pacem cum omnibus denotavit perfectissimam charitatem erga proximos: Per sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, duo indicavit: Primo munditiam cordis ab omnibus terrenis affectibus, quae necessaria est, ut mens ita vacua conjungi valeat Deo suo ultimo fini: Secundo immobilem applicationem et adhaesionem mentis Deo, quod est proprium speciale sanctimoniae, juxta quod de se dixit Apostolus ad Romanos: *Neque mors, neque vita nos separabit a Charitate Christi.* Sanctus igitur est piissimus Sacerdos Fidelis a Sigmaringa, cum pacem prosecutus sit cum omnibus, dum etiam illos, qui ei adversabantur, charitate, mansuetudine et patientia emollire, et flectere, sibique et fidei catholicae conciliare studuit, pro iis etiam orando, dum mortem ab iis inflictam se una fronte patientissime et constantissime subiit.

Sanctimoniae pariter virtute excelluit, quia puritatem cordis maxime excoluit, immunis ab omni labe gravis peccati et ab omni sorde, quae coinquinat hominem, qua puritate ornatus mentem suam immobiliter applicuit Deo, et per illam meruit Deum videre, dum per martyrii agonem purissimus ejus spiritus evolavit ad caelum servante Christo fidem datam in Evangelio Matthaei cap. 5. ad 8. illis verbis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Regnat itaque in Caelis inter agmina sanctorum Martyrum adscriptus, visioneque divinae essentiae perenni fruitione consolatus exultat:

Sed quia proprium divinae bonitatis est, gloriosos reddere in terris eos fideles servos, quos singulari corona justitiae coronavit in Caelis: Ideo voluit invocato nomine Fidelis plura beneficia et dona in populos diffundere, quibus Sanctitas sui Fidelis Servi omnibus innotesceret: Dum igitur sic loquitur Deus, oportet sequi vocem ejus, et describere in Albo sanctorum Martyrum beatissimum Fidelem, quem jam in libro vitae scriptum, et singulari laureola redimitum tot prodigiis dignatus est Christus ostendere; si tamen Sanctitati Vestrae visum fuerit, ad quam pertinet supremo et finali Decreto sacris Fastis fideles Dei Servos adnumerare.

CÆSAR Bonajuti Episcopus Pharensis Assistens.

BEATISSIME PATER, Elegit B. Fidelis a Sigmaringa abjectus esse in domo Dei, propterea, Oraculum suum, qui se humiliat exaltabitur, Altissimus in Servo suo Fideli opere comprobavit, dum egregius fuit Seraphici Patris imitator, obedientiae et ferventissimae devotionis exemplar, catholicae Fidei defensor et haeresis usque ad extremum vitae terminum acerrimus oppugnator. Imo non solum in abjectissimis ministeriis assidue aegrotis inserviendo, afflictos recreando, errantes corripiendo, dies suos cum virtute traduxit, sed etiam contempsit vitam mundi, et ardentissime imperterrita corporis animique constantia, jejunio, oratione, puritate et exemplo Deo servivit, ac omnes vitae suae virtutes martyrio coronavit.

Restat nunc, BEATISSIME PATER, ut ille miraculis clarus Sanctorum Fastis adscribatur, et solemni ritu militanti Ecclesiae publice proponatur ad summarum virtutum incitamentum.

***MARIUS** Maffei Episcopus Fulginas Assistens.*

FAUSTAM fortunatamque auspicari licet, BEATISSIME PATER, ineundam Canonizationis celebritatem. Primus inter eos, qui ad hujus gloriae bravium, Te promovente, perveniet, occurrit Fidelis a Sigmaringa, qui eam praesetulit *charitatem, qua majorem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ipse sanguinem suum fudit, ut quas invenerat Dominici gregis oves in Rhaetia, eas in catholica veritate firmaret; errantes vero ad ovile Christi reduceret. Parum videbatur Fideli hortari Catholicos verbo, nisi constantis animi in subeunda pro Christo morte firmaret exemplo. Parum quoque ei videbatur hortari verbo et exemplo firmare; nisi in Martyrum numero primus inveniretur, qui Apostolicam in Rhaetia missionem sanguine suo illustraret. Parum denique ei visum est tantae charitatis exemplum dedisse in terris, nisi catholicae Fidei patrocinium apud Superos se gerere, Haereticorum militum districto ense fugando Ducem, ostendisset e Caelis. Fidelis igitur (a), *in terris visus est, ut esset exemplo; in Caelum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informavit ad vitam: illic invitat ad gloriam.* Qui ergo Mundi Principe triumphato, supra mundum victor ascendit, hunc digneris, BEATISSIME PATER, ad augendum militantis Ecclesiae decus inter Martyres recensere.

***GUIDO** Ursellus Episcopus Caesenas Assistens.*

Ex hactenus in causa B. Fidelis a Sigmaringa Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Protomartyris tanta cura, diligentia, maturitate deductis atque discussis satis apparet, quam pie ac sapienter faciat SANCTITAS VESTRA, cum eum in Sanctorum Album referendum censuerit; sive enim ejus in tota anteacta vita pietas atque innocentia spectetur, sive in Apostolico Missionarii et Concionatoris munere obeundo fervor atque strenuitas, seu denique in acerbissima morte pro Christi fide apud Haereticos Rhaetios oppetenda fortitudo atque constantia, Salvatoris nostri in Apocalypsi c. 2. gravissimum illud multoque difficillimum praeceptum omni ex parte implesse cognoscitur: *Esto fidelis usque ad mortem.* Accedit quod Deus multis iisdemque gravissimis patratis miraculis satis testatus est, quam sibi de beatissimi Viri vita ac morte placuerit. Qua de re, PATER SANCTISSIME, cum fortissimo Martyri Sanctorum nomen et cultum Apostolica voce decernat Sanctitas Vestra, videtur divinae voci magnam ipsius gloriam, qua in Caelis fruitur, enarranti consentire.

***LEO LUCAS** Vita Episcopus Oppidensis Assistens.*

BEATISSIME PATER. Nedum sanctorum Martyrum Fastis adscribi posse crederem Beatum Fidelem a Sigmaringa, sed ut id quam citissime fiat, expedit ad majorem Dei gloriam, Ecclesiae decorem et aliorum exemplum; sustinuit enim patienter fortissimus hic Athleta Christi mala pro bonis et odium pro dilectione, quam exercuit erga proximos, pro quibus animam suam posuit, eo potissimum tempore, quo in evellendis radicitus ab eorum animis perversis moribus, et orthodoxa inter eos Religione tuenda pariter et amplificanda nitebatur.

***ÆGIDIUS ANTONIUS** Isabelli Episcopus Alliphanus Assistens.*

Non amplius, BEATISSIME PATER, Fidelis homo perquirendus est proverbiorum verbis: *Virum autem fidelem quis inveniet?* Jam enim nomine et reipsa extat Sigmaringae Constantiensis Dioecesis Oppido non vulgari, *et similis non inventus est illi;* quemadmodum ergo Fidelis hic Servus quae tradidit ei Dominus *talenta quinque*, non piger, nec otiosus in terram abscondit, sed accurate et abunde multiplicavit, et auxit, jam *alia quinque superlucratus* jejuniis, vigiliis, austeritatibus, orationibus, studiis atque indefessa adolescentium juvenum instructione et assidua praesertim in infideles populos praedica-

(a) *Sanct. Bernar. Sermone 2. de S. Victore.*

tione: Ita postquam pro asserenda catholica Fide, eaque firmius stabilienda, sanguinem proprium constanter effundens intravit *in gaudium Domini sui*, vere dignus censeri debet, qui in Sanctorum tabulam referatur, ut aliis ad fideliter operandum in vinea Domini Sabaoth illustre praebeat exemplum.

JOANNES ANTONIUS Bachetoni Episcopus Anagniae Assistens.

CLAMAT ad Te de terra, BEATISSIME PATER, Servi Dei Fidelis a Sigmaringa ob confessionem hujus unicae et inconcussae Pontificiae Sedis, ex qua jure fulges et doces, effusus Sanguis; cujus voces etsi probatum jam fecerint sermonem, nil minus ad eum complendum, praeclara etiam supervenere miracula, suumque et ipsa rite recteque scrutatum addixere suffragium. Æquum igitur et congruum est, ut ex hac ipsa, pro qua fortiter occubuit, Petri Sede foenus illi, BEATISSIME PATER, vicemque rependas, ac tanto ex praeclaro Capuccinorum Ordine Militi emeritam martyrii coronam palmasque decernas: Ejusque sanguinem suscites, et ex Albo Sanctorum praebeas rutilantem iis, qui Apostolico addicti muneri evangelizare mittuntur, ut Jesum Christum et hunc crucifixum in simplicitate et puritate doctrinae, alacriter fidenterque annuncient.

SCIUM ILUMURI AT.

TÆ bæmet, lævdimet, eȝè atò Kyæ caa pæsuanæ præ feenæ tæ Chrisctit robby i tgn ςoti Fiȝeli caa Sigmaringa na dæftognanæ me aft, se ay Kygn caa i ver tet, i miræeȝe i besæs ndæ sctæpiit tgn ςoti, eȝe stolisænæ meta ggiȝȝ lævdimet tæ Apostollyet. Ktæ tæ vertet desc vet ςotgn te defton me scegnet Kyæ caa bæn gner sod præ tæ falurit, e præ te luturit atiy vet tæ lumurit gnerii. Tasc po dubet, vece saa scnubet emæny itiyh me sceitænat. Asctù o martenæ me mbndemia tæ paa diiturat, e asctù ȝȝom paa fare frik.

Josefi Schirò Arçbiscupu i Durrsit, eȝe Vicar. Apostolycu i Hymarrs ndæ Abænit.

Ejusdem Versio latina.

JOSEPH Scirò Archiepiscopus Dyrrachinus, et olim Vicarius Apostolicus Cimarrae in Epiro.

BEATISSIME PATER. Gesta, virtutes ac martyrium Servi Dei Fidelis a Sigmaringa satis, superque demonstrant hunc fuisse vere bonum et fidelem Ministrum in domo Domini, et insuper omnibus Apostolicis virtutibus exornatum. Hoc idem dignatus est Deus ipse testari per signa et prodigia ab eo hucusque patrata precibus et meritis ejusdem beati Viri. Reliquum est, ut ejus nomen Sanctorum numero adscribatur. Ita humillime censeo, et indubitanter affirmo.

SERGIUS Alexandri Armenus Archiepiscopus Caesareae Cappadociae.

Quum virtutes, martyrium, et miracula beati Fidelis a Sigmaringa Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Sacerdotis jam sint apud sanctam Sedem comprobata, sicut ex Compendio typis edito, et mihi per fidum Interpretem armenice reddito colligitur; haesitandum minime puto, quinimo aequum justumque censeo, ut a SANCTITATE VESTRA in Sanctorum Albo describatur; his praesertim temporibus, quibus catholicae Fidei Cultores, ac mei praecipue gentiles Armeni, a Schismaticis, et Haereticis in Oriente saevissime exagitantur. Futurum enim confido, ut eo inter Sanctos relato atque invocato, qui ab Haereticis pro fide orthodoxa mortem sustinuit, et persecutio heterodoxorum cesset, et ipsi etiam heterodoxi ad sinum Matris suae Romanae Ecclesiae revertantur, atque ita fiat, ut unum sit Christianorum omnium ovile, et unus Pastor.

STEPHANUS Evodius Assemanus Archiepiscopus Apameae.

SEMINANTI (a) *justitiam merces fidelis*. Hanc, SANCTISSIME PATER, sibi comparavit beatus Fidelis a Sigmaringa, inclyti

(a) *Prov.* 11. 18.

Capuccinorum Instituti Alumnus, qui (a) bibit aquam de Cisterna sua, et fluenta putei sui; fontesque suos foras derivavit, et in plateis aquas suas divisit. Observantur, proh dolor! ob oculos teterrima illa et perpetuae oblivioni mandanda tempora, quibus Ecclesiam Dei (b) exterminabat Aper de Silva, eamque depascebatur singularis ferus. Verum exsurgit Dominus, videt et visitat vineam suam; fitque manus ejus super virum dexterae suae, beatum Fidelem, qui (c) succinctus lumbos suos in veritate, et indutus loricam justitiae, calceatus pedes in praeparatione Evangelii pacis, sumto Fidei scuto, galea salutis et gladio, quod est Verbum Dei, Rhaetiam circumlustrans in perenne Religionis monimentum vertit (d); dumque zelat zelum Legis (e), stolam suam dealbans in sanguine Agni, receptus est in Caelum. Caelitibus itaque, fremente eo, qui ex adverso stat, plaudente vero, qua late patet, catholica Religione, quae semper et ubique una et eadem sibi easdem, quas primaevi Christiani, ex Athletis suis congratulatur victorias: Caelitibus, inquam, a SANCTITATE VESTRA censeo esse adscribendum, qui heroicarum virtutum gloria et miraculorum claritate conspicuus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Protomartyris lauream praeripuit.

THOMAS ALEXIUS de Rubeis Episcopus Aprutinus.

SENTENTIAM in hac re gravissima doctissimorum Patrum ita laudo, BEATISSIME PATER, ut non videar mihi posse meliorem adjungere. Stupiditatis esset, hoc non cognoscere; ambitionis et philautiae alia superdicere.

Beatus Fidelis a Sigmaringa sexti decimi seculi Martyr egregius, zelum, constantiam, charitatem antiquorum et forsan Apostolorum, etsi non exaequaverit, saltem non minori ferme gloria dignus est appellari.

Non cymbam, non retia, non paupertatem pro divino cultu reliquit, sed in foris gloriae, in domo divitiis, honoribus in aulis missum dedit, ut paupertatem amplecteretur.

Pauperrimus Capuccinus, licet humilitate demissus, cilicio, flagellis, vigiliis, inedia confectus: Gravis attamen et comitate et exemplo ceteros ad meliora perduxit; in scribendis concionibus noctes integras consumavit, ut Magister ad colendos homines in Religione, in moribus institutus merito videretur.

Mirum dictu de ejus charitate, quod inter pestilentis aurae pericula vitam sua sponte dederit exitio.

Haereticorum libri ne prostrarent venales in Fidelium perniciem, maximo labore curavit.

Videbatur equidem ignem suae charitatis omnia, quae sequerentur mala devorare voluisse; dum etenim e suggesto concionabatur: calculo ignito percussus, illaesus evasit. Deinde cum prae foribus staret, et haereticam conficeret suis Concionibus pravitatem, ensibus et fustibus appetitus, martyrium gloriosus obivit.

Idcirco jure quoque optimo inter Martyres accenseri, BEATISSIMUM PATREM, et Magistrum obtestamur.

BERNARDINUS Vari Episcopus Civitatis Castellanae et Hortae.

BEATISSIME PATER. Beatus Fidelis a Sigmaringa etsi fuerit omnimoda pietate insignis, ac regulari strictissima observantia praecipuus; hasce tamen aliasque virtutes ad culmen heroicae perfectionis evexit ardentissimo catholicae Fidei propagandae studio; dum Haereticos praedicationibus suis adortus, cum plurium conversione auxisset Ecclesiam, aliorum in se odium excivit: Quo tamen minime territus, pro eadem Fide eo ipso tempore, quo eamdem impavido ardore conabatur extendere, ab ipsis Haereticis innumeris vulneribus confossus gloriosissime Martyr occubuit. Tantus igitur fidei testis,

(a) *Prov.* 5.
(b) *Psal.* 79.
(c) *Ephes.* 6.
(d) 1. *Mach.* 2.
(e) *Apoc.* 7.

qui nostris ferme temporibus Ecclesiam exornavit, meretur omnino, ut postquam per miracula martyrii sui testimonium accepit a Caelo, solemne testimonium per Canonizationem ab Ecclesia recipiat.

JOANNES INNOCENTIUS Episcopus Fagariensis.

Cum non sit amplius dubium de eximiis virtutibus, martyrio et miraculis, quibus Omnipotens Deus dignatus est condecorare dilectum Servum suum beatum Fidelem, Sacerdotem Professum Ordinis Reverendorum Patrum Fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum, quemadmodum ex ejusdem vitae Compendio videtur; censeo SANCTITATEM VESTRAM tute posse ad ejus Canonizationem procedere, eumque Sanctorum numero adscribere, et Christi Fidelibus imitandum proponere.

JACOBUS PHILIPPUS Consoli Episcopus Amerinus.

BEATISSIME PATER. Ex Joannis sententia satis atque abunde edocemur charitatem sufficere, ut Regnum Dei consequi et possidere mereamur: Quae autem major charitas, testante Domino, cum animam suam ponit quis pro amicis suis? hoc verbo docuit et exemplo beatus Fidelis a Sigmaringa Capuccinorum Ordinis; is enim, cum ex tot tantisque Apostolicis praeconibus, quos in Mundum universum ad Evangelii veritatem disseminandam Universalis Congregatio, a sancta Sede negotiis de Propaganda Fide praeposita, in dies mittere consueverit, primus omnium charitate ductus Evangelicam praedicationem suo sanguine confirmaverit, nemo est, qui dubitet ejus martyrii merito, Martyrum gloriam ritu solemni adjiciendam, atque decernendam esse: Tanti ponderis hoc esse eadem SANCTITAS VESTRA firmavit in suo absolutissimo Opere de Beatificatione et Canonizatione Sanctorum *lib.* 1. *cap.* 2. *et* 3. *per tot.*, ut solemnis Canonizationis honores beato Fideli debiti, non modo tamquam Martyri, sed tamquam Protomartyri videantur; sed quid dicendum, cum tot populos, tot Provincias, innumeris exantlatis laboribus ac periculis, ab haereseos labe purgaverit, omnes in gradu heroico virtutes et miraculorum fama toto catholico Orbe celeberrima, ejusdem martyrio accedant? Talia haec profecto sunt, ut jure merito cum Beatum illum dixerint omnes generationes, Beatumque Sancta haec Apostolica Sedes ex Decreto S. Mem. Benedicti XIII. appellandum indulserit, Sanctum mox venerandum SANCTITAS VESTRA ex Cathedra item decernere dignetur.

Gens sancta id exoptat, populusque fidelis ea spe ductus hoc idem expectat, ut dum illius merita exaltantur in Terris, contra haereses, quas vivens profligavit, patrocinium assequatur in Caelis.

Joseph Coppola Episcopus Aquilanus.

REPROMISSAM *certantibus vitae coronam in Caelis* (a), de qua Jacobus Apostolus loquitur, in beato Fideli a Sigmaringa merito completam videmus (b). *Religiosam* namque *sollicitudinem ad augendam, provocandamque fidei observationem juris praemio affici debere*, etiam Ethnici Caesares rescripsere. Superest ergo, ut quem certe Sanctorum consortio perfrui credere licet, infallibili Tuo judicio, ad Omnipotentis Dei gloriam firmius innotescat. Et consilium quod toties in hac re praebuisti, et quomodo, quibusve auxiliis dandum sit diserte docuisti, benigno suscipere animo non dedigneris.

HIERONYMUS Lorenzi Episcopus Acernensis.

Cum vitae ratio, tum mortis genus, BEATISSIME PATER, facile ostendunt, quanta extiterit in beato Fideli a Sigmaringa virtutum eximiarum complexio. Ita enim vixit, ut in summa vitae austeritate morumque innocentia Deum unice spectaret et Proximorum salutem: ita sanguinem profudit, ut pro tuenda catholica fide animam poneret. Vere quod olim de Samuele dictum est, su-

(a) *Jacob epist.* 1. (b) *Diocl et maxim. in l.* 1. *Cod. Pro quibus causis servi pro praem. lib.*

[s]ortavit sibi Deus novissimo hoc etiam tempore Sacerdotem fidelem: Cum igitur tam strenue cucurrerit, ut comprehenderit; tam legitime certaverit, ut coronam mereatur: quod ipsum edita post ejus mortem miracula testantur; aequum censeo, BEATISSIME PATER, in sanctorum Martyrum numerum eundem adscribi.

JOANNES FRANCISCUS Cavallini Episcopus Alatrinus.

BEATUM Fidelem a Sigmaringa tot virtutum ac miraculorum laude conspicuum, atque ad martyrii usque palmam vere fidelem Sanctorum Fastis a SANCTITATE VESTRA jure meritoque adscribendum puto, lubentique animo ceterorum Patrum suffragiis meum quoque votum adjicio.

Nicolaus Cioffi Episcopus Soranus.

LONGE dignissimum inter praeclara Sacrosancti Apostolatus tui opera illud esse censeo, ut sanctorum Martyrum Fastis per supremum SANCTITATIS TUÆ Oraculum adscribatur beatus Fidelis a Sigmaringa. Hic enim non solum tot eximiis tam in seculo, quam in severiori suo Capuccinorum Instituto virtutibus, ac doctrinis mirum in modum praefulsit, verum etiam incredibiles pro aeterna Christifidelium ac praesertim Haereticorum salute procuranda, catholica Religione promovenda, divinoque cultu adaugendo labores suscepit sustinuitque; ac tandem animam suam pro inimicis suis consummato martyrio ponere non dubitavit. Unde immarcescibilem in Caelis coronam adeptum esse miracula ipsa ab Omnipotenti Deo patrata pro manifestanda Servi sui immortali gloria ostendunt.

JOANNES ANTONIUS Castelli Episcopus Catharensis.

TAM fuit insignis beati Fidelis a Sigmaringa virtus, tantaque animi magnitudo, ut eam ne longa quidem oratione celebrare quisquam si cupiat possit, neque si possit, quoniam conspicua omnibus est, opus esse videatur. Testata namque res est, eum cum in seculo esset, inter aequales et doctrinae et pietatis integritatisque morum laude unum omnium maxime floruisse; ac post, ubi Ordini Minorum Capuccinorum nomen dedit, adeo pium, castum, pauperem, dicto Superiorum obedientem, prudentem, perfectum denique virum fuisse, ut ceteris, qui se tum in instituendis Christifidelibus, inque ministerio apostolico exercebant, mirum in modum sanctitatis nomine antecelleret. Charitatis autem ardore ita eum fuisse inflammatum constat, ut et curarit opera, labore, difficillimis itineribus, jejuniis, vigiliis, precibus Christo proximorum animas in coeno vitiorum, aut in errore versatas lucrifacere; quod est ope divinae gratiae consequutus; et expleto martyrio pro veritate orthodoxae Religionis vitam sanguinemque profuderit. Quare censeo virum heroica virtute ac miraculorum dono illustrem dignum esse, qui a SANCTITATE VESTRA in sanctorum Martyrum numerum referatur.

NICOLAUS MARIA Calcagnini Episcopus Civitatis Ducalis.

SATIS quidem beati Fidelis a Sigmaringa merita praedicata censeo, ut Sanctus dici, haberi, colique jure possit, si solam charitatem, quae perfectionis vinculum est, sic eum coluisse dicam, ut pro Dei amore ac fidei testimonio sanguinem suum fundere non detrectaverit, ipsum Deum pro suis offensoribus exorando. Verum, licet praecipua haec sit fortissimi hujus Christi Domini Athletae virtus, non tamen unica est; ceteras enim exercuit etiam in gradu heroico, nedum inter sacra Fratrum Minorum, quos Capuccinos vocant, Claustra, sed illis praesertim temporibus, quibus apud Rhaetos moratus, in reducendis ad catholicam Religionem haereticis operam suam summo studio collocavit: Equidem, qui Servatoris nostri vestigia sequutus tantopere adlaboravit, ut cum eodem regnaret in Caelis, aequum est, ut in terris respon-

dentem meritis suis Sanctorum gloriam a SANCTITATE VESTRA consequatur.

Statim ac novissimus Episcoporum Orationi suae finem imposuit haec subdidit Papa, suffragia commendans jejunia et preces, quas edixerat, palam faciens.

VENERABILES FRATRES. Summam voluptatem percepimus ex vestris suffragiis, quae tulistis de proposita Canonizatione beati Fidelis a Sigmaringa. Priusquam tamen ultimo deliberemus, ad Deum supplices confugere volumus, et simul hortari Fideles omnes, ut eadem vota concipiant, videlicet ut caeleste lumen in hoc gravissimo negotio Nobis elargiatur, judicium laturis de Canonizatione beati Fidelis a Sigmaringa, atque aliorum quatuor Beatorum, quorum Causae in quatuor sequentibus Consistoriis Semipublicis in examen adducentur. Porro Cardinalis noster in Urbe Vicarius de more promulgabit jejunia, Ecclesias visitandas, preces et alia pietatis opera praescripta et suscipienda ab illis, qui consequi volunt plenariam Indulgentiam, quam Nos impertiti sumus universis, qui preces effundent eo modo, quem statuimus, ut Deus scilicet Opt. Max. suae lucis claritate mentem nostram illuminet.

Ubi Summus Pontifex siluit, Procurator Generalis Camerae Apostolicae Joannes Philippus Toppi his verbis Protonotarios adstantes rogavit, ut unum, vel plura de Consistorialibus Actis Instrumentum, vel Instrumenta conficerent.

Ego Johannes Philippus Toppi Sanctissimi Domini Nostri et Camerae Apostolicae Procurator Generalis rogo Vos omnes Protonotarios et Notarios Apostolicos hic praesentes, ut de sententiis, consilio et unanimi consensu Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, deque Summi Pontificis Oratione ac deliberatione praehabitis super solemni Canonizatione beati Fidelis a Sigmaringa, unum vel plura publicum, seu publica conficiatis instrumentum, vel instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Tunc R. P. D. Antonius Maria Erba Pro-Decanus Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium sui Collegii nomine respondit, *Conficiemus*; deinde Cubicularios et ceteros, qui circa Solium Pontificis stabant, Testes appellans dixit: *Vobis testibus*; Romamque reversus integram Actionem, prout infra, in suis tabulis adnotavit. Consessus ita solutus est.

Instrumentum a Pro-Decano Protonotariorum rogatum pro primo Semipublico Consistorio.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

CUNCTIS omnibus praesens hoc Instrumentum lecturis pariter et audituris evidenter pateat ubique notumque sit: Quod Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Divina providentia Papa XIV. ut inoffenso pede, prout rei gravitas et dignitas postulabant, devenire posset ad solemnem Canonizationem beatorum Fidelis a Sigmaringa Martyris Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, Camilli de Lellis Confessoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris, Petri Regalati Confessoris Minorum Observantium S. Francisci, Josephi a Leonissa Confessoris Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, et Catharinae de Ricciis Sanctimonialis Professae Ordinis S. Dominici Anno Dominicae Incarnationis millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae anno sexto, die vero octava Junii Feria quarta pro explenda causa excipiendisque suffragiis super Canonizatione beati Fidelis a Sigmaringa primum habuit Consistorium semipublicum in Aula, quae loco Ducalis est, in Quirinali Palatio.

Sanctitas Sua superrecensita die ex Aula Paramentorum Pluviali rubro induta; ac simplici Mitra redimita, praeeunte Papali Cruce cum solito comitatu, ad eamdem Aulam, quae pro Ducali habetur, se contulit: Ibique in Sede composita, Consistoriali Actioni brevi disertaque Allocutione initium dedit, et a Venerabili tam Eminentissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, quam Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum Pontificio Solio Assistentium, et non Assistentium Consessu super re tanti momenti, consilium et sententias exquisivit.

Facta propterea suffragandi copia Eminentissimus Burghesius Presb. Tit. S. Mariae Transtyberim utpote inter Cardinales, qui intererant, omnibus antiquior, primus Sanctissimo Domino sententiam suam aperuit, eumdemque enixe rogavit, ut beatum Fidelem a Sigmaringa sanctorum Martyrum numero adscribere dignaretur.

Non absimili sane voto ceteri omnes, qui aderant Eminentissimi Patres, apud Sanctitatem Suam institerunt pro solemni ejusdem beati Fidelis Canonizatione: videlicet.

Antonius Xaverius Tit S. Stephani in Monte Caelio S. R. E. Presbyter Cardinalis Gentili.

Fr. Joannes Antonius Tit. SS. Silvestri et Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Cardinalis Guadagni.

Trojanus Tit. S. Caeciliae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Aquaviva.

Dominicus Tit. SS. XII. Apostolorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Riviera.

Joannes Baptista Tit. S. Mariae Angelorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Spinula.

Raynerius Tit. S. Sabinae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Ilcio.

Dominicus Tit. S. Bernardi S. R. E. Presbyter Cardinalis Passionei.

Silvius Tit. S. Priscae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Valentibus.

Fr. Joachimus Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Portocarrero.

Camillus Tit. SS. Joannis et Pauli S. R. E. Cardinalis Paulutius.

Carolus Albertus Guidobonus Tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyter Cardinalis Cavalchinus.

Fridericus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Lantes.

Franciscus Tit. S. Mariae de Populo S. R. E. Presbyter Cardinalis Riccius.

D. Fortunatus Tit. S. Matthaei in Merulana S. R. E. Presbyter Cardinalis Tamburinus.

D. Joachimus Tit. S. Crucis in Hierusalem S. R. E. Presbyter Cardinalis Besutius.

Carolus S. Mariae in Via lata Diaconus S. R. E. Cardinalis Marini.

Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus S. R. E. Cardinalis Albanus.

Nerius S. Eustachii Diaconus S. R. E. Cardinalis Corsinus.

Agapitus S. Agathae in Suburra Diaconus S. R. E. Cardinalis Mosca.

Marius SS. Cosmae et Damiani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bolognettus.

Prosper S. Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Columna de Sciarra.

Alexander S. Mariae in Aquiro Diaconus S. R. E. Cardinalis Tanarius.

Hieronymus S. Adriani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bardi.

Dominicus SS. Viti et Modesti Diaconus S. R. E. Cardinalis Ursinus.

Absolutis Purpuratorum Patrum suffragiis, Reverendissimi DD. Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi Pontificio Solio Assistentes, et non Assistentes (stantes dum loquebantur, et initio a primis in Ordine desumpto) suas quoque sententias in medio protulerunt. Nempe.

Mundillus Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus.

Antonius Maria Pallavicinus Patriarcha Antiochenus.

Thomas Cervini Patriarcha Hierosolymitanus.

Gabriel Eva Archiepiscopus Cypri Syrus, Patria prius, deinde latina lingua suffragium emisit.

Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanus.

Joseph Maria Ferronus Archiepiscopus Damascenus.

Michael Palma Archiepiscopus Teatinus.

Stanislaus Poliastri Archiepiscopus Rossanensis.

Ferdinandus Maria de Rubeis Archiepiscopus Tarsensis.

Joannes Andreas Tria Archiepiscopus Tyri.

Michael Maria Vincentini Archiepiscopus Theodosiae.

Simon Gritti Archiepiscopus Tyanen.

Nicolaus Carafa Archiepiscopus Philippensis.

D. Ferdinandus Romualdus Guiccioli Archiepiscopus Ravennatensis.

Felix Solatius Archiepiscopus Thebarum.

Antonius Fonseca Episcopus Aesinus.

Fr. Paulus Alpheran de Bussan Episcopus Meliten.

Alexander de Abbatibus Episcopus Viterbien. et Tuscan.

Nicolaus Franciscus de Bonhomme Episcopus Carpasien.

Ludovicus Antonius Valdina olim Cremona Episcopus Hermopolitanus.

Fabricius Borgia Episcopus Ferentinus.

D. Paulus Thomas Marana Episcopus Asculanus in Picenis.

Fr. Silvester Merani Episcopus Porphyriensis.

Antonius Cantoni Episcopus Faventinus.

Paulus Bonavisa Episcopus Spoletinus.

Caesar Bonajuti Episcopus Pharensis.

Marius Maffei Episcopus Fulginatensis.

Guido Ursellus Episcopus Caesenae.

Leo Lucas Vita Episcopus Oppidensis.

Ægidius Antonius Isabelli Episcopus Alliphan.

Joannes Antonius Bachetoni Episcopus Anaguinus.

Joseph Schirò Archiepiscopus Dyrrachinus, Patrio prius, deinde latino idiomate suffragium emisit.

Sergius Alexandri Armenus Archiepiscopus Caesareae Cappadociae, Patria prius, latina deinde lingua suffragium emisit.

Stephanus Assemanus Archiepiscopus Apameae.

Thomas Alexius de Rubeis Episcopus Aprutinus.

Bernardinus Vari Episcopus Civitatis Castellanae et Hortae.

Joannes Innocentius Episcopus Fegarasiensis, Patrio prius, deinde in latino idiomate suffragium emisit.

Jacobus Philippus Consoli Episcopus Amerinus.

Joseph Coppola Episcopus Aquilanus.

Hieronymus Lorenzi Episcopus Acernen.

Joannes Franciscus Cavallini Episcopus Alatrinus.

Nicolaus Cioffi Episcopus Soranus.

Joannes Antonius Castelli Episcopus Catharensis.

Nicolaus Maria Calcagnini Episcopus Civitatis Ducalis.

Suffragiis itaque non minus Eminentissimorum Cardinalium, quam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, qui ut supra aderant, in eundem penitus sensum pro solemni videlicet, et sollicita beati Fidelis Canonizatione unanimiter convenientibus, et ad finem tandem perductis, Sanctissimus Pater Actionem brevi altera Allocutione complevit; et tunc stantibus adhuc Praelatis, et sedentibus Cardinalibus Procurator Generalis R. C. A. rogavit Nos Protonotarios Actioni praesentes, ut de sententiis, consilio et unanimi consensu Eminentissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione, ac deliberatione praebabitis super solemni Canonizatione beati Fidelis a Sigmaringa Martyris, unum vel plura, publicum seu publica conficeremus Instrumentum, vel Instrumenta, ad perpetuam rei memoriam.

Ad hujusmodi supradicti Procuratoris Generalis Reverendae Camerae instantiam Ego Antonius Maria Protonotarius Erba inter Protonotarios eidem Consistorio praesentes antiquior tam proprio, quam meorum Collegarum et Collegii nomine respondi: *Conficiemus*: et subinde ad Pontificios Familiares, qui adstabant, conversus, eos in Testes vocatos, adhibui his verbis: *Vobis Testibus.*

Acta sunt haec in Quirinali Palatio die, mense et anno, quibus supra: Adstantibus DD. Paulo Zani Bononiensi, et Josepho Maria Puoti Neapolitano ab intimo Sanctitatis Suae cubiculo Testibus ad hoc specialiter adhibitis atque rogatis etc.

In quorum fidem Nos Protonotarii Apostolici de numero Participantium requisiti et rogati praesens hoc Instrumentum subscripsimus, et publicavimus, solitique Collegii nostri Sigilli impressione muniri, et in nostro Archivio, ut futuris temporibus horum omnium semper extet documentum, Secretario nostro perdiligenter asservari et subscribi mandavimus. Actum ubi supra, praesentibus quibus supra Testibus ad praemissa vocatis habitis atque rogatis.

Antonius Maria Protonotarius Erba Sub-Decanus.

Loco ✝ Signi.

Franciscus Dominicus Clementi ejusdem Collegii Secret.

Quoniam vero verba fecerat Pontifex de jejunio servando, de Ecclesiis adeundis, aliisque pietatis operibus suscipiendis pro adeptione Indulgentiae, quam Cardinalis Urbis Vicarius Sanctitatis suae jussu promulgaverat; ut Cardinales Pastoresque animarum omnes injuncta ob id onera perlegere possent et facilius cognoscere, unicuique ab Aula descendenti Caeremoniarum Magistri exemplar Notificationis obtulerunt papyro impressum, cui, cum dabatur Cardinalibus, alia insuper schedula, per quam color vestium in diebus jejuniorum adhibendus significabatur, addita erat: Quae ut commodius asservarentur, serica vitta coloris violacei circumligatae jam fuerant.

Fr. GIO. ANTONIO del Titolo de' SS. Silvestro e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di nostro Signore Vicario Generale. etc.

La Santità di Nostro Signore Papa BENEDETTO XIV. concede Indulgenza Plenaria e remissione di tutti i peccati a tutti i Fedeli Cristiani dell' uno e l' altro sesso, i quali digiuneranno Mercoledì Venerdì e Sabbato 15., 17., *e* 18., *del corrente mese di Giugno, e Confessati, e Communicati, visiteranno almeno una volta una delle due Basiliche di S. Giovanni Laterano, e di S. Pietro in Vaticano, o la Chiesa di S. Maria sopra Minerva in luogo di S. Maria Maggiore (impedita) mentre ne' seguenti descritti giorni vi sarà esposto il Santissimo* SAGRAMENTO, *e divotamente pregheranno la Divina Maestà, che ispiri Sua Beatitudine, e le assista nella grave deliberazione della Canonizazione de' Beati* FEDELE *da* SIGMARINGA *Martire dell' Ordine de' Capuccini,* CAMMILLO *de* LELLIS *Fondatore de' Cherici Regolari Ministri dell' Infermi,* PIETRO REGALATO *dell' Ordine de' Minori Osservanti,* GIUSEPPE *da* LEONESSA *parimente del suddetto Ordine de' Capuccini, e di* CATERINA RICCI *dell' Ordine Domenicano.*

Et a Regolari dell' uno e l' altro sesso, anche chiusi in perpetua Clausura et a tutti gli altri, tanto Laici, quanto Ecclesiastici, Secolari e Regolari, parimente dell' uno e l' altro sesso, esistenti in Carcere, o da qualche infermità corporale oppressi, che non potranno adempire le cose di sopra espresse, possa il Confessore commutarle in altre opere di pietà, et imporgli quelle cose, che i Penitenti potranno fare.

IL SANCTISSIMO SARA' ESPOSTO

Nella Basilica di S. Giovanni Laterano Domenica 19. *del corrente mese di Giugno sino a mezzo giorno del Martedì* 21. *detto.*

Nella Basilica di S. Pietro dalla mattina del Martedì 21. *detto, sino al mezzo giorno del Giovedì* 23. *detto.*

Nella Chiesa di S. Maria sopra Minerva dalla mattina del detto Giovedì 23. *fino al mezzo giorno del Sabbato* 25. *detto,*

Dato in Roma dalla nostra solita Residenza li 8. *Giugno* 1746.

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gaspero Arciprete Ori Segretario.

EMINENTISSIMO E REVERENDISSIMO SIGNORE

NEI *tre prescritti giorni di digiuno, cioè: Mercoledì* 15., *Venerdì* 17., *e Sabbato* 18. *del corrente mese di Giugno, a riserba del primo*

giorno Mercoledì, che per esser entro l' Ottava del Corpus Domini sarà eccettuato, e vestirà degl' abiti Cardinalizj di color rosso, negl' altri due giorni poi parimenti determinati per il digiuno si osserverà la prescritta generale regola del colore intorno agl' abiti Cardinalizj ed userà tanto in Casa, che fuori quello di color Pavonazzo.

Qui praepediti ex S. R. E. Cardinalibus, vel Praesulibus Ecclesiarum a Consistorio abfuere, licet in Urbe commorarentur, Summi Pontificis jussu sententiam propriam scriptam Sacrae Rituum Congregationis Secretario, ut in ejus Tabulario perpetuo una cum aliis extaret, quisque transmisit; singulae hic itidem adjiciuntur ad gestorum complementum.

THOMAS Episcopus Ostien. et Veliternen. Sacri Collegii Decanus Vice-Cancellarius Cardinalis Rufus.

Illustris et gloriosa militia fuit beati Fidelis a Sigmaringa vita super terram. Docente enim Domino, manus ejus ad praelium praetervexit inculpate florentis aevi annos, devictoque Mundo dedit venerabili Capuccinorum Ordini nomen; in quo ad regulae nutum sese exactissime componendo, humilitatis viam terendo, laboriosiora subeundo, ceterasque virtutes exercendo, facem omnibus praeferebat. Jamque magis Seraphico igne invalescens, erubescebat sub cruentato capite expertem doloris et sanguinis vitam agere, sitiebatque proinde ad mortem pro Christo cruentari. Nec mora: Vix accedente Summi Pontificis mandato, Fidelis, indutus virtute ex alto, Rhaetiorum fines prompte ingreditur: Haereses ibi et vitia verbo, exemplo, industria primus adoritur; per aspera quaeque, per abrupta, per nivosa montium juga pedes incedens omnia oculis, animoque lustrat, ut omnes Sanctae Romanae Ecclesiae lucrifaciat: Tandem in catholicae Doctrinae odium plurimis vulneribus transfossus, totidem veluti palmis onustus, victor occumbit. Qui igitur vita, morte et miraculis accuratissime expensis, prodigium factus est multis, fiet omnibus adjutor fortis, si invictum Christi Athletam Fidelem a Sigmaringa cunctis fidelibus pia imitatione colendum precibusque exorandum SANCTITAS VESTRA solemni ritu proponere dignabitur.

ANNIBAL Episcopus Portuensis Cardinalis Albanus Sancti Clementis nuncupatus.

Beatus Fidelis a Sigmaringa, SANCTISSIME PATER, Vir fuit oppido doctus, nec tantum exoticarum linguarum peritia, verum etiam utriusque juris scientia, itemque Philosophicis ac Theologicis studiis eruditus. Christiana tamen virtute evasit illustrior. Religiosumque Minorum Capuccinorum Institutum professus omnibus numeris et partibus eximiam Sanctitatem praesetulit. Humilitate, abstinentia, corporis afflictatione, sui ipsius contemptu, atque operosa in Deum ac Proximum charitate potissime praestitit. Ad aliorum procurandam salutem Apostolicae Missionis addictus ministerio, verbo et exemplo multos ad orthodoxam Religionem et veritatis viam, longe vero plures ad bonam frugem adduxit. Dilatandae catholicae Fidei studio flagravit quam maxime, ejusque incrementa non una via provehens, in Rhaetia, invicta ac digna Apostolico pectore fortitudine Martyr occubuit. Multis subinde miraculis Servi sui gloriam Deus ostendit, quae una cum heroicis ipsius virtutibus; quoniam Beatitudini Tuae probe explorata atque e ritu comperta sunt, dignus profecto B. Fidelis censetur, qui Sanctorum Catalogum augeat. Hoc, BEATISSIME PATER, complures catholici Orbis Populi cum suis Episcopis, hoc viri Principes, hoc sacra Congregatio de Fide Propaganda enixe postulant; hoc item ego demisse flagito.

VINCENTIUS Episcopus Praenestinus Cardinalis Petra Major Poenitentiarius.

Magnum profecto ac singulare decus Instituti Minorum Capuccinorum fuit beatus Fidelis a Sigmaringa. Etenim literarum studiis ac pietati in seculo diligenter incubuit, in eum deinde Ordinem cooptatus, nihil potius habuit, quam ut humilitatem, obedientiam, paupertatem, morum castitatem, Religionem

erga Deum, Deiparam Virginem Sanctosque studiosissime coleret. In eo adhuc juvene tanta fuit et admirabilis doctrina, virtus, prudentia quoque ac zelus, ut Sacerdotio vix initiatus, confessiones Fidelium audire, et conciones habere coactus fuerit. Incredibile dictu est, quot ille peccatores ad poenitentiam, quot haereticos ad veram Religionem colendam induxerit. Dubitandum diu non fuit, quin inter ceteros Religiosos a vigili cura Sacrae Congregationis de Propaganda Fide in Rhaetiam mittendos ad animarum culturam et conversionem, Fideli praecipue in eo munere obeundo partes darentur. Non imbribus, non fame, non siti, non frigore, non aliis denique doloribus et laboribus deterreri ab incoepto potuit, sed fretus Dei auxilio magnum incolarum numerum Ecclesiae orthodoxae restituit, qua de re saevissimorum hominum scelere interfectus, martyrii palmam est consequutus. Quare cum primus omnium sanguine suo foecundaverit agrum Sacrae eidem Congregationi de Propaganda Fide commissum, ac primus corona martyrii fuerit redimitus; nedum dignum reputo, qui Sanctorum Fastis adscribatur, sed ego munus sustinens Praefecti ejusdem Sac. Consessus, suppliciter etiam exoro, ut patronus praecipuus B. Fidelis a Sigmaringa Apostolicis Missionibus apud Deum dignetur adesse.

PETRUS ALOYSIUS Episcopus Albanensis Cardinalis Carafa.

EXPLORATA res est, quod (a) *Sanguis Martyrum semen est Christianorum*: interest propterea quam maxime, tum catholicae Ecclesiae, tum vero Congregationi, quae Propagandae Fidei praesidet, cui me glorior adscriptum, ut beatus Fidelis a Sigmaringa vindicatis Martyribus adnumeretur. Ipse siquidem, cum esset omnibus religiosae vitae virtutibus insignis, primus fuit ex iis, qui ab ipsa Sacra Congregatione ad fidei damna reparanda, et ad haereses extirpandas missus totus incubuit, Haereticis convertendis, haeresibus profligandis, pravis dogmatibus convellendis, et deviis ad fidei unitatem reducendis: Idque Deo adspirante consecutus est, plurium annorum labore Concionibus flagrantissimis, imperterrito animi robore ac tandem proprii sanguinis effusione. Ut itaque sanguis ab ipso effusus possit esse uberrimum Catholicorum semen in iis praesertim Regionibus, in quibus etiamnum haereses vigent, maxime opportunum existimo, si hujus sanctae Sedis Oraculo, consummati Martyris gloria beato Fideli vindicetur.

JOSEPHUS Episcopus Tusculanus Cardinalis Accorambonus.

ALTISSIMUM perfectionis culmen, ad quod beatus Fidelis jugiter properavit, et propagandae catholicae Religionis zelus, quem magnis sublatis periculis cum praeclara animi fortitudine ad martyrium usque servavit, sacrarum paginarum eloquium: *esto fidelis usque ad mortem*, *et accipies coronam vitae*; exactissime in eo impletum esse demonstrant. Ut igitur tantis laboribus debitus fructus respondeat, justissimum censeo, si praeclarissimo Sancti titulo et cultu a SANCTITATE VESTRA decoretur.

VINCENTIUS Episcopus Sabinensis Cardinalis Bichius.

TRIUMPHUM et martyrium sancti Petri Martyris in seculo decimo tertio patratum, vere renovavit in seculo decimoseptimo beatus Fidelis a Sigmaringa Sacerdos Professus Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupati, et Congregationis de Propaganda Fide Missionarius, qui fervens amator Fidei, cultor praecipuus et Propugnator ardentior, ut ea quae de catholica Fide Haereticis verbo praedicabat, firmaret exemplo, ac de pugna tam strenua specialem Palmam reportaret, non timuit mortem sibi in odium catholicae Fidei paratam praecognitam atque illatam per cruciatus et vulnera laetanter subire; sic Martyr Christi et Protomartyr Congregationis de Propaganda Fide gloriose constitutus. Ad hujus Beati memoriam erubescant fallaces Haeretici, et impudentes frontes de-

(a) *Tertullianus in fine Apologetici.*

cidant jam confusae, cum ille, cujus veracem instructionem et salutaria monita renuebant, cuique mortis intulere supplicium, in Caelo jam regnet inter agmina Beatorum. Convenit itaque, ut quem Dominus in Caelo magnificat, Mundus colat.

NICOLAUS Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Lercarius.

CATHOLICA universalis Ecclesia postulat, ut beatus Fidelis a Sigmaringa, qui non modo opere et sermone, sed sanguine suo in odium orthodoxae fidei interemptus de ejus veritate constantissimum praebuit testimonium, Sanctorum Fastis adscribatur: Ipse vere fidelis fuit usque ad mortem, et sicuti in Caelis accepit coronam vitae, ita sacris Altarium honoribus martyrii palma decoratus, ac miraculis clarus universalem catholicae Ecclesiae venerationem promeretur.

RAPHAEL Cosimus Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis de Hieronymis.

BEATISSIME PATER. Redolet Germania fragrantia et virtute signorum, quae per merita illius beati Viri Fidelis a Sigmaringa quondam Sacerdotis Professi Ordinis Capuccinorum omnipotens Dominus operatur, et universa laetatur fidelium christiana Religio pro eo, quod ille qui est mirabilis et gloriosus in Sanctis, Sanctum suum post mortem clarificavit, cujus vita laudabilis multa fulsit gloria meritorum, et tandem martyrio consummata est glorioso. Quamvis autem de sanctitate ipsius dubitare non possit, qui ejus vitam et laudabilem conversationem attendit, gloriosamque considerat passionem, voluit tamen Salvator noster ejus sanctitatis insignia magnificis irradiare miraculis, ut qui pro Christo insuperabilis virtutis constantia necessitates et pericula pertulit, sui laboris et certaminis in aeterna beatitudine cognoscatur ab omnibus percepisse triumphum. Eum itaque si SANCTITAS VESTRA pro Apostolatus sui munere sanctorum Martyrum Fastis adscribere dignabitur, id Ecclesiae decori futurum arbitror ac incremento.

ANTONIUS Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.

ADIMPLEO ea, quae desunt passionum Christi, inquit Apostolus: BEATISSIME PATER, adimplevit sane in omnibus viis suis Jesu Christi Coadjutor B. Fidelis a Sigmaringa; in seculo vivens per illibatam innocentiae custodiam; in sortem Domini vocatus per exactam suae religionis disciplinae observantiam, ut vel provectioribus exemplo praeluceret: Apostolicum munus apud Rhaetos exercens eximiis charitatis officiis et ardentissimo zelo dilatandae custodiendaeque fidei. Quemadmodum enim super fundamentum, quod Christus est, superaedificavit, non lignum, non foenum, non stipulam, sed argentum, aurum, lapidesque pretiosos heroicarum virtutum, quas proprio sanguine consecravit et illustravit: Ita aequum est, ut summis Ecclesiae honoribus decoretur is, qui corona aurea a Christo Domino in Caelis jam donatus est.

CAROLUS Tit. S. Mariae de Ara-Caeli Presbyter Cardinalis Calcagninus.

BEATUS Fidelis a Sigmaringa egregius fuit Christi miles, cujus praeclara gesta ab omnibus Christifidelibus imitanda sunt. Adolescens mira innocentia ac pietate ornatus omnibus Christianae virtutis ac vitae austerioris exemplis admirabilis fuit. Religionem Minorum Capuccinorum amplexus tantum inde virtutis incrementum fecit, ut arctioris disciplinae imaginem referens, ceteris Religiosae perfectionis cupidis miraculum esset et exemplar: Nihil ei fuit arduum, quia patiens, nihil asperum, quia humilis; in oratione assiduus, in opere sollicitus, durus ad labores, fortis ad pericula, illecebris invictus, charitate flagrans, afflictis et moerentibus solamen; denique omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret: Verum ejus virtus intuenda contra haereticos catholica Religione maxime enituit, tantoque dilatandae fidei ardore incensus fuit, ut pro ea asperrima quaeque magna animi alacritate toleraret, ac mortem subire optaret ardenter. Voti tandem compos effectus animam suam pro Christo invicta con-

stantia ponens totum effudit sanguinem, ac nomen Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Protomartyris jure merito est adeptus: Quae omnia D. O. M. pluribus confirmavit miraculis ab ipso patratis tam in vita, quam post mortem; et post publicatum Beatificationis Decretum: Ne igitur tantus Christi Miles diutius sub modio delitescat, tot probitatis insignia, tot coruscantia miracula petunt et exposcunt, ut adnumeretur in Sanctorum numerum, sic decernente SANCTITATE VESTRA in commune Christiani Orbis bonum ac in sanctae Matris Ecclesiae laetitiam.

PHILIPPUS MARIA Tit. S. Agnetis extra moenia Presbyter Cardinalis de Montibus.

BEATUM Fidelem a Sigmaringa divinae beneficentiae charismatibus emicuisse facile mihi persuadeo satis constare. Ille enim suscepto sacro aeque ac pauperrimo Instituto ad Evangelicae perfectionis bravium anhelans, cum a Sacra Congregatione de Propaganda Fide adscitus esset inter primos Operarios suos, Apostolici ministerii partibus obeundis in Rhaetia totus intentus plures heterodoxos erutos de potestate tenebrarum transtulit in Regnum filiorum Dei: atque ob sanctissima ad sartam tectamque catholicam Religionem servandam statuta, infracta animi constantia publicis concionibus propugnata ab haereticis confossus, consummato glorioso pro Christi fide certamine, charitatis victima consecrari promeruit. Hunc itaque invictissimum Christi Athletam in Album SS. Martyrum merito jureque optimo credimus recensendum praecipue, ut sacris Missionariis per totum Orbem ab eadem Sacra Congregatione de Propaganda Fide adlectis praesidium sit et eximiae charitatis exemplar.

HIERONYMUS S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.

SIGNA *Apostolatus* beati Fidelis a Sigmaringa facta fuisse, BEATISSIME PATER, *in omni patientia, in prodigiis et in virtutibus* nemo dubitaverit, qui paulo attentius expenderit sanctissima ejus Gesta, quibus et Dei gloriam et Ecclesiae fidem mirifice illustravit spectaculum factus Christo, Angelis, et hominibus. Omnia sane *detrimentum fecit propter Christum*, illi inhaerens per charitatem, *quae patiens est, quae benigna est, quae omnia suffert et sustinet*. Ac profecto omnia sustinuit, *cum non modo mortificationem Jesu in suo corpore circumferret, in vigiliis ac jejuniis multis*; sed et peccantibus ad purioris vitae tramitem revocandis, et Haereticis ad Fidem catholicam traducendis continuo insudaret Apostolicus Concionator in laboribus plurimis, *per arma justitiae a dextris et a sinistris*, nihil unquam veritus improborum fraudes, minas, contumelias, *neque animam suam faciens pretiosiorem quam se*, ad heroicarum virtutum normam sua omnia composuit. Sed quoniam B. Hieronymo teste, illud est verum testimonium, quod inimici ore profertur, nihil fuit quod aeque laudaverit Apostolicum Virum, quam Haereticorum furor, qui erroribus suis nimium metuebant, nisi B. Fidelem e vivis nece illata eripientes, tanto hoste haeresim liberarent. Hoc testimonium ut deessent cetera, satis esse debet, ut sanctorum Martyrum Catalogo accenseatur, *cujus fortis fuit ut mors dilectio*, imo supra ipsam mortem, quam victoria longe nobilissima debellavit.

JOANNES FRANCISCUS Stoppanus Archiepiscopus Corinthi Assistens.

DE sanctitate Servi Dei Fidelis a Sigmaringa, tam virtutibus in gradu heroico clare perspecta, quam signis luculenter comprobata satis abunde constat; proindeque ipsi sacro Canonizationis Ritu summos in Ecclesia honores decernendos dignum justumque videtur, attamen, si ab hac Apostolica Sede ita dijudicetur, peculiari providentiae Dei semper mirabilis in Sanctis suis tribuendum erit, quod de partibus Germaniae nuperis hisce temporibus, sicuti Joannes Nepomucenus sacramentali silentio, ita confessione verae fidei Fidelis a Sigmaringa gemini Christi Athletae in Sanctorum Albo sint relati cum ad augendam firmandamque catholicam fidem, tum ad evincendam ac refellendam haereticorum proterviam atque ad totius militantis Ecclesiae decus et praesidium.

JOSEPHUS MARIA Rufus Archiepiscopus Capuanus Assistens.

NIHIL in beato Fideli a Sigmaringa reperitur, quod non sit admiratione dignum, non sit commendatione dignius. Hic in Seraphici Patriarchae Francisci Familiam incunctanter admissus a Novitiorum Magistro, quasi prophetico afflato lumine audire meruit, *Et tu esto fidelis usque ad mortem, et accipies coronam vitae;* unde veterem expolialus hominem, novumque cum habitu Religionis indutus exultavit, ut gigas ad currendam Evangelicae perfectionis viam; statimque tot humilitatis, obedientiae, ac ferventissimae charitatis omniumque virtutum exempla praestitit, ut omnibus emeritae sanctitatis sociis praeluceret. Orationi adeo assiduus, ut nec diu noctuque invictum ab ea spiritum relaxaret; precationum vero suarum vota minime suus Pater caelestis frustratus est; nam cum haec duo semper peteret, scilicet vitam ab omni peccato immunem, fidemque suo sanguine confirmare, utriusque voti compos effectus est, quoniam non angustia, non fames, non nuditas, non periculum, non persecutio, non gladius, non altitudo, neque profundum, neque creatura potuerunt ipsum separare a charitate Dei, atque Athleta Christi fortissimus pro amplificanda catholica Religione martyrii palmam meruit obtinere: Quapropter cum SANCTITATIS VESTRÆ ineluctabili Decreto Servum Dei beatum Fidelem Albo Sanctorum rite adscribi posse pronuntiatum sit: Hoc ipsum fieri exopto, expedireque censeo, si SANCTITATIS SUÆ nutus accedat. Et ita etc.

Fr. ANTONINUS Camarda Episcopus Reatinus Assistens.

Exultat, BEATISSIME PATER, et merito quidem exultat, induitque vestimenta gloriae suae Sacra Propagandae Fidei Congregatio super inclyto suo strenuissimoque Protomartyre B. Fideli a Sigmaringa quem utpote Servum fidelem etiam in modico, constituit Dominus super multa, similemque ob sanctitatis excellentiam fecit in gloria Sanctorum, et praecipue in gloria D. Protomartyris Stephani, cum et ipse ad fidelem ejus imitationem plenus gratia et fortitudine fecerit prodigia et signa magna in populo, et charitatem pro armis habuerit, et per ipsam charitatem victoriam ubique feliciter obtinuerit. Per charitatem Dei saevientibus fidei hostibus non cessit. Per charitatem Proximi pro occisoribus intercessit. Unde stola immortalitatis indutus meretur, ut a SANCTITATE VESTRA solemni ritu connumeretur inter Agmina Sanctorum dealbatorum, qui laverunt stolas suas, et candidas fecerunt in sanguine Agni.

NICOLAUS Simoni Episcopus Marcianensis Assistens.

Vitam plenam laboris omnique virtutum genere ornatissimam catholicae Religioni amplificandae, et alienae saluti procurandae impendit tandem strenuus Christi Martyr Fidelis a Sigmaringa. Quare e re Religionis esse puto, ut Apostolica auctoritate maximis clarissimisque virtutibus repletum, miraculorum gratia illustrem ac beata messe meritorum divitem publicis precibus invocemus.

NICOLAUS Spinelli Episcopus Aversanus Assistens.

Coenobiticae disciplinae servandae ac constabiliendae studium, et admirabilis rerum divinarum commentatio, id effecere, ut beatus Fidelis a Sigmaringa Tironibus exemplo, Perfectis incitamento esset, ceterisque omnibus admiranda morum integritate, patientia, mansuetudine ac praesertim animi demissione ad veras christianasque virtutes comparandas praeluceret; saepissime improborum hominum divina humanaque miscentium conatibus compressis, ac furentis haereseos viribus profligatis. Quibus omnibus rite probatis ac singulatim ad trutinam revocatis censerem, dummodo supremum SANCTITATIS TUÆ judicium accedat, in Sanctorum numerum posse cooptari.

MARCUS ANTONIUS Amalphitanus Episcopus Ortonen. et Camplen. Assistens.

Beatissime Pater. Beatus Fidelis a Sigmaringa re et nomine fidelis Dei Servus et pru-

dens fuit; nam sparsis adhuc in hoc spinoso seculo virtutum omnium seminibus, admirabiles deinde in Sacra Capuccinorum Religione protulit fructus charitatis erga Deum et Proximum, patientiae, humilitatis, obedientiae, mortificationis, poenitentiae, paupertatis, ac heroicae sanctitatis Apostolicum Concionatoris munus sibi commissum tanto Religionis zelo exercuit, ut plures etiam perditissimos homines a peccatis ad poenitentiam, a vitiis ad virtutem revocarit. Fidem in Baptismo susceptam idem Fidelis servavit integram, illiusque propagator et fortis propugnator fuit. Permultos haereticos ad sinum Sanctae Romanae Ecclesiae reduxit. Haeresim grassantem jamque alicubi erumpentem summo studio curavit reprimere. In catholica fide promovenda adeo erat impavidus, ejusdemque fidei ardore tanto erat incensus, ut pro ea mortem subire optaret, jamque Haeretici iracundia furentes necem, quam ex insidiis paraverant, et paulo ante concionando sibi praedixerat, illi intulerunt. Per quae omnia et alia innumera virtutum incrementa a Deo miraculis comprobata, sicuti jam prius sanctae mem. Benedictus XIII. de Fideli Beatorum Fastis adscribendo Decretum emisit, ita ad apicem Canonizationis inter inclytos Martyres, si SANCTITATI VESTRAE placuerit, erit idem recensendus.

NICOLAUS Mancinforti Episcopus Anconitanus Assistens.

Beatus Fidelis a Sigmaringa in triplici vitae genere se admirabilem reddidit. In seculo enim doctrinam cum morum integritate conjunxit, in Claustro pietate erga Deum, charitate erga Proximum summopere enituit, in orthodoxae demum Religionis discrimine *pro lege Dei sui certavit usque ad mortem;* unde eximius Christi Athleta plurimis clarus miraculis dignus videtur, qui in Sanctorum numerum referatur.

D. PLACIDUS Pezzancheri Episcopus Tiburtinus Assistens.

Beatus Fidelis a Sigmaringa piissime exactis in seculo septem lustris, Institutum Minorum Capuccinorum amplexus, ivit de virtute in virtutem, liliisque virginitatis, quam summo studio coluit, rosas intexens martyrii, quod consummaturus cursum suum et ministerium verbi a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ipsi injunctum, primus omnium pugilum ejusdem Sacrae Congregationis invicto alacrique animo subiit duplici redimitus laureola. Caeli gaudiis fruitur; ut plura, quibus illustratur miracula probant, evincunt. Reliquum ergo est, ut SANCTITAS VESTRA, pro suprema qua pollet ligandi atque solvendi potestate, illum SS. Martyrum Fastis adscribat.

NICOLAUS XAVERIUS Santamaria Episcopus Cyrenensis Assistens.

Inter Operarios qui excolendam atque expurgandam a noxiis haeresum vepribus vineam Domini in Rhaetia, jussu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide susceperant, B. Fidelis a Sigmaringa Sacerdos Capuccinus primus eam proprio sanguine foecundavit; enixis ejus precibus exauditis a Deo, quibus assidue postulaverat, ut vitam ab omni peccato immunem traduceret, fidemque catholicam suo sanguine confirmaret. Mortem autem quam in odium ejusdem fidei vicinam praesenserat, non inermis et nudus, sed protectione corporis et sanguinis Christi munitus subiit; et ad nostri Salvatoris exemplum non repugnando, immo pro hostibus orando, tanquam unus de dominicarum ovium grege laniari se ab haereticis, velut ab irruentibus lupis passus est. Si Martyrem, ut S. Augustinus docuit, non facit poena, sed causa, B. Fidelis, qui cum causa poenam conjunxit, quare Martyris nomine et honore privabitur? Pium igitur et justum videtur B. Fidelem, cujus veri martyrii consummatio, et gloria in Caelis adepta quasi digito manifestatur, contestante eam Deo signis et portentis, inter Martyres vindicatos Apostolico Oraculo adscribere, ut magis magisque confundatur haereticorum perversitas, et divina Catholicorum fides augeatur.

BERNARDUS ANTONIUS Pizzella Episcopus Constantiae Assistens.

Quae duo prae ceteris sibi proponit Alma Mater Ecclesia, ut quis de christiana Religione optime meritus in Sanctorum numerum rite cooptetur, virtutum scilicet heroica exercitatio et miraculorum probata veritas, duo haec sunt satis explorata de beato Fideli a Sigmaringa Ordinis S. Francisci Capuccinorum Alumno; etenim vitae integritatem, regularis disciplinae observantiam, aliasque virtutes, potissimum vero singularem in Deum et Proximum charitatem ac fidei zelum coluit mirabiliter, ex quo martyrii palmam meruit obtinere. Virtutibus insuper miracula composuit. Superest igitur ut nobilis Christi Athleta sanctorum Martyrum triumpho donetur in terris, qui gloriosus exultat in Caelis.

HYACINTHUS de Silvestris Episcopus Nepesinus et Sutrinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Beatum Fidelem a Sigmaringa cum infensissimis christianae Reipublicae hostibus adeo acriter decertantem olim spectavit Rhaetia, ut certaminis sui praemium ab ipso jamdiu expetitum, mortem atrocissimam sit consecutus. Gratulabatur profecto sibi S. M. Ecclesia, dum Heroem hunc vetustissimorum Martyrum asseclam atque imitatorem intueretur: At nimium doleret, si ejus martyrio rite jam comprobato debita martyrii merces non responderet. Sentiat igitur Orbis universus lucis hujus contemptoribus animis, Martyribusque fortissimis etiam nunc Ecclesiam catholicam illustrari; debitusque honor ei rependatur, qui tantam laudem vitaque et sanguine bene emi posse arbitratus est.

FRANCISCUS ANTONIUS Spadea Episcopus Aquinas et Fregellanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Tanta in B. Fideli a Sigmaringa Ordinis Capuccinorum Alumno exuberant verae sanctitatis argumenta, ut etiamsi deficeret causa martyrii, ad illum in Sanctorum Album deferendum abunde sufficerent. Inter seculi curas mirum quam innocenter juste et pie vitam traduxerit. Regulare Institutum amplexus, statim apparuit perfectionis metam attigisse jampridem, nemoque illo in omnium virtutum genere sub abjectione, corporis afflictatione, obedientia fuit et paupertate praestantior. Ad Apostolici Missionarii munus vocatus, directusque in Rhaetiae Provinciam plurimum haeresi infectam, quisnam explicare valeat Viri Dei studium dilatandi catholicam fidem, haereticos ad Ecclesiae sinum revocandi? Quisnam attingere queat quo zelo, quo fervore, quo spiritu et fortitudine immensos exantlavit labores, tot incommoda et pericula vitae subierit, ut zizania quae inimicus superseminaverat homo, convelleret, et vera Christi dogmata complantaret? re et nomine vere fidelis, fidelis servus et prudens; fidelis usque ad mortem, qua bonum certamen certavit, cursumque fideliter consummavit, ideo palmam et coronam tamdiu concupitam meruit obtinere martyrii. Reliquum est, BEATISSIME PATER, ut sicut a Deo miraculis rite probatis testatam accepimus, Servi sui gloriam perennem in Caelis, sic dignum et justum est, ut SANCTITAS VESTRA Canonizationis ejus triumphum illi decernat in terris, ut haeresis ipsa, quam impie prostravit, victorem agnoscat, et quantum gloriae Fideli illata nece contulerit, et confundatur. Ut Rhaetiae populi ejus intuentes exitum et gloriam imitentur et fidem: ut inclytus Capuccinorum Ordo tanto excelsi sui filii congaudeat honore: Ut sacri ejusdem apostolici ministerii Consortes ex eo zeli ac fortitudinis exempla desumant; ac tandem ut sacra Propagandae Fidei purpuratorum Patrum Congregatio hoc suo Protomartyre glorietur.

HIPPOLITUS e Rubeis Sancti Secundi Episcopus Senogalliensis Assistens.

DEI Servi re et nomine Fidelis a Sigmaringa mores plane Angelici, et Apostolici labores: Vis praesertim atque animi ardor in vitiis luxus, superbiae, et luxuriae insectandis: Zelus inexplebilis animarum adversus helveticam haeresim, imperterrita denique fortitudo atque constantia admirabilis, Chirographo necis sibi paratae e suggestu cons-

pecto, crebra quoque inter vulnera sibi a nefariis satellitibus in odium orthodoxae fidei usque ad interitum illata; tot ac tantae virtutes, quibus insignis gloria miraculorum accedit, maxime suadent ejusmodi Viro, jam Beatorum Fastis adscripto, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide strenuo Protomartyri novam sanctitatis coronam per irrefragabile Pontificium Oraculum esse decernendam.

POMPEJUS Compagnoni Episcopus Auximanus et Cingulanus.

QUOD ait Joannes Chrysostomus adesse clementissimum Deum, qui desiderantibus suis martyrium praebeat; id ego, BEATISSIME PATER, in beato Fideli feliciter contigisse video, hoc ipsum scilicet enixis precibus dum viveret, postulare solito, ut catholicam fidem suo sanguine confirmaret. Quum igitur et ipse tanti muneris dignitati per bona opera sese idoneum praestiterit, et Deus Opt. Max. vel in ipsa quodammodo Ecclesiae pace eum sibi Martyrem designaverit; aequum esse censeo secundum ea quae proponuntur, ut solemni ritu ab Ecclesia quoque vindicetur.

LUDOVICUS Savageri Episcopus Tempensis.

BEATUM Fidelem a Sigmaringa gloria et honore coronatum, in caelesti Patria versari, certiores Nos faciunt, BEATISSIME PATER, quas vel ab ipsa adolescentia excoluit virtutes, jejunia, flagella, studiumque illud, quo suscepto Capuccinorum Instituto corpus in spiritus servitutem redegit, quos pro fide tuenda et amplianda suscepit labores, invicta in perferendis cruciatibus patientia, cui Paulo teste *paratae sunt repromissiones*, et summa illa charitas, qua mirabili quadam animi alacritate pro orthodoxa fide martyrium subiit, atque tot miracula confirmant, quibus eum Deus glorificavit. Itaque non dubito, quin eo cultu ac publica illa veneratione sit dignus, qua Ecclesia reliquos prosequitur Sanctos. Nunc vero ut infallibili auctoritate tua decernatur, expedire omnino videtur: Rogat enim supplex Capuccinorum Familia, petunt fideles, postulant Eminentissimi de Propaganda Fide Cardinales, instant Principes, eget Ecclesia infelici hac nostra aetate novo hocce orthodoxae fidei vindice ac defensore.

ANTONIUS Franci Episcopus Crassett.

BEATUS Fidelis a Sigmaringa sacrae Franciscanae Familiae Alumnus, in ipso Religionis limine raro humilitatis et obedientiae exemplo, futurae sanctitati praelusit. Hinc caelestis vivendi ratio Tirocinii laudes et merita excepit et longius excessit: Nam charitate fervens, precibus assiduus, asperitatibus invictus, Seraphici candoris aemulator, virtutum omnium cultor eximius Deo propior, quam homini visus est. Catholicae demum fidei tutandae augendaeque ardentissimum desiderium cruentus testis, et Martyr gloriosus exhibuit. Quapropter cum SANCTITATIS VESTRÆ ineluctabili Decreto Servum Dei beatum Fidelem Albo Sanctorum rite adscribi posse firmatum sit: Hoc ipsum fieri oportere censeo, si SANCTITATIS SUÆ nutus accedat. Et ita etc.

JOSEPH Rossi Episcopus Venafranus.

LEGITIME qui certavit, BEATISSIME PATER, fidelis usque ad mortem coronam justitiae a Domino in Caelis jam accepit, dignus propterea est, cui et condigni decernantur honores in terris. Fidelis a Sigmaringa Seraphici Capuccinorum Ordinis est Servus ille bonus et fidelis, qui missus in vineam Domini a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, illam proprio sanguine foecundavit: Inter praedicandum namque aggressus, tamdiu ensibus ferratisque fustibus fuit caesus, ut felix et pretiosa in conspectu Domini victima fuerit immolatus. Defecerunt porro impiorum iniquitates in verbis, quae suggesto inscripserant: *Hodie praedicabis et non amplius*: Vox enim tanti Martyris clamavit ad Dominum, et exaudita fuit, dum Austriacis signa conferentibus cum rebellibus Haereticis copiis praesto fuit, et divino lumine circumfusus terruit, et in fugam rebellium Ducem vertit: Gaudeat igitur sancta Mater Ecclesia Sanctum venerari, quem Deus fidei quasi propugnaculum constituit.

INNOCENTIUS Gorgoni Episcopus Pinnensis et Hadriensis.

BEATUS Fidelis a Sigmaringa primis annis christianas virtutes excolere incepit: Capuccinorum deinde suscepto Instituto, severiori vitae genere et superno quodam ac eximio salvandarum animarum desiderio excelluit, eaque charitate, qua major sub Caelo dari non potest, succensus pro orthodoxa servanda et propaganda Fide, plurimis exantlatis laboribus, ac vario tormentorum genere ab heterodoxis vexatus Martyr occubuit, eumque cum in vita, tum post mortem multis Deus miraculis condecoravit; quam ob rem Sanctorum Fastis, si SANCTITATI TUÆ videatur, adscribendum esse censeo.

Morem antiquitus traditum, ut hac de causa publico fidelium cultui proponatur in Patriarchalibus Basilicis Eucharisticum Sacramentum, intermitti Pontifex passus non est; sed Ecclesiam S. Mariae supra Minervam substituit in locum Basilicae S. Mariae ad Praesepe operariis caementisque quamplurimis impeditae: Cum enim Sanctissimus Pater decorem domus Dei diligens, meridionali latere ad communes Canonicorum aedes excitato, Porticu et Fronte a fundamentis erecta et quatuor Sanctorum Praedecessorum suorum Sixti et Gregorii III., Paschalis I. ac Pii V. de Liberiano Templo optime meritorum, duorum item Archipresbyterorum Cardinalium sancti Caroli Borromaei, et beati Nicolai Albergati signis ornata, ampliato complanatoque Foro, Basilicam hanc tribus ab hinc annis exterius nobilitasset; eamdem modo interius tam mirifice sarcit ac renovat, ut quidquid ceteri contulerunt ad ejus elegantiam et amplitudinem, id unus complexus BENEDICTUS sit, longeque superaverit.

Potiora tanti Principis beneficia hoc duplici inscripto marmore testati hactenus Canonici sunt.

BENEDICTUS XIV. PONT. MAX.
LIBERIANI TEMPLI FRONTEM AC PORTICUM
IN HANC AMPLITUDINEM EXCITAVIT
ANNO MDCCXLIII. PONT. SUI III.

BENEDICTO XIV. PONT. MAX.
QUOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS
LIBERIANÆ BASILICÆ FRONTEM
A FUNDAMENTIS EREXERIT
IMPOSITIS SIGNIS ORNAVERIT
LABENTEM PORTICUM RESTITUERIT
COMMUNES CANONICORUM ÆDES
A SOLO EXCITAVERIT
EXTERIORES GRADUS
AD AVERSAM ABSIDIS PARTEM REPARAVERIT
TECTUM VETUSTATE CORRUPTUM REFECERIT
CAPITULUM ET CANONICI MUNIFICENTISSIMO PRINCIPI
P. P.

Eadem die 8. Junii pomeridianis horis celebratae sunt ex more primae Vesperae solemnitatis Corporis Christi in Sacello Paulino Palatii Apostolici Quirinalis. Adstitit Papa in Solio paramentis albis pretiosis indutus, qui post manus osculum a Cardinalibus acceptum, illas praecinuit: Thure imposito adolevit Aram; orationem recitavit, et Pontificalem Benedictionem impertivit in fine. Eminentissimi Patres cappis purpureis usi sunt; Praesules vero cum Assistentes, tum non Assistentes, quorum numerus solito frequentior fuit, ceterique locum habentes in Cappella consuetis proprii Ordinis insigniis amicti interfuere.

Apud Vaticanum interea viarum, per quas

mane postridie procedendum ritu supplici erat, eam quisque partem, quae aequabiliter sibi obtigerat, Cardinales Romae commorantes ornandam curaverunt aulaeis, picturis, et sertis virentibus. Ut tamen inspicerent, parata ne essent omnia, aut quidpiam, quod minus deceret, in Stromatum figuris esset, easdem vias equitando circumivere R. P. D. Marcus Antonius Columna Protonotarius de numero Participantium Patrui loco, dum tali se munere is abdicaverit, designatus Apostolici Palatii Praefectus: Marchio Joannes Patritius, Marchionis Alexandri Capponi Florerii Majoris cum jure successionis Coadjutor, et D. Franciscus Diversini unus ex Caeremoniarum Pontificiarum Moderatoribus; omnes quotidiano habitu amicti, et manu Militum Helvetiorum stipati. Eos pari linea incedentes prosequebantur consueta soldana lanea violacei coloris induti Cubicularii ad fores, quas *Bussulam* vocant: Cubicularii extra Cameram, et Scutiferi Papae bini incedentes inter equitandum. Praeibant vero Helvetiae Cohortis Dux, ac quatuor Inservientes armorum, quos *Mazzieri* appellamus, cum argenteis clavis et ipsi equis insidentes.

Post vesperas Sanctissimus D. N. paucis dumtaxat ex suis familiaribus eum comitantibus e Quirinali perrexit ad Palatium in Vaticano, ut ibi ea nocte quiesceret. Postero die per interiorem scalam Apostolico Sacrario contiguam mane descendens, venit in Sixti IV. Sacellum, ubi genuflexus super faldistorium, consuetam antiphonam: *Ne reminiscaris* cum Psalmis, ℣℣. et Orationibus, ut se pararet ad Missam, quam deinde sine cantu celebravit, privatim perlegit. Completo Sacrificio, Sacramentum a se confectum et intra pretiosam custodiam clausum supra Thalamum compositus, et a Parafrenariis sago rubro indutis in altum elatus, detulit per stata Processionis loca usque ad Aram maximam Basilicae Vaticanae, ex qua post iteratam Sacramenti thurificationem, et post recitatam diei Festi collectam eodem Sanctissimo Sacramento ter Crucem signans Populo benedixit; sacrisque vestibus depositis ad superiora cubicula remeavit.

Compendiaria narratione haec pauca de summo Ecclesiae Capite leviter attigimus: Cetera, quae ejus diei solemnitatem respiciunt, nemo est, qui ignoret, cum facile unicuique sit, singulis annis id ipsum oculis intueri. Supervacuum propterea visum est, aut tot Cleri utriusque turmas referre sub Crucis vexillo gradientes summa gravitate ac modestia, aut multitudinem pene infinitam hominum, qui vacabilia officia obtinent (Ea vero Tituli quidam sunt, qui cum quibusdam redditibus, unde hi profluunt, ita coemuntur a Camera Apostolica, ut utrique cessent Emptoris morte, nec haeredem sequantur) aut Cancellariae Datariaeque variis muneribus addictorum, qui quaterni cum quadrilibribus singuli facibus procedebant juxta ordinem et praecedentiam a san. mem. Gregorio XIII. jamdudum praefinitam.

Omittenda pariter est sedula Cardinalis Proto-Diaconi cura apud Apostolici Palatii Portam cum baculo in signum jurisdictionis una cum Gubernatore Urbis Vice-Camerario, et ejusdem Palatii Praefecto ad supplicationem instruendam assidentis: Nec recensendi hoc loco Scutiferi, Procuratores Ordinum, Cubicularii tam extra Cameram, quam Honorarii et Intimi cum intortitiis procedentes; duobus autem his novissimis coetibus praeeuntes Cappellani cum Mitris; quamquam, ut aliqua de his rebus mentio fieret, petere videretur nupera Sanctitatis Suae Constitutio, quae Consistorialis Aulae Advocatis praeter alia ejus Collegii privilegia vel confirmata, vel aucta, digniorem praeterea in Cappella et in Processionibus supra ipsosmet Intimos Cappellanos Pontificis locum assignat; ita ut non amplius humi in conspectu Pontificii Throni, sed in scamnulo post Cubicularios Intimos, et Honorarios modo assideant, eosque inter eundum immediate praecedant. Reliquum esset potius de nobiliori supplicationis hujus parte, in qua Antistites amplius octoginta totque augustissimi Sacerdotii Senatores eminebant, aliquid dicere: Erat id quidem documentum christianae magnificentiae et pietatis sane praeclarum, et quod nusquam alibi spectari possit quam Romae. Sed ab aliis omnibus, quae movere eos poterant, aversi quot aderant in summum dumtaxat Pontificem BENEDICTUM intenderant oculos, qui Sacerdos Populi sui a Deo constitutus, in tempore pre-

cantes manus protendebat ad Sacerdotem in aeternum Christum Dominum, quem sub specie panis velatum genuflexus in Thalamo portabat, ex oris ac totius corporis habitu, ut ambigi merito ab omnibus posset, majestatem ne magis optimi Principis, an religionem mirarentur.

Hastas Umbellae, quae supra sacramentum et Papam obtendebantur, mutatis ex condicto vicibus detulerunt primo Referendarii, secundo et quarto Equites S. Petri, tertio Magistri viarum, quinto Senenses, postremo ante ingressum Basilicae, quoniam Senator Urbis aberat, ad quem pertinuisset primam hastam deferre, Conservatores Urbis, una cum Oratore Bononiae, et Capitolinae Curiae Judicibus: Cui quidem Oratori pridem indulserat Pontifex, ut Senatoriae, qua patrio more utitur, vesti antea prorsus nigrae fascias posset aureas superaddere; hac tamen cautione, ut eam adhiberet in solemnioribus dumtaxat functionibus, et praecise tunc, quando aureas quoque togas induunt praedicti Romani Populi Conservatores, ut eo die factum est.

Ad quatuor Baldacchini angulos incedebant a latere totidem Clerici Ceroferarii Cappellae Pontificiae singuli singulas Laternas argenteas hastis praefixas gestantes; cum enim quae deferri solent lumina, etsi copiosa, in aperto sint, eaque non raro, vento aut pluvia superveniente extinguantur, ne quid tale contingeret, quod debitam tanto Sacramento venerationem aliqua ex parte minueret; visum fuit Benedicto Papae XIII. perenni memoria dignissimo statuere in Concilio Romano (a), ut in posterum tam in hac, quam in alia, quae haberi opus fuerit, Sanctissimi Corporis Christi Processione quatuor saltem hastis praefixae Laternae cum candelis intus semper accensis hinc inde portarentur prope Sacerdotem, qui Sacramentum defert: Quam institutionem Pontificia Cappella, ut ceteris esset exemplo, statim amplexa est, et ad hanc diem servat diligenter.

Hac lege lata praedictus Pontifex institit Praedecessorum suorum vestigiis, qui tantopere in Festi hujus diei recolenda memoria semper excelluerunt; ut nihil, quo ad augendum Eucharistici Sacramenti externum cultum conduceret, nihil, quod ad Christiani populi pietatem erga illud promovendam valere posset, unquam neglexerit: Urbanus enim Papa Sextus edixit, ut in locis etiam, ubi interdictum sacris esset, liceret die Festo Corporis Christi, (quam celebritatem Urbanus IV. jampridem instituerat) rem divinam facere apertis januis. Cum autem per ea tempora nondum tam late invaluisset consuetudo, quae ubique recepta modo est, palam deferendae per vias Eucharistiae; sed in Ecclesiis duntaxat adoranda proponeretur tempore divinorum Officiorum; Martinus V. centum dies singulis annis de injunctis poenitentiis benigne iis relaxavit, qui die Festo Corporis Christi, cum vivificum hoc Sacramentum deferretur publice, Processionem comitarentur. Ac Nicolaus quidem V. omnium primus inter Pontifices Romae pedibus gradiens publice per vias Sacramentum detulit in ipsius Festo, ut de eo testatur in suis Diariis Stephanus Infessura anno 1447. die 8. Junii.

« Lo dì del Corpo di Cristo Papa Niccolò V. fece la Processione in San Pietro, e portò lui con le sue mani lo Corpo di Cristo da S. Pietro fino a Porta Castello, e andarono tutti li Cardinali, Arcivescovi, e Vescovi, e tutte le Chiese di Roma, e andonne a vedere tutto lo popolo; perchè da qui innanzi mai fu veduta simile cerimonia, che alli dì nostri. »

Novum autem Leone X. Apostolicum Clavum tenente, Sacer hic procedendi ritus incrementum accepit; quamplures enim ex eo tempore Pontifices, licet intermissa serie, cum nonnulli pedibus voluerint incedere, Ministrorum humeris subvecti, atque in sublimi sella ad dignitatem supremi Magisterii sui ostendendam compositi, custodiam cum Sacra Hostia, propriis complectentes manibus coeperunt deferri. Quod non sine superno Dei afflatu, instinctuque factum credendum est; ut triumphali isto apparatu inter affusas adorantium turbas per vicos et plateas verum Christi Corpus circumferretur, eo tempore, quo impius Lutherus Vicariam Christi Personam in terris a Romano Pontifice sustineri, realemque item Christi Domini in Euchari-

(a) *Tit. XV. de celebrat. miss. cap 7.*

stiae Sacramento praesentiam impudentissime negabat.

Morem autem ad haec usque tempora traductum, qui sane aptior est et laudabilior, ut Papa non sedens bajuletur, sed provolutus in genua innixusque scabello, cui Tabernaculum quoque cum Hostia est impositum, quis prior instituerit, incertum est. Si Mutulo testi fides danda esset; Alexandro VII. oporteret id tribui, qui duplex numisma cudit argenteum aureumque, in quibus Sacramentum exhibetur ab ipso Pontifice tali modo delatum cum lemmate: *Procidamus, et adoremus in spiritu et veritate.* Verum si diligenter expendantur encomia, quibus Paulum IV. laudat Oldoinus in suis Notis ad Cìacconium, huic Pontifici mos hic adscribendus videbitur; ait enim memoratus Scriptor « Quo die Sacra Eucharistia celebrantur, ac publica supplicatione defertur a Romano Pontifice velatum Numen, ut Vaticanam etiam Regionem Urbemque Leoninam, qua pompa circumfertur, oppansum late velum inumbraret, ne instructum agmen laederet solis ardor, auctor ipsemet fuit, primusque qui ob defectas senio vires, tum ad augendam Mysterii majestatem, gestari cum ea Fruge sella voluit: Quod et consequentes plerique postmodum Pontifices fecere. Ad divini cultus elegantiam lampades etiam excogitavit, quae cera, non oleo concinnarentur, easque ardere in Pontificio Sacello voluit ». Munus illas parandi pertinet modo ad Clericos ejusdem Sacelli, qui vicissim singulis mensibus die noctuque ipsas ante Sacramentum ibi custoditum incendere tenentur et accensas servare.

Sanctissimus etiam Dominus Noster BENEDICTUS XIV. cura et studio pari inter quotidianas, quibus distinetur, omnium Ecclesiarum sollicitudines praeclare providit, ne supplicationis hujus a praedecessoribus Pontificibus tam aucta celebritas ullo umquam casu aut tempore minueretur. Cum enim intellexisset, Apostolica Sede vacante Clerum utrumque ad supplicationem habendam in duas partes dividi, si dies Festus Corporis Christi in id tempus incideret, quarum una Lateranensem Basilicam peteret; altera Vaticanam; ita imminuto Cleri numero, supplicationis quoque utrinsque majestatem imminui, Constitutione edita statuit, ut sicuti Sede plena unica celebratur eo recurrente die Processio apud Vaticanum, ita eadem Sede Apostolica vacante, ubi solemnitas praedicta contingat, unica pariter supplicatio ibidem habeatur. En Pontificia Sanctio.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis sollicitudinis officium, quantum Nobis ex alto conceditur, omni ex parte implere satagentes, non solum ea, quae sub oculis nostris geruntur, opportunis legibus apte ordinare atque dirigere studemus; verum etiam providentiae nostrae intuitum ad ea intendere non omittimus, quae post expletum a Nobis hujusce mortalis vitae cursum, ubi Omnipotenti Deo qui numeravit dies nostros, ita placuerit, aut fieri necessario debere, aut evenire posse prospicimus.

Sane ex quo in hac Romana Urbe a prima fere aetate diversis in gradibus commorati sumus, meminimus, non semel, sed iterum ac tertio jam contigisse, ut vacante per obitum Romani Pontificis Apostolica Sede solemnitas Corporis Christi recurreret, in qua, ex pia Urbani Papae IV. Praedecessoris Nostri institutione ac lege, et fructuosa universae catholicae Ecclesiae consuetudine, post exacta Paschatis et Pentecostes solemnia, vivificum Eucharistiae Sacramentum, continuata per dierum octavam celebritate et publicis supplicationibus a Christifidelibus percolitur. Cumque hujusmodi supplicationibus sive Processionibus, vivente Romano Pontifice, initium det prior illa et solemnior supplicatio, quae incipiens ab ipso Pontificiarum Ædium Vaticani Sacello, praeeuntibus et subsequentibus omnibus tam secularis, quam Regularis Cleri, Romanaeque Curiae et Pontificiae Aulae Officialium Ordinibus, per congruum viarum ambitum, ad Basilicam Principis Apostolorum procedit, ibique terminatur; vacante, ut praediximus, Apostolica Sede, Nobisque post mortem recol. mem. Praedecessorum nostrorum Benedicti Papae XIII., et Cle-

mentis Papae XII. intra Apostolicorum Comitiorum septa commorantibus, quaestionem hanc non sine sententiarum atque studiorum varietate audivimus agitari; an scilicet in eodem Vaticano, an vero in Lateranensi Patriarchio solemnis illa et generalis, de qua supra dicebamus, supplicatio peragenda esset. Et quidem praemissis in casibus; nostris primum oculis aspeximus, deinde etiam aliorum relatione audivimus, praefatae solemnitatis celebritatem duplici supplicatione inchoatam fuisse, quarum altera in Basilica S. Joannis in Laterano, altera vero simul eodem tempore in Basilica S. Petri in Vaticano habita fuit; divisionem autem factam fuisse eorum, qui primae hujusmodi generali supplicationi interesse tenebantur; nonnullis videlicet ad unam, aliis vero ad alteram ex praedictis Basilicis accedentibus; prout vel ratione, vel imperio, vel etiam propria voluntate atque arbitrio adducti fuerunt.

Quod quum Nostra et aliorum etiam complurium sententia, nec Ecclesiasticis regulis ac ritibus, nec piae Praedecessorum nostrorum menti consentaneum esse judicaverimus; neque vero absque notabili Divini cultus imminutione et populi scandalo reipsa fieri contigerit: Nos, cupientes tantae solemnitatis initia, communibus omnium ordinum studiis, eoque maximo cultus splendore, quo potissimum fidelium mentes ad debitum erga divinae bonitatis mysteria venerationis affectum excitantur, omni tempore concelebrari, Motu proprio et ex certa scientia, post maturam deliberationem hac de re habitam, hanc in posterum praecepti nostri formam volumus esse perpetuam, qua de Apostolicae potestatis plenitudine statuimus atque mandamus, ut sicuti Sede plena de mane Feriae V. post Festum Sanctissimae Trinitatis unica supplicatio, sive Processio generalis SS. Corporis Christi in Urbe peragi consuevit, ita eadem Apostolica Sede vacante, ubi solemnitatem praedictam, anno vertente, celebrandam esse contingat, unica pariter in Urbe generalis Processio habeatur cum interventu omnium et singulorum, qui de cetero hujusmodi supplicationi generali adesse tenentur; quorum nomina et incedendi ordo, aliis Nostris Apostolicis Literis hac ipsa die manu nostra subscriptis distinctius expressa reperiuntur.

Dum autem pro hujusmodi generali supplicatione Sede vacante, ut praefertur habenda congruum opportunumque locum deligere, et constituere mente animoque versabamus; illud Nos maxime permovit, quod animadvertimus, in ceteris per christianum Orbem Civitatibus, tempore Episcopalis Sedis vacantis, nihil mutari solere circa locum, aut Ecclesiam, in quo, seu qua Episcopo vivente, quotannis praecipua hujusmodi Processio Corporis Christi celebrari solet. Itaque quemadmodum in Urbe, Sede plena Processio generalis hujusmodi in Vaticano celebratur, quantumvis Pontifex in ejusdem Vaticani Ædibus actu non commoretur, sed in Quirinali Palatio degat, vel etiam eumdem extra Urbem moram trahere contingat; ita nihil obstare censemus, quominus etiam defuncto Pontifice, Processio generalis die Festo Corporis Christi in Vaticano pariter celebretur; quin potius id satis congruum et opportunum fore judicamus, habita ratione tum Vaticani Conclavis, in quo Collegium S. R. E. Cardinalium, ad maximum in terris opus peragendum, tunc temporis permanet, tum frequentiae populi, qui hac de causa per eos dies ad Vaticanum confluit.

Inchoanda igitur erit praedicta supplicatio generalis a Basilica Vaticana ea hora, quae a Congregatione Cardinalium in Ordine Priorum indicetur. Et quidem Missae Sacrificium per eum, a quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ut infra deferendum erit, ad Altare Cathedrae S. Petri celebrabitur. At quoniam plures causae obstant, quominus tempore Sedis vacantis amplior ille ambitus, atque splendidior viarum apparatus servetur, qui vivente Pontifice, sive is praesens sit, sive absens, observari consuevit; statuimus praedictam supplicationem per brevius illud iter procedere, eodemque apparatu perfici, quo jam alias vacante Apostolica Sede, in eodem Vaticano factam fuisse constat: In ejus quoque regressu volumus, omnes et singulos, qui in Processione interfuerint, cum intortitiis accensis intra eamdem Basilicam de more dispositos, usque ad extremum manere: ac demum San-

ctissimo Sacramento super Altare majus, Confessionis videlicet Principis Apostolorum, per manus Diaconi Episcopo adstantis collocato, et consuetis precibus devote decantatis, ab ipso Episcopo celebrante trina benedictione cum eodem Sacramento super Populum data, augustam sanctamque celebritatem absolvi.

Et quia praedicta supplicatio, quae sicut praemisimus, Nostrae hujus ordinationis vigore celebranda erit, nequaquam habenda est pro peculiari Processione Basilicae Vaticanae; quae quidem Basilica propriam supplicationem peragit in die Octava Corporis Christi; sed locum tenere debet generalis illius supplicationis, quam Sede plena Romanus Pontifex celebrare solet, et in qua Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ab ipso Pontifice, vel eo impedito, ab antiquiore ex S. R. E. Cardinalibus defertur, hinc est, quod Sede Apostolica ut praefertur vacante volumus, ut a Collegio praedictae S. R. E. Cardinalium, hoc est a Congregatione trium Cardinalium in quolibet Ordine Priorum, et a Cardinali ejusdem S. R. E. Camerario, triduo ante solemnitatem Corporis Christi, aliquis eligatur et deputetur, qui praefatum Augustissimum Sacramentum deferat; unus nimirum ex Patriarchis, sive Archiepiscopis, aut Episcopis in Romana Curia praesentibus; cui ministrare debebunt Sacri illi Ministri, qui in Cappellis Cardinalitiis Officio Diaconi et Subdiaconi sunt perpetuo addicti.

Acolythi pariter Cappellae Pontificiae, necnon ejusdem Cappellae Clerici, aliique inferiores Ministri in propriis Officiis rite ministrabunt, sub directione eorum ex Pontificiis Caeremoniarum Magistris supra numerum, qui juxta Constitutionem a san. mem. Decessore Nostro Clemente Papa XII. de rebus Sede vacante peragendis editam, cum aliis ingredi Conclave non permittuntur.

Item Cantores ejusdem Cappellae Pontificiae Hymnos et Laudes de more concinentes, et Missae celebrationi intererunt, et totam supplicationem in suo gradu et ordine prosequentur.

Umbellam vero seu Baldacchinum iidem fere suis respective vicibus deferent, qui vivente Pontifice ejusmodi decorantur praerogativa. Ejusdemque Umbellae latera, tam Officiales virgae rubeae cum intertitiis, quam Servientes armorum, sive *Mazzieri* Papae nuncupati, cum Maziis argenteis, et Milites Helvetici cum suis Decurionibus atque Tribunis, militari ritu armati claudent et respective custodient.

Nullam vero peculiarem Crucem volumus elevari, sub qua tota supplicatio incedat; sed propriam Crucem a singulis tam Secularis, quam Regularis Cleri, Capitulis, Ordinibus sive Corporibus, ex quibus Processio componitur, de more erectam deferri. Cursores etiam Cardinalis pro tempore Urbis Vicarii, quemadmodum Sede plena mos est, totum Processionis ordinem dirigere mandamus.

Sacrae autem Vestes, necnon Ostensorium, Thuribulum, Candelabra argentea, Funalia, Umbella, seu Baldacchinum et reliqua supellex ad sacram functionem necessaria, ab Apostolico Sacrario, seu respective a Pontificia Floreria subministrari debebit. Cerei quoque quotquot necessarii erunt, sumptibus Camerae Apostolicae provideri; ac demum Porticuum Vaticani et reliqui ambitus apparatum, Apostolicarum Ædium Aulaeis, ut vivente Pontifice moris est, et in reliquo ejusdem Camerae Apostolicae sumptibus, adornari praecipimus.

Denique Pontificios Milites Urbanos per totum Processionis iter dispositos de more adesse, eamdemque subsequi et custodire jubemus.

Quapropter omnibus ad quos spectat, et ad quos in casu pro tempore spectabit, committimus et mandamus, ut quaecumque ad divini Cultus et Religionis incrementum ac decus hac nostra Constitutione statuimus et ordinavimus, singuli pro virili parte respective impleant, et ab aliis impleri curent. Specialiter autem Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, iisque potissimum, qui pro tempore in quolibet Ordine Priores existent, una cum ejusdem S. R. E. Cardinali Camerario injungimus, ut opportuna mandata atque praecepta pro praemissorum omnium executione expediant. Itemque ejusdem S. R. E. Cardinalibus pro tem-

pore Camerario, Vice-Cancellario, et Majori Poenitentiario, ut omnes sibi respective subditos Ministros et Officiales, eorumque Collegia sive Ordines, qui hujusmodi Processioni generali de more adesse debent, sub consuetis praeceptis et poenis adesse compellant: Ac demum Cardinali, qui pro tempore in Urbe ejusque districtu, Romani Pontificis Vicarius existet, ut omnes Cleri Secularis et Regularis Ordines, qui vivente Pontifice eidem pariter supplicationi interesse solent Collegia, Capitula, etiam Basilicarum Patriarchalium, et Collegiatarum etiam insignium, aliosque omnes etiam necessario exprimendos, sub consuetis pariter praeceptis ac poenis auctoritate sibi a Nobis in perpetuum harum tenore delegata jubeat interesse.

Has enim Nostras literas et in eis contenta quaecumque perpetuo firma, et efficacia existere volumus, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime observari; sublata omnibus et quibuscumque etiam S. R. E. Cardinalibus praedictis, eorumque Collegio et Ordinum respective Prioribus, et S. R. E. Camerario, aliter decernendi et statuendi facultate; et non obstantibus, si quae in contrarium facientes adesse dicantur, Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus quibuscumque; necnon quarumcumque Ecclesiarum, Basilicarum, etiam Patriarchalium, et Collegiatarum insignium, et quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum, Collegiorum, Communitatum, ipsiusque Cleri Urbis, et Personarum singularium etiam juramento, confirmatione Apostolica et quavis alia firmitate roboratis privilegiis, Statutis, Constitutionibus, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiamsi de iis eorumque respective tenoribus expressa et individua mentio habenda foret; quibus omnibus et singulis, alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat ad praemissorum effectum plenissime et amplissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo Hominum liceat paginam hanc nostrarum Constitutionis, Ordinationis, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, quartodecimo Kalendas Martii Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA

de Curia I. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Schedula Motus proprii, de qua fit mentio in Constitutione.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu Proprio etc.

Omnibus et singulis Officialibus Romanae Curiae, qui alias juxta antiquum ejusdem Curiae morem et ritum in generali Pontificia Processione Sanctissimi Corporis Christi cum albis intortitiis, Apostolica Sede plena, interesse solent ac debent, quoties Processionis celebritatem hujusmodi tempore praedictae Sedis vacantis occurrere contigerit, quemadmodum illius tunc peragendae formam Apostolicis nostris literis hac ipsa die sub Plumbo datis in perpetuum praescripsimus, ita praesentis nostri Motus proprii etc. Schedula districte praecipiendo mandamus, ut ipsi pro eorum debito et condigna erga tantum Sacramentum veneratione celerique et tranquilla actus hujusmodi expeditione, sub poena privationis a perceptione emolumentorum ratione suorum respective Officiorum per duos continuos menses ex

tunc proxime futuros eis obvenientium, aliisque arbitrio tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, quibus dictarum literarum nostrarum executionem injunximus, in contrafacientes infligendis in eadem Processione ordine infra assignando, absque ulla contradictione aut replicatione, vel interpellatione incedere debeant. Nos etenim eisdem Officialibus atque omnibus et singulis eorum Ordinibus, ac Collegiis quibuslibet super quaestionibus et controversiis quoad procedendi Ordinem, silentium imponimus, donec aliter a Nobis aut Successoribus nostris Romanis Pontificibus, vel competentibus Judicibus definitum fuerit in Judicio petitorio, quod eis earumdem tenore praesentium reservamus.

Officiales autem Camerae, Cancellariae et Poenitentiariae Apostolicarum, quibus consuetum in eadem Processione locum praeservamus, volumus eodem incedere Ordine, quo descripti reperiuntur in Rotulo a Nobis sub initio, et quolibet Pontificatus Nostri anno subscribi solito, seu in aliis Rotulis a Romanis Pontificibus Successoribus nostris pro tempore subscribendis: Quorum Rotulorum seriem et ordinem, ne vacante Apostolica Sede praedicta de eorum vigore et subsistentia haesitari contingat, ad praemissorum effectum tantum ex nunc, prout ex tunc, et e contra confirmamus et approbamus: Ac quandocumque casus obvenerit, hujusmodi Ordinem seu seriem Rotuli ultimo loco a Romano Pontifice tunc proxime defuncto subscripti, illiusque integrum tenorem ante ipsum Processionis praedictae initium per unum ex Pontificiis Cursoribus de more legi, et recitari praecipimus. Quo vero ad alias personas, de quibus in dictis literis meminimus, earum nomina, Officia, et incedendi Ordinem, ut infra praescribimus, videlicet.

Praecedentibus Alumnis Hospitii Apostolici et Orphanotrophii, tum Ordinibus Regularium, Parochis Ecclesiarum Urbis cum Stolis, Clero, atque Capitulis Ecclesiarum etiam Collegiatarum Insignium, et Basilicarum etiam Patriarchalium ordine suo.

Officiales Cancellariae Apostolicae, necnon Camerae, Poenitentiariae, aliique in consueto Rotulo descripti, juxta Ordinem ibi adnotatum.

Cantores Papae.

Gubernator Conclavis }
Gubernator Urbis } Simul.

Ambo cum Rocchetto et Mantelletta nigra, et cum intortitiis, quae ab aliquo ex ipsorum Familiaribus Nobilibus deferri poterunt.

Duo Acolythi cum Funalibus argenteis.

Duo alii Acolythi cum Candelabris.

Acolythus cum Navicula.

Acolythi duo cum duobus thuribulis.

Duodecim ex Officialibus virgae rubeae cum intortitiis a lateribus.

Servientes Armorum a lateribus.

Item a lateribus Milites Helvetici cum suis Tribunis.

Antistes deferens Sanctissimum Sacramentum cum Diacono et Subdiacono sub Baldacchino.

Duo alii Acolythi cum Funalibus argenteis.

Minister de Mitra.

Auditor Camerae }
Thesaurarius Generalis } Simul.

Patriarchae.

Archiepiscopi.

Episcopi.

juxta eorum gradum et respectivam antianitatem nulla ratione habita Assistentiae Solio Papae.

Protonotarii Apostolici Participantes tam de numero, quam supranumerum, aliique in eorum scamno locum habentes.

Abbates habentes locum in Cappella.

Generales Ordinum habentes locum ut supra.

Auditores Rotae, cum Magistro Sacri Palatii.

Clerici Camerae ejusdemque Praeses,

Referendarii Votantes Signaturae Justitiae, cum ejusdem Auditore.

Abbreviatores de Parco majori.

Advocati Consistoriales cum Procuratore Fiscali, et Commissario Camerae.

Procuratores Ordinum.

Referendarii Baldacchinum deferent ab Altari Cathedrae S. Petri usque ad Portam Basilicae.

Officiales Collegii sancti Petri a Porta Basilicae usque ad Catenam Palatii.

Magistri Viarum aliique ejusdem Officii Ministri a Catena ad finem Peristylii.

Officiales Collegii sancti Pauli ab una ad alteram extremitatem Peristylii.

Natio Florentinorum per aliud Brachium Peristylii usque ad Portam Ferream.

Natio Senensium a Porta Ferrea usque ad Altare Confessionis sancti Petri.

Servientes Armorum et Cursores Cardinalis Vicarii cum suis Maziis totam Processionem custodiant, et hortentur ad procedendum, et non permittant sub finem aliquos exire cum intortitiis, nec ea extinguere, nisi data per Antistitem Benedictione super Populum cum SS. Sacramento.

Militum Urbanorum turmae Processionem sequantur atque custodiant, et fiant solitae mortariorum explosiones in consuetis locis.

Quocirca Gubernatori Conclavis, et Gubernatori Urbis ejusdemque Urbis Vicesgerenti tunc et pro tempore existentibus per easdem praesentes committimus et mandamus, ut in consuetis respective locis adstantes, necnon illis Caeremoniarum Apostolicarum Magistris Supranumerum, qui etiam tunc et pro tempore extra Conclave existent, ut pro eorum Officii debito praesentis Mandati nostri schedulam et in eis contenta quaecumque singuli pro virili parte exequi et observari faciant: Notariis quoque Camerae Apostolicae, ut praedictis Conclavis et Urbis Gubernatori, ac Vicesgerenti assistant, describentes nomina singulorum contumacium et inobedientium, quos praemissis et gravioribus etiam pro excessuum qualitate poenis puniri et mulctari volumus. Praesentes quoque, et desuper si videbitur expediendas literas semper validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere et ab omnibus, ad quos quomodolibet spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque Judices etc. etiam praedictae S. R. E. Cardinales, sublata etc. judicari etc. debere, irritumque etc. attentari. Non obstan. quatenus opus sit, nostra et Cancellariae praedictae regula de jure quaesito non tollendo, et privilegiis ac indultis et literis Apostolicis Collegiis praedictis eorumque singularibus personis, etiam in limine eorumdem Collegiorum erectionis concessis, ceterisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac praedictorum Collegiorum etiam juramento etc. roboratis statutis etc. ceterisque contrariis quibuscumque; cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio P.

Et quod dictae Regulae, necnon privilegiorum et Indultorum praedictorum quomodolibet concessorum tenores etiam veriores ac Datae habeantur pro expressis, seu in toto vel parte exprimi possint in literis etiam per viam de Curia, si videbitur expedien. Et de perpetuis mandato, commissione, derogatione, vel voluntate aliisque praemissis, ut supra in dictis literis latissime extenden. Volumus autem, quod sola praesentis nostri Motus proprii Schedulae Signatura sufficiat, et illius quoque exempla, seu transumpta etiam impressa manu alicujus Notarii publici subscripta, et personae in Ecclesiastica dignitate constitutae Sigillo munita, ubique fidem faciant in judicio et extra illud, Regula quacumque contraria non obstante. Fiat P.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem quartodecimo Kalendas Martii Anno Quinto.

Altera quae hic apponitur, ea est, quae nonnullas Advocatis Consistorialibus praerogativas decernit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter conspicuos Ordines, quibus Romana Curia toto terrarum Orbe celeberrima constat atque conflatur, et quorum aliqui pro gerendo universae Ecclesiae Catholicae

regimine per inscrutabilem divini consilii altitudinem humilitati nostrae concredito, alii pro temporali nostro, seu verius beatorum Apostolorum Patrimonio administrando, consilium atque operam suam Nobis assidue praestant; alii vero Ecclesiarum, sive Universitatum, aut privatarum controversiis, quae ad nostram hanc Urbem et Curiam undique deferuntur, cognoscendis atque dijudicandis; alii denique in concertantium juribus et causis sustinendis, defensandis, agendis, scientiam suam atque labores impendunt; provida Praedecessorum nostrorum cura a remotissimis usque temporibus extare voluit illustre Advocatorum Consistorialium Collegium, ex praeclaris compositum virtute ac doctrina Viris, quibus propter scientiae praestantiam ac rerum usum atque prudentiam, ex omni Advocatorum coetu delectis, singulare jus ac privilegium attribuerunt perorandi coram Romano Pontifice, in supremo Justitiae Solio, adstantibus Venerabilibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus solemniter considente; in sacro nimirum Consistorio, in quo pleraeque olim gravioris momenti causae, ad Apostolicae Sedis judicium ex omni parte delatae, discutiebantur; et plures adhuc vel examinantur, vel si illae extra Consistorium agitatae ac discussae jam fuerint, in ipso tamen Consistorio definiuntur ac terminantur. Quod quidem Advocatorum praedictorum Collegium, singularesque personae vertentibus annis eidem adscriptae, industriam atque operam suam praefatis Praedecessoribus nostris ita probarunt, ut et gravissimorum munerum, quae ad retinendam sanctiorum judiciorum religionem, ad Apostolicae Sedis jura tuenda et conservanda, ad calamitosorum salutem et defensionem, ac promovendam Juris et bonarum artium scientiam pertinerent, proprium sibi, atque ut vocant, privativum exercitium adjudicari; necnon amplissimis gratiis, privilegiis atque favoribus, plurium Summorum Pontificum beneficentia cumulari, et cohonestari meruerint.

Quum autem hujusmodi privilegia, eximiis ipsorum meritis elargita, alia quidem aliis temporibus indulta reperiantur; nonnulla vero, licet longissimi temporis usura, optimo jure eisdem acquisita esse dignoscantur, attamen propter remotissimam fortasse concessionum vetustatem, incertis videantur principiis et originibus innixa, aliorum denique usum et quasi possessionem contrariis nonnunquam actibus interturbari et labefactari contigerit; optandum profecto videbatur, ut unica aliquando eorundem collectione peracta, eademque inviolabili Apostolicae auctoritatis robore munita, et ipsius Collegii splendori ac dignitati, et jurium ex Pontificia liberalitate eidem competentium firmitati ac securitati consuleretur. Nos itaque, qui concessum nobis olim a felic. recordat. Praedecessore nostro Clemente Papa XI. in eodem Collegio locum multos annos tenuimus, eundemque primum nobis in Romana Curia honoris gradum fuisse, et validum ad studia laboresque nostros in Apostolicae Sedis obsequia collocandos incitamentum, aptissimamque ad superiora munera et praemia adipiscenda occasionem extitisse, non sine jucunditate et grati animi sensu nobiscum recolimus, et palam profitemur: Cum jam eidem Collegio peculiaria quaedam indulta et privilegia per alias nostras literas in forma Brevis sub annulo Piscatoris expeditas benigne concesserimus; ut illustre ac perenne extaret nostrae erga praedictum Collegium existimationis et benevolentiae argumentum, eadem indulta et privilegia tum a nobis, ut praefertur tributa, quam alia, quorum concessiones diversis Praedecessorum nostrorum literis consignatae reperiuntur, vel quae ex inveterata consuetudine ipsi Collegio competere dignoscuntur, in unum veluti corpus redigere, eaque omnia Apostolica nostra auctoritate firmata et roborata, atque etiam, sicubi opus fuit, declarata et ampliata, praesentibus nostris literis perpetuo valituris comprehendere constituimus. Igitur dilectos filios modernos Aulae nostrae Consistorialis Advocatos, eorumque Collegium praedictum amplioris gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequen-

dum, eorum singulares personas harum serie absolventes et absolutas fore censentes, Motu proprio, non ad Collegii, et Advocatorum praedictorum, vel aliorum pro ipsis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia infrascripta privilegia, indulta, jura, facultates, honores, munera, praeeminentias et praerogativas ipsi Collegio earundem tenore praesentium in perpetuum asserimus, approbamus, confirmamus et innovamus, eaque novo Apostolicae nostrae auctoritatis robore communimus, simulque, ut infra decernimus, statuimus, declaramus atque sancimus.

Atque in primis duodenarium ipsorum Advocatorum numerum a Praedecessore nostro Sixto Papa IV. in suis hac de re posteriore loco expeditis literis praefinitum, iis modo et forma, quibus ad haec usque tempora servatum fuit, firmum perpetuo et stabilem esse volumus; ita scilicet, ut septem ex iis, qui juxta admissionis ordinem in Collegio antiquiores erunt, Seniorum atque Participantium nomine et juribus fruantur; reliqui vero quinque, Juniores et Supranumerum nuncupari et haberi pergant. Si qui vero ex Pontificia dispensatione, justis suadentibus causis, alicui ex duodecim Advocatis Coadjutores cum futura successione deputati fuerint, hi quidem, prout nunc in more habetur, omnia exercere valeant, quae reliqui de numero possunt; sed durante Coadjutoris munere, et quousque successioni locus factus non fuerit, tam voce, quam emolumentis in Collegio careant.

Porro in hujusmodi duodenario Advocatorum Consistorialium numero Civitas nostra Bononiensis, immemorabilis possessionis jure obtinuit et gaudet, ut uni semper ex ipsius Civibus locus sit, propter eximiam fortasse celebritatem ipsius Bononien. Civitatis et Universitatis, in qua bonas artes atque scientias omnes, ac genuinam potissimum solidamque juris prudentiam, seculo duodecimo ex diuturna obscuritate, in qua praecedentium temporum barbarie misere jacuerat, in lucem tandem feliciter revocatam, proprias veluti fixisse sedes, indeque eum ad reliquas scholas, tum ad Tribunalia dimanasse, omnium consensu perhibetur. Alius vero locus hujusmodi a fel. record. Pio Papa IV. per Apostolicas literas datas anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo, sexagesimo, octavo Idus Julii, perpetuo assignatus reperitur uni ex Collegio Doctorum Civitatis Mediolanen., quem Romanus Pontifex pro tempore duxerit eligendum ex tribus, ab ipso Mediolanensium Doctorum Collegio, eidem Romano Pontifici praesentatis, seu nominatis. Item rec. mem. Clemens Papa VIII. et Paulus Papa V. alium locum in praedicto Collegio uni Civi Ferrariensi saltem ex privilegio effecto, seu creato itidem perpetuo assignarunt, ac pro tempore concedi voluerunt; quam sane concessionem cumulavit piae mem. Urbanus Papa VIII. per suas etiam in forma Brevis expeditas literas datas die decima septima Decembris anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti, dum Civitati nostrae tunc suae Ferrariensi per easdem literas indulsit, ut hujusmodi locus nonnisi Civibus Ferrariensibus vere originariis, quorum nominatio ad Magistratum Ferrariae spectaret, pro tempore concedi et assignari deberet. Aliumque pariter locum in praedicto Collegio ex Apostolica concessione fel. record. Innocentii Papae XII. Cives Neapolitani obtinere dignoscuntur, quibus praedictus Innocentius per suas literas in simili forma Brevis sub datum die decimaquarta Novembris anni millesimi sexcentesimi nonagesimi septimi desuper expeditas indulsit, ut occurrente pro tempore praedicti loci, sic eis ut praefertur, concessi vacatione, ab Electis illius Civitatis tres Cives Neapolitani Juris utriusque Doctores Romano Pontifici pro tempore existenti nominarentur, ex quibus idem Romanus Pontifex unum ad hujusmodi Advocati Consistorialis munus praeeligeret et assumeret, prout in singulis eorumdem Pii, Urbani, et Innocentii Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum memoratis literis latius et uberius continetur.

Quae quidem omnia praedictis Civitatibus, Collegiis, seu Universitatibus, vel a Praedecessoribus nostris, ut praefertur, expresse concessa, vel antiquae consuetudinis jure acquisita, Indulta et Privilegia, ut scilicet ex

eisdem unus pro tempore juxta praescriptas respective formas electus, in praedictum Advocatorum Consistorialium Collegium cooptetur, atque ad exercenda munera eidem Collegio et Advocatis competentia servatis servandis admittatur, approbamus et confirmamus, et quatenus, opus sit, innovamus, et tanquam ex integro praesentium tenore concedimus et indulgemus.

Volentes ut reliqui, ad explendum duodenarium praedictum Advocatorum Consistorialium numerum, ex omni Advocatorum Romanae Curiae coetu eligantur, qui vel Almae Urbis nostrae, vel alterius Civitatis Apostolicae Sedis Ditioni in temporalibus subjectae, Cives existant, ac necessariis probitatis, doctrinae, experientiae, natalium, aliisque requisitis dotibus et qualitatibus praediti sint: Ita tamen, ut quandocumque locus aliquis vacaverit in praedicto Collegio, qui Civibus alicujus ex praedictis Civitatibus addictus non sit, vel cui antea per deputationem Coadjutoris provisum non fuerit, ipsi Advocati Consistoriales collegialiter congregati, pro ipsorum fide, et notitia eorum, qui in Romana Curia laudabilem in Advocati munere operam navant, tres viros ex iis, qui vel Romanae, ut praefertur, vel alterius Civitatis Ecclesiasticae Ditionis, Cives existant, quosque in illustre ipsorum Collegium adscribi dignos censuerint, Romano Pontifici pro tempore existenti exhibeant, qui pro suo arbitrio unum ex illis in Aulae suae Consistorialis advocatum eliget ac deputabit; atque ita in posterum servari mandamus, non obstante fel. record. Praedecessoris nostri Clementis Papae XII. Decreto edito in Consistorio secreto diei vigesimae secundae Januarii anno millesimo septingentesimo trigesimo primo, in quo aliam pro hujusmodi Advocatorum delectu formam praescripsit; cujus Decreti tenorem pro praesentibus inserto, ac de verbo ad verbum expresso habentes, eidem in hac parte, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus expresse derogamus, illudque, ac si nunquam emanasset, cassamus, irritamus, et annullamus, ac pro cassato, irrito et annullato in posterum haberi volumus et jubemus.

Collatum vero semel Advocati Consistorialis Officium, excepto casu spontaneae dimissionis, aut juridicae privationis, nullatenus vacare intelligatur, nisi per promotionem ad Auditoratum Causarum sacri Palatii, aut Episcopatum cum residentiae onere eidem adnexo, aut ad Cardinalatus dignitatem.

Electis autem juxta formam a Nobis supra praescriptam Advocatis Consistorialibus, quamvis minime liceat propria hujusmodi Officii munera exercere, nisi post expletas omnes functiones, quae in eorum admissionibus de more peragendae sunt, quaeque fortasse, sicut etiam pro electis causarum sacri Palatii Auditoribus, novam atque meliorem normam, Deo favente, a Nobis accipient: Antianitatis tamen jura eisdem acquiri statuimus ab eo die, quo nostram, seu nostrorum pro tempore Successorum de eorumdem electione schedulam, Motus proprii nuncupatam in Collegio praesentaverint. Coadjutores vero eamdem antianitatem desument ab eo die, quo post, praedictas omnes functiones expletas, antianitatem praedictam sibi ab ipsorum Collegio assignari petierint et obtinuerint per decretum ejusdem Collegii, Apostolicis deinde literis in forma Brevis expeditis, si Nobis et Successoribus nostris placuerit, approbandum et confirmandum. Quae omnia in eum finem expresse disposita sunt, ut liquido appareat quibusnam in occurrentibus optionis casibus debeatur locus inter septem Seniores seu Participantes, et cui pariter totius Collegii Decanatus pro tempore sit deferendus.

Quod quidem Decanatus officium, Nos inhaerendo decretis alias ab ipso Collegio conditis, neque a Junioribus aut Coadjutoribus ullo modo, neque a Senioribus absentibus obtineri volumus; sed nec ab iis, qui vel Episcopali charactere insigniti, vel alias inter Curiae nostrae Praelatos adscripti reperiantur; sed ad eum deferri debere statuimus, qui inter Seniores in Romana Curia praesentes, et non Praelatos, antiquior esse dignoscatur. Eveniente autem casu, quo omnes Advocati Seniores in Romana Curia praesentes, vel Episcopatus vel Praelatura decorati reperiantur, is qui antiquior inter eos erit, Pro-Decani titulo, muneribusque

fruetur; donec in septenarium Participantium numerum subingrediatur aliquis non Praelatus, ad quem Decanatus hujusmodi Officium jure deferatur.

Ex privilegiis vero seu praerogativis, quibus hujusmodi Advocatorum Consistorialium nobilis Ordo, ex concessione Praedecessorum nostrorum et veteri consuetudine fruitur, nostraque demum voluntate in posterum gaudere debebit, alia pertinet ad ipsius Ordinis decora et ornamenta; alia vero ad exercitium non unius generis munerum, quae eidem Collegio privative sunt demandata. Cum enim praedicti Aulae nostrae Consistorialis Advocati veri sint et indubitati nostri, et Romani pro tempore Pontificis Familiares et continui Commensales, neque porro ad instar aliorum familiarium hujusmodi, sed pariformiter et aeque principaliter cum aliis Familiaribus et Commensalibus praedictis habeantur, et haberi debeant; unde etiam panem honoris ex quotidiana nostra et Romani pro tempore Pontificis liberalitate percipiunt; atque in ejusdem Romani Pontificis iter agentis comitatu, quemadmodum in associandis S. R. E. Cardinalibus Legatis de Pontificio Latere missis, nec non occasione obviam eundi Imperatoribus, Regibus, et Principibus Viris ad Curiam venientibus, una cum reliquis Pontificiae Aulae Praelatis et Familiaribus incedunt, non solum reliquis omnibus Romanae vel alterius Curiae causarum Advocatis, Patronis, Procuratoribus atque Causidicis, omnibusque tam Romanae, quam alterius cujuscumque Universitatis Licentiatis, Doctoribus, Antecessoribus, atque Magistris, etiam antiquioribus, honoris et dignitatis praerogativa praecellunt, sed reliquis etiam tum Clericis tum Laicis, quantumvis ex nobili genere procreatis, et quocumque officio seu dignitate praestantibus, aliorumque Principum Familiaribus antecedunt; et tam in Cappellis, quam in Consistoriis, et Pontificalibus aliisque supplicationibus seu Processionibus, equitatibus, ceterisque publicis functionibus locum habere debent, immediate post Cubicularios nostros utriusque Aulae tam secretae, quam honoris nuncupatae, nimirum supra ipsos Intimi Sacelli nostri Cappellanos secretos aliosque inferioris Ordinis, prout jam de expresso mandato nostro, omni sublata dubitandi occasione, in usu positum est; et nihilominus Nos idem perpetuis futuris temporibus observari, praesentium tenore mandamus atque statuimus. Easdemque Cappellas et Functiones omnes praedicto Advocatorum Consistorialium Collegio, quemadmodum aliis Collegiis in eisdem locum habentibus, per Cursores intimari; atque in eis Candelas, Palmas, et Ceras benedictas, *Agnus Dei* appellatas, in pari quantitate et qualitate cum reliquis Familiaribus nostris, ipsis distribui; necnon eosdem ad audiendas praedicationes verbi Dei, quae statis temporibus in Palatio nostro habentur, una cum Praelatis Romanae Curiae, aliisque Familiaribus nostris, quemadmodum consueverunt, admitti volumus et jubemus.

Sessionis vero locum, quem in Cappellis, quae in Basilica nostra Vaticana celebrantur, hactenus obtinuerunt, nimirum in inferiori Pontificii Solii gradu, infra Almae Urbis nostrae Conservatores, idem in posterum in praedictis aliisque Cappellis, quae pro loci amplitudine eodem ritu disponi poterunt, eisdem assignari decernimus. Ubi vero Cappellae in Pontificiis nostrarum Ædium Sacellis habeantur, seu in aliis Ecclesiis et locis eodem ordine disponantur, quo in praedictis Ædium nostrarum Sacellis ordinari consueverunt; firmam eisdem et ratam esse volumus concessionem sedilis seu scamni ad ipsorum usum, ante scamnum seu sedile pro nostris ad honorem Cubiculariis apponi solitum, de nostro expresso mandato semel positi et assignati, ac deinde per alias nostras in forma Brevis literas die quinta Martii anni millesimi septingentesimi quadragesimi secundi expeditas in perpetuum attributi, itaut ab ejusdem scamni seu sedilis usu et possessione a nemine quavis auctoritate ullo unquam tempore valeant amoveri. Ubi vero pro deferenda Umbella seu Baldacchino in supplicationibus Pontificiis, necessarius forte numerus non adsit dilectorum Filiorum utriusque Signaturae nostrae Referendariorum, quibus hujusmodi honorem privative concessum esse dignoscitur, hujusmodi numerum, praesente Pontifice ab ipsius Cubiculariis secretis vel his etiam deficientibus, ab aliis ejusdem Cubiculariis, honoris nuncupatis, eodem vero Pontifice

absente, ab Advocatis Consistorialibus suppleri debere decernimus.

In Conciliis autem tam Generalibus, quam Provincialibus, aliisque, in quibus eosdem Aulae nostrae Consistorialis Advocatos, seu tanquam praesentis forte Pontificis Familiares Romanam Curiam sequentes, seu tanquam de Legati Apostolicae Sedis comitatu, vel etiam tanquam Decretorum, aut Juris Civilis Doctores, quemadmodum in more positum esse dignoscitur, locum et sessionem habere contingat; easdem omnino praeeminentias ac praerogativas tam respectu Officialium Romanae Curiae, quam aliorum quorumlibet, eisdem competere volumus, quas in Palatio nostro, atque in Romana Curia et Urbe obtinere solent.

Habitus porro formam eisdem usitatam Advocati praedicti in posterum etiam perpetuo retineant, tam in Pontificalibus aliisque solemnioribus functionibus, Cappellis, Consistoriis, Processionibus, Equitationibus, quam in ipsorum actibus Collegialibus; laneam scilicet talarem Cappam, coloris violacei, rubris undequaque suturis fulcitam, et Holoserico rubro subsutam, cum Capputio ab anteriori parte rotundo, a tergo vero prolixiori, Holoserico pariter rubro intrinsecus eodem vero etiam extrinsecus aestivo tempore; hiemali autem armellinis pellibus respective subsuto, eoque vel aperto, vel clauso pro functionum diversitate gestando. Habeant etiam Pluvialis usum in die Coronationis Romani Pontificis, et in altera die, qua novus Pontifex Constantinianae Lateranensis Basilicae possessionem solemniter capit; ut scilicet, dum ad decantandum laudes faustaque omnia novo Pontifici de Caelo adprecanda, praecinente supradicta quidem Coronationis die S. R. E. Cardinali Diaconorum Priore, in die vero Possessionis altero ejusdem S. R. E. Cardinali Priore Presbyterorum, una cum Subdiaconis Apostolicis procedunt, Pluvialibus transversis induantur; itaut pars aperta Pluvialis remaneat supra humerum dextrum, circa collum autem supra Pluviale Capputium de more deferant: Extra vero praedictas functiones, usualem gestationem Vestis Talaris nigri coloris, cum simili Mantellono rotundo, ab Alexandro Papa VII. Praedecessore nostro per speciale Decretum sub die vigesima septima Novembris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi quinti eidem Advocatorum Consistorialium Collegio privative concessam, approbamus et confirmamus; ita scilicet, ut nemini liceat similibus Vestibus et Insigniis uti, ipsisque electis Auditoribus Causarum sacri Palatii Cappellanis nostris vetitum sit hujusmodi habitum assumere, nisi de licentia Collegii praedicti Advocatorum Consistorialium, juxta antiquam observantiam, ab eodem Collegio per supplicem libellum expresse petenda et respective concedenda; quemadmodum Nos omnibus et singulis, et specialiter Auditoribus electis praefatis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium forsan inducta, per haec Apostolica scripta vetamus atque interdicimus.

Utque praeterea ex Alma Urbe nostra alio proficiscentibus praedictis Aulae nostrae Consistorialis Advocatis debitus honor ab omnibus habeatur, quod jam vivae vocis oraculo eisdem concessimus, ut scilicet habitu viatorio ad formam habitus per Praelatos et Familiares nostros extra Urbem gestari soliti, servato tamen nigro colore, Advocati praedicti uti possint et valeant, praesentium quoque tenore expresse concedimus et indulgemus.

Praecipua vero et propria eorum Collegii munera ea sunt, quae circa Consistorium, et actus atque negocia in eo gerenda atque tractanda, versantur: Quae quidem ita ipsorum Advocatorum Consistorialium propria sunt, ut ad ipsas functiones pro hujusmodi Advocati munera in Consistorio peragendas nequidem admittantur ex eodem Collegio illi, qui inter Romanae Curiae Praelatos adscripti reperiuntur, nisi Praelatitio habitu deposito, habitum Advocati Consistorialis in eum finem induere consentiant. Cum igitur aliqua majoris momenti causa in Consistorio secreto veteri more judicialiter agenda erit, non alii, quam Advocati Consistoriales praedicti ad deducenda Partium jura sunt admittendi. Et quoniam inter majores causas, quae a Romano Pontifice cum Venerabilium Fratrum suorum consilio definiuntur, Beatificationes Servorum Dei, ac Beatorum Canonizationes

merito recensentur, congruum propterea visum est, ut praerogativa scribendi in Jure in hujusmodi causis Collegio Advocatorum Consistorialium reservaretur; quamvis habita ratione plurium Officiorum, quae illis incumbunt, opportune quoque statutum sit, a Congregatione Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus praeposita, duodecim alios e celebrioribus Romanae Curiae Causarum Advocatis ad hunc effectum approbari et deputari, ad hoc ut Causarum hujusmodi Postulatores earum Patrocinium alicui ex illis, pro ipsorum libitu, servatis servandis valeant demandare.

Ad ipsos tamen Aulae Consistorialis Advocatos privative spectat publicas in Consistorio instantias proponere pro Servorum Dei Beatificatione, aut Beatorum Canonizatione, hoc est in Consistoriis publicis, quae in traditione Pilei Cardinalitii novis Cardinalibus creatis, seu in receptione Legati Sedis Apostolicae ad Urbem redeuntis, aut alicujus Principum Oratoris ad praestandam Obedientiam Sedi Apostolicae missi celebrantur, Orationes habere super meritis ac virtutibus praedictorum Servorum Dei et Beatorum, instando apud Summum Pontificem, ut eorum Beatificationis aut Canonizationis Causae committantur, seu ulterius promoveantur, aut respective expediantur; quemadmodum abrogato veteri more minus decenter inducto, declamandi scilicet de rebus profanis et plerumque de atrocioribus criminibus conflictis et imaginariis, per Urbani Papae VIII. Praedecessoris nostri Decretum sub die vigesima Septima Januarii anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi editum, subsequuta deinde circa methodum in hujusmodi Orationibus servandam peculiari institutione firmatum fuit. Pro quibus Orationibus peragendis, quae in duo aut ad summum in tria Consistoria singulae dividi consueverunt, quaeque non solum a Senioribus et Participantibus, sed etiam a Junioribus et coadjutoribus per turnum, servato antianitatis ordine, et Coadjutoribus praedictis tam ex propria, quam ex Coadjuti persona haberi solent, decem scuta auri in auro Advocato peroranti pro qualibet vice, ex maleficiorum proventibus, expedito Mandato a Notario Charitatis, eoque a Gubernatore Almae Urbis nostrae subscripto persolvi debent.

In iis pariter publicis Consistoriis, quae pro alicujus Beati Canonizatione coguntur, ad Advocatum pertinet Consistorialis Aulae, vitam, virtutes, atque miracula Servi Dei fuse integreque enarrare, atque instantias Ecclesiarum, Principum, et Populorum pro ejusdem Servi Dei Canonizatione Summo Pontifici repraesentare. Idemque paratus esse debet praedicta omnia, si opus sit, in sequenti Consistorio semipublico strictim referre. Deinde in die solemni Canonizationis in Vaticana Basilica peragendae, iterum pro definitivae sententiae prolatione coram Summo Pontifice publice instare. Pro quorum omnium implemento is, qui ea gesserit, ex emolumentis, quae occasione Canonizationis Advocatorum praedictorum Collegio debentur, triginta scuta monetae percipiet; a Postulatore autem causae, eidem dono dabitur Imago depicta Servi Dei inter Sanctos relati.

Quotiescumque demum Summo Pontifici in Consistorio sedenti supplicandum fuerit, sive ii, quorum res agitur in Curia praesentes sint, sive absentes, dummodo non sit Imperatoriae, Regiae, aut Cardinalitiae dignitatis, et in ipso Consistorio personaliter constituti; id nonnisi alicujus Advocati Consistorialis voce et opera peragendum erit. Ipsique S. R. E. Cardinales, ubi suae dignitati renunciare, eamque in manibus Summi Pontificis dimittere voluerint, per Advocatum pariter Consistorialem a Collegio de ipsorum assensu deputandum, praesentibus eorumdem Procuratoribus legitimum mandatum habentibus, instantiam suam in Consistorio proponi facere debent: Qua de causa centum Ducati auri de Camera ad Collegii creditum antea depositi, eidem Collegio praestandi sunt, iique inter Participantes aequis portionibus dividendi.

Similiter, Patriarchae, Archiepiscopi, et nonnulli ex Episcopis, qui vel ex Ecclesiarum suarum juribus, vel ex personali concessione honore Pallii decorantur, illud in Consistorio secreto per interpositam Advocati Consistorialis personam postulabunt. Ideoque si Patriarcha, Archiepiscopus, sive Episcopus, ut supra Pallio donandus, in Romana

Curia praesens existat, in Consistorio praedicto coram Pontifice se sistet, medius inter Advocatum pro eo perorantem a dextris, et Magistrum Caeremoniarum a sinistris; si vero Praelatus extra Curiam moretur, illius Procurator dextrum, Magister vero Caeremoniarum sinistrum, Advocatus autem Consistorialis medium locum tenebit; atque hic pro supradicti Pallii concessione demissas Pontifici preces exhibebit. Et nisi agatur de Ecclesia in partibus Infidelium existente, vel cui ad instantiam, et juxta Decretum Congregationis S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositae de Pastore provisum fuerit, Advocatus praedictus decem Ducatos auri de Camera, qui praecedenter depositi esse debent, pro hujusmodi petitione percipiet. Ad has vero petitiones in Consistorio proponendas soli admittentur septem Advocati Seniores seu participantes, per turnum, exclusis Junioribus et Coadjutoribus, nisi ex persona alicujus ex Senioribus praedictis ad postulandum accesserint.

Alterum vero Officiorum genus, quod eidem Advocatorum Consistorialium Collegio privative incumbit, ad hujusce Almae Urbis nostrae Archigymnasii et studii generalis regimen spectat: Cujus Gymnasii Rectoratus cum olim uni ex Praelatis Romanae Curiae ad ejus vitam concedi et assignari soleret, a Sixto Papa V. Praedecessore nostro per ejus litteras anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, decimo Kalendas Septembris sub Plumbo datas, pluribus ex causis animum ipsius moventibus, nec non in compensationem certae pecuniarum summae a praedicto Advocatorum Consistorialium Collegio in eum finem persolutae, eidem Advocatorum Consistorialium Collegio cum omnibus, et singulis illius Officii juribus, redditibus et emolumentis, nec non cum quibusvis honoribus, oneribus, jurisdictionibus, facultatibus, et privilegiis supradicto Rectori Praelato alias competentibus, perpetuó unitum, annexum et incorporatum fuit.

Quam proinde unionem et perpetuam annexionem et incorporationem Officii Rectoratus hujusmodi, una cum facultatibus ipsum Gymnasium ejusque Ecclesiam, Scholas et Bibliothecam regendi, asservandi, et gubernandi, unumque ex proprio Collegio in singulos annos studiorum Rectorem, atque alterum Bibliothecarium, tum etiam Bibliothecae praedictae Custodes aliosque Gymnasii praedicti Officiales et Ministros, respective eligendi et deputandi; salvó eorum jure, quibus vel oneroso, vel alio legitimo titulo nonnullorum Officialium hujusmodi deputatio competere dignoscatur; necnon ejusdem Bibliothecae libros permutandi, statuta quoque, ordinationes et provisiones pro Gymnasii praedicti meliori regimine et utilitate condendi, faciendi et publicandi, atque illa seu illas, toties quoties eisdem seu eorum majori parti expedire videbitur, mutandi et innovandi, sicuti per Praedecessores nostros Sixtum V., Clementem VIII. et Alexandrum VII. Romanos Pontifices eisdem alias concessae fuerunt, approbamus et confirmamus, et quatenus opus sit, de novo concedimus et indulgemus.

In eligendis autem per concursum, quoties ita Nobis et Successoribus nostris placuerit, tam Juris Canonici, et Caesarei in Archigymnasio praedicto Antecessoribus, quam aliorum Theologiae, Linguae sanctae, aliarumque Linguarum et eloquentiae, necnon rationalis et experimentalis Philosophiae, Medicinae, et ceterarum artium et facultatum, quae in Archigymnasio hujusmodi publice traduntur, et explicantur, Professoribus atque Lectoribus; volumus, ut concurrentium examini coram Ven. Fratre nostro Annibale Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali Camerario, et ejusdem Archigymnasii atque Universitatis studii generalis Cancellario S. Clementis nuncupato, ejusque in Officio Camerariatus hujusmodi Successoribus habendo, Advocati praedicti collegialiter semper assistant; et pro eorum, qui examinati fuerint, electione una cum Camerario praedicto, qui tamen duplicis suffragii jure gaudere debeat, iidem Advocati Consistoriales suffragium ferant. Et quidem examen eorum, qui ad obtinendas Cathedras in Decretis, seu in jure civili scientiam et peritiam suam profitentur, ab ipsis Advocatis Consistorialibus peragendum erit. Ad aliarum vero scientiarum, sive facultatum, aut Linguarum Lectores Candida-

tos experiendos atque probandos, ab Archigymnasii Rectore pro tempore deputato, cum praedicti S. R. E. Cardinalis Camerarii participatione et assensu, alii assumentur Assessores in scientiis, facultatibus, et linguis hujusmodi praestantes, juxta quorum consilium atque sententiam tam Camerarius, quam Advocati praedicti in suffragiis ferendis super Concurrentium peritia judicia sua dirigere valeant. Ac denique totius examinis, sive concursus, et suffragiorum latorum relatio, Nobis seu Romano pro tempore Pontifici fiet; ut vacanti Cathedrae, sive lecturae, de persona habili et idonea, auctoritate Apostolica provideatur.

Firmamque praeterea et ratam perpetuo esse volumus privativam facultatem Candidatos in utroque seu alterutro Jure Canonico et Caesareo experiendi, probandi, eosdemque Doctores in utroque seu alterutro Jure praedictis in Romana Curia et Urbe creandi, eisque Doctoratus hujusmodi insignia conferendi, supradicto Advocatorum Consistorialium Collegio tum antiquae consuetudinis et possessionis jure competentem, tum etiam expressis Praedecessorum nostrorum Indultis et privilegiis multoties concessam et attributam, praesertim vero a fel. record. Sixto Papa IV., Julio Papa III., Sixto Papa V., et Clemente Papa VIII., prout in eorum litteris decima octava Septembris anni millesimi quadringentesimi octuagesimi tertii, sexta Februarii anni millesimi quingentesimi quinquagesimi secundi, tertia Septembris anni millesimi quingentesimi octuagesimi septimi, et duodecima Septembris anni millesimi sexcentesimi primi, respective datis plenius disponitur et continetur. Asserta vero privilegia, indulta, licentias et facultates, quorum praetextu aliae personae, seu Collegia cujuscumque status, gradus, conditionis et praeeminentiae, id sibi licere contendunt, licet alias a praedictis aliisque Praedecessoribus nostris declarata, moderata, seu respective revocata, annullata, et viribus vacuata fuerint: Nos etiam, quacumque auctoritate et potestate, et quibuscumque ex causis, etiam ex titulo oneroso, et sub quibusvis verborum formulis, expressionibus, clausulis et Decretis, etiam per Nos et Praedecessores nostros Sedemque Apostolicam, eadem praedictis concessa forent, et quantumvis longae et immemorabilis consuetudinis usu ab eisdem sive personis, sive Collegiis possessa et obtenta fuerint, praesentium pariter tenore, quatenus opus sit, revocamus, annullamus et viribus perpetuo vacuamus.

Et nihilominus attendentes, quod inter dilectos Filios Collegium nostrorum et Sedis Apostolicae Notariorum, Protonotariorum nuncupatorum, de numero Participantium, ex una, praedictumque Collegium nostrae Consistorialis Aulae Advocatorum, ex alia parte, lis, et causa super facultate promovendi ad gradum Doctoratus in utroque vel altero Jurium, tam in Urbe ejusque districtu, quam extra illam et illum, in Causarum Palatii nostri Apostolici Auditorio, coram certo illius Auditore introducta, adhuc pendet indecisa; Nos, qui jura, rationes, et exceptiones utriusque partis, tam voce nostris auribus insinuata, quam scripto deducta, per Nos ipsos accurate examinavimus, et matura consideratione perpendimus: Volentes ab utroque Collegio tam Notariorum, quam Advocatorum hujusmodi, quorum singulares personae familiares nostri existunt, omnes et quascumque super hac re lites, et controversias penitus e medio tollere, eorumque respective jura, facultates et privilegia certis congruisque limitibus praefinire; Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, praedictam ac quamcumque aliam, si qua sit, litem et causam, in praedicto Auditorio, vel alio quovis Tribunali coram quocumque Judice, et in quacumque instantia, inter utrumque Collegium hujusmodi super praemissis pendentem (illius respective statum, merita et alia quaecumque etiam de necessitate juris vel facti omnino exprimenda, necnon utriusque Collegii praedicti concessiones, indulta, privilegia, et litteras Apostolicas, eorumque totales et integros tenores satis Nobis cognitos et perspectos, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes), harum serie ad Nos avocamus, penitusque et omnino supprimimus, et extinguimus, perpetuumque desuper silentium imponimus, atque os occludimus. Eisdem vero Notariis de numero

praedicto nullatenus licuisse, aut licere statuimus et declaramus, obtentu et vigore litterarum fel. record. Sixti Papae V. Praedecessoris nostri incipien. *Laudabilis* super eorum privilegiis editarum, sub datum videlicet nonis Februarii Pontificatus sui Anno Primo, vel quarumvis aliarum litterarum Apostolicarum sub quacumque forma eidem Collegio concessarum, examinationem cujusquam, Doctoratus gradum in altero vel utroque jure suscipere cupientis, ad Partes, et extra Urbem committere, nec sub aliena fide, et relationibus examinationis hujusmodi, absentem quemquam cum clausula, ac si esset praesens, prout saepius hactenus factum fuisse intelligimus, ad hujusmodi Doctoratus gradum in eadem Urbe promovere; sed tantummodo Notarios nostros praedictos, eorumque Collegium quatuor personas singulis annis, easque in Urbe praedicta vere, et realiter praesentes, praevio rigoroso examine personaliter, et collegialiter per ipsosmet Notarios faciendo, et non aliter, nec alio modo, ad normam Indulti Apostolici a rec. mem. Urbano Papa VIII. etiam Praedecessore nostro eidem Collegio concessi, per suas litteras datas sub Annulo Piscatoris die quinta Septembris Anni millesimi sexcentesimi vigesimi noni, ad Doctoratus gradum hujusmodi promovere, libere et licite posse praesenti nostrae declarationis oraculo definimus: Decernentes sic, et non aliter intelligendas, et interpretandas fuisse, atque in posterum intelligi, et interpretari debere eorundem Sixti, et Urbani Praedecessorum litteras praedictas, quas pro majori cautela, et quatenus opus sit, eatenus limitamus, revocamus et abolemus, quatenus praesentibus nostris litteris in aliquo adversentur, easdem in omnibus et per omnia ad viam et terminos earundem praesentium reducentes; ne in re, quae tanti momenti est pro recto ac felici Sanctae Ecclesiae et Reipublicae gubernio, vel periculum immineat, quod sub aliena fide et relationibus, ad gradus hujusmodi promoveantur indocti, et qui si diligentem examinationem per ipsosmet Notarios personaliter et collegialiter adhibitam subjissent, minus idonei forsan reperti fuissent. Vel id, quod absurdum reputamus, sequatur, ut scilicet praedicto Notariorum nostrorum Collegio, cui de vere et realiter praesentibus in eadem Urbe, nonnisi quatuor singulis annis diligenti praemisso examine, juxta memoratum Urbani Praedecessoris Indultum, ad gradum praedictum promovere concessum fuit; id ipsum in numero indefinito permissum censeatur, quoad eos, qui ab eadem Urbe absentes, et in remotissimis fortasse regionibus constituti permaneant.

Ad consulendum tamen indemnitati eorum, qui hactenus a dilectis Filiis Sedis Apostolicae Notariis praedictis extra Urbem, et in absentia contra praesentis nostrae declarationis tenorem, Doctoratus gradum in utroque vel alterutro jure susceperint; omnes et singulas hujusmodi promotiones ad hunc diem peractas auctoritate nostra perpetuo revalidamus; et quascumque promotionum hujusmodi nullitates, ex potestatis dumtaxat defectu provenientes, earumdem praesentium tenore sanamus: Easdemque promotiones et gradus hactenus ita collatos, et respective susceptos, ad omnes effectus, ad quos de cetero valere censebantur, eisdem sic, ut praefertur promotis in posterum etiam suffragari debere statuimus.

Quia vero illustre et perantiquum eorundem Notariorum de numero Participantium Collegium hujusmodi, ob grata devotionis et familiaritatis obsequia, quae Nobis et Apostolicae Sedi incessanter impendit, aliaque illius et Notariorum praedictorum merita, speciali benevolentia prosequimur, volentes aliquam propensae nostrae erga illud voluntatis significationem exhibere, eisdem Notariis de numero praedicto, eorumque Collegio plenam liberamque licentiam, facultatem et potestatem per easdem praesentes tribuimus et impertimur, ut ipsi de cetero in perpetuum singulis annis, non quatuor duntaxat personas, easque familiares et pauperes, prout in dictis Urbani Praedecessoris literis praescriptum reperitur, sed vigore praesentium, sex quidem personas, etiamsi non familiares, nec pauperes (dummodo tamen in Urbe praesentes existant, aliaque necessaria requisita illis suffragentur) ad praedictum gradum Doctoratus in altero, vel utroque jure promovere possint et

valeant: Ita quod sic per eos pro tempore promoti, et laureati omnibus et singulis favoribus, honoribus, gratiis et privilegiis; quibus similes Doctores in publico Archigymnasio Sapientiae Urbis laureati de jure, usu, privilegio, consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, pariformiter et aeque principaliter uti, frui, potiri, et gaudere possint et debeant, ac ad omnes et quoscumque effectus, etiam Ecclesias Cathedrales assequendi, ab omnibus ubique censeri, haberi, et reputari, ac si in praedicto Archigymnasio vere promoti et laureati fuissent: Ampliantes et extendentes quoad haec utrasque Sixti et Urbani Praedecessorum literas praedictas, de cetero in suo robore permansuras.

Volumus autem, quod iidem Notarii, eorumque Collegium praedictum in promotione et creatione dictorum sex, alterius, vel utriusque Juris Doctorum, omnia, et singula ad praescriptum dictarum Urbani Praedecessoris et nostrarum praesentium servanda et adimplenda, omnino servare et adimplere teneantur: Et quod numerus dictorum sex, et non ultra, quavis de causa uno anno non completus, non possit, nec valeat subsequentibus annis compleri vel reintegrari: Quodque nota rogitus promotionum, cum nominibus et cognominibus ac Patria promotorum, intra mensem ex tunc proximum, a die cujuslibet promotionis computandum, ad Archivium Urbanum, ad instar aliorum rogituum, per Secretarium Collegii hujusmodi, vel per ipsos promotos et laureatos, deferri omnino debeat: Et tunc solum videlicet, postquam nota praedicta ad Archivium Urbanum delata fuerit, et non antea, talis promotus pro Doctore se gerere, et pro legitime laureato et promoto ad quoscumque Juris effectus haberi possit, alias promotus ipse pro Doctore publice, vel privatim se gerens, poenam falsi ipso facto et jure incurrat.

Omnes vero alias promotiones et creationes Doctorum in utroque, seu altero Jurium, atque Insignium Doctoralium traditiones ab aliis, quam Advocatis Consistorialibus praedictis, etiam per Comites Palatinos, aut per ipsos Notarios de numero Participantium, eorumque Collegium, praeter vel contra praescriptam formam, et ultra praefinitum numerum, in Romana Curia et Urbe praedicta in posterum factas vel faciendas cum omnibus inde secutis et sequendis quibuscumque, irritas et inanes nulliusque roboris vel momenti esse et fore, ac pro nullis et infectis haberi et censeri, neminique ad quoscumque effectus ullo unquam tempore suffragari debere, ipsosque ab aliis quam Advocatis praedictis, etiam per eosdem Notarios de numero praedicto, ultra sex praefatos, ad gradum Doctoratus hujusmodi nulliter et attentate promotos vel assumptos, pro non Doctoribus haberi, eadem Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus.

Praeterea supradictos nostrae Consistorialis Aulae Advocatos, eorumque Collegium amplioribus favoribus et gratiis prosequi, et tam praedicti Archigymnasii Almae Urbis nostrae splendori et dignitati, quam feliciori atque utiliori Romanae Curiae statui et regimini plenius consulere et providere volentes, simulque dignum rationique consonum reputantes, ut quicumque ad Dignitates, Praelaturas, Magistratus aliaque munia et Officia dictae Curiae, quae in eadem Curia, et in Romana Urbe consistunt, et in ea exercentur, et quae Doctoratus gradum in utroque vel altero Jurium annexum habent, aut quomodolibet requirunt, pro tempore assumi, et promoveri desiderant, eorum doctrinae et idoneitatis in praedicto Archigymnasio publicum praebeant experimentum; Apostolica auctoritate praedicta, motuque, scientia, et potestatis plenitudine paribus, statuimus atque sancimus, ut ii quidem, qui ante diem publicationis praesentium ad hujusmodi Doctoratus gradum in quacumque publica et approbata tam Status ecclesiastici, quam extera Universitate studii generalis, legitime promoti extiterint, ad Praelaturas, Magistratus, Judicaturas, Lecturas et Dignitates etiam Ecclesiasticas dictae Urbis, necnon ad facultatem scribendi tam in jure, quam in facto, et patrocinandi uti Procuratores in causis coram praedicto Rotae Romanae Auditorio, dummodo cetera necessaria requisita illis alias respective suffragentur, admitti,

illasque et illos seu illa recipere, retinere, et exercere libere et licite possint et valeant; nec ob id eundem Doctoratus gradum in dicto Archigymnasio iterato suscipere cogantur. Contra vero ii, qui ante diem publicationis earumdem praesentium literarum nondum doctoralem gradum, ut praefertur, suscepisse comperti fuerint, ad aliquam ex dignitatibus, vel aliquod ex beneficiis Ecclesiasticis in Basilicis, aut Collegiatis, vel aliis Ecclesiis ejusdem Urbis consistentibus, pro quibus assequendis, obtinendis, vel retinendis ex Sacrorum Canonum, aut Generalium Conciliorum, vel Constitutionum Apostolicarum, seu aliarum Sanctionum dispositione, vel etiam ex lege fundationis, gradus et qualitas Doctoralis requiratur, ac etiam ad Praelaturas, Magistratus, Judicaturas, etiam alieno nomine exercendas, et Lecturas publicas Urbis et Curiae praedictarum, nec non ad facultatem patrocinandi tanquam Procuratores in causis coram eodem Rotae Auditorio, aut respondendi de jure, seu scribendi pro Advocati munere coram quocumque Judice, seu Tribunali; ac demum ad quodcumque munus vel Officium Urbis et Curiae praedictarum in ipsa Urbe exercendum, quod de jure pariter, vel statuto, aut ex aliqua Apostolica Constitutione et Ordinatione, vel etiam ex longa et inveterata consuetudine gradum et qualitatem Doctoralem hujusmodi exigat, vel requirat, non possint, nec valeant recipi, vel admitti, illasque ac illos et illa respective obtinere vel exercere; etiamsi Praelaturae et Judicaturae praedictae ejusdem Rotae, Camerae, et Cancellariae Apostolicae, Signaturae nostrae, Populi Romani, vel cujusvis Collegii etiam privilegiati et privilegiatissimi, ac specialem et specialissimam ac specificam et individuam mentionem et expressionem requirentis existant; nisi ante admissionem et receptionem hujusmodi, vel quoad praedicta beneficia et dignitates Ecclesiasticas, infra tempus a jure vel Constitutionibus et Canonicis Sanctionibus praedictis, aut in fundatione respective praefixum, Doctoratus gradum in ipso publico Urbis nostrae Archigymnasio susceperint: Decernentes et eadem auctoritate statuentes, quod gradus Doctoratus hujusmodi post earumdem praesentium publicationem in alia quavis studii generalis Universitate tam extera, quam Status nostri Ecclesiastici, quantumvis publica, approbata, celebri et famosa, ac specialissima mentione digna, datus et receptus, ipsis graduatis ad quemcumque alium, non autem unquam ad effectum assequendi supradictas Dignitates, Praelaturas, Judicaturas, Lecturas, Munera et Officia praedicta in Curia et Urbe nostra, suffragari de reliquo valeat; immo pro effectu praemissorum Doctoratus gradus alibi datus et receptus, habeatur et haberi debeat, ac si nullo modo datus ac receptus fuisset.

Ab hac tamen generali lege illos dumtaxat exceptos esse volumus, quos in vim Apostolici privilegii seu Indulti alicui Nationi, Civitati, Universitati, seu Collegio ab hac S. Sede concessi, vel ad munus Advocati Consistorialis, ut supra, vel ad Auditoratum Causarum Palatii nostri Apostolici nominari, et Nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti, praesentari, seu alias juxta Indultorum hujusmodi tenorem eligi et deputari contingat: Ut scilicet, si illi qui ad praedicta Officia nominati seu electi fuerint, in aliqua conspicua Universitate illius Nationis, aut Civitatis, vel in ea respective Universitate aut Collegio, quibus indulta hujusmodi, seu privilegia concessa fuerunt, ad Doctoralem gradum in utroque jure promoti fuisse dignoscantur, hujusmodi gradus ab iis, ut praefertur susceptus, juncto illius seu illorum testimonio, qui eos praesentaverint, necnon Pontificis judicio, qui eosdem ad praedicta Officia elegerit et deputaverit, satis eisdem suffragari censeatur, ad effectum assequendi hujusmodi Officia, eaque servatis servandis exercendi, absque eo quod ad iteratam praedicti gradus susceptionem in dicto Sapientiae Archigymnasio compelli possint.

Ut igitur ordinatio et statutum nostrum hujusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observetur, Ven. Fratribus nostris Thomae Episcopo Ostien. et Velitern. S. R. E. Cardinali Vice-Cancellario Rufo, et Annibali Episcopo Portuen. ejusdem S. R. E. Cardinali Camerario S. Clementis; necnon di-

lecto Filio nostro Nereo S. Eustachii praedictae S. R. E. Diacono Cardinali Corsino nuncupatis, Signaturae nostrae Justitiae Praefecto, eorumque in dictis Officiis Successoribus; et dilectis praeterea Filiis, Collegiis Notariorum Apostolicorum, Protonotariorum nuncupatorum de numero Participantium, et Cappellanorum nostrorum, Causarum S. Palatii Auditorum, necnon Clericorum Camerae nostrae Apostolicae, et Signaturae Justitiae Referendariorum Votantium, atque Abbreviatorum de Parco Majori, ipsorumque Aulae nostrae Consistorialis Advocatorum, et Procuratorum Causarum Sacri Palatii, eorumque respective Decanis; Capitulis quoque, seu Collegiis Basilicarum, Collegiatarum, et aliarum Ecclesiarum dictae Urbis, aliisque Superioribus et Personis praesentibus et futuris, ad quos nunc quomodolibet spectat, et pro tempore spectabit, per haec eadem scripta committimus et injungimus, quatenus ordinationi et statuto praedictis humiliter intendentes, praemissa observari et adimpleri curent, nec quemquam in posterum ad Dignitates, Praelaturas, Magistratus, Judicaturas, Lecturas, Munera, Officia, et Beneficia praedicta; qui Doctoratus gradum in praedicto Archigymnasio non susceperit, extra casus a Nobis, ut supra exceptos, admittant seu recipiant, neque contra ordinationis et statuti nostri hujusmodi seriem, dispositionem et tenorem a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari ullo unquam tempore permittant.

Quaecumque demum Romanae Curiae munera praedicto Advocatorum Consistorialium Collegio tam expressis Praedecessorum nostrorum concessionibus, quam longae consuetudinis usu privative, ut praefertur, attributa esse dignoscuntur, ea omnia et singula ita supradicto Collegio addicta et acquisita esse declaramus, ut perpetuis futuris temporibus neque munus Promotoris Fidei; de quo Decretum adest Urbani Papae VIII. sub datum die decima tertia Januarii anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi, in favorem ipsius Collegii hactenus inviolabiliter observatum; et quo Nos ipsi, dum in minoribus constituti, in eodem Collegio locum obtineremus, plures annos perfuncti fuimus, neque Officium Advocati Pauperum, aut aliud Advocati Fisci et Camerae nostrae Apostolicae; quae olim Seniori de Collegio praedicto pro tempore incumbebant, deinde vero arbitrio Summi Pontificis, in aliquem tamen de ipso Collegio semper conferri consueverunt; nec illud pariter Advocati Fabricae Basilicae Apostolorum Principis, aut illud Advocati Senatus et Populi Almae Urbis nostrae, vel denique munus Commissarii Conclavis Sede vacante, alteri cuiquam personae, praeterquam alicui ex dicto Collegio Advocatorum Aulae nostrae Consistorialis, quacumque in contrarium consuetudine, si quae forte circa aliquod ex praemissis muneribus allegari posset, minime obstante, concedi debeat aut assignari.

Volumus tamen praedicta Officia Promotoris Fidei et Advocati Fisci, quae duo olim ab una eademque persona conjunctim obtineri et exerceri consueverant, sed a recol. mem. Praedecessore nostro Clemente Papa XI. justis et rationabilibus de causis ab invicem disjuncta et separata fuerunt, per ejus litteras perpetuo valituras die septima Aprilis anni millesimi septingentesimi septimi in forma Brevis expeditas, sic etiam in posterum separatim conferri, et a duobus respective Advocatis Consistorialibus exerceri; quidquid deinceps in praxi servatum fuerit, et obtineat de praesenti in persona dilecti Filii Magistri Ludovici de Valentibus moderni Fidei Promotoris, et Fisci Advocati, per specialem gratiam eidem a fel. record. Praedecessore nostro Clemente Papa XII. concessam, et ultra ipsius personam nullatenus extendendam. Proindeque assignationem portionis panis et vini, necnon scutorum tercentorum monetae Romanae, quae deinde laudatus Clemens Papa XI. per alias suas in simili forma litteras datas die trigesima Aprilis anni millesimi septingentesimi decimi quarti, ex salariis et emolumentis Advocati Fisci detracta, una cum hujusmodi portione panis et vini praedicto Fisci Advocato ex Palatio Apostolico antea dari solita, Promotori Fidei pro tempore existenti de cetero persolvi mandavit, auctoritate praedicta et harum serie approbamus, confirmamus et innovamus, atque in posterum, quum casus evenerit demanda-

tae separationis reipsa iterum exequendae, perpetuo servari mandamus.

Praeterea districte praecipimus, ut quicumque ex praedictis Advocatis ad munus Advocati Fisci et Camerae Apostolicae, itemque ad aliud Advocati Pauperum deputati fuerint, omnino abstineant a suscipiendo Patrocinio aliarum Causarum, quae ad Officium sibi respective commissum minime pertineant; quaecumque pariter in contrarium consuetudine minime obstante.

Ut autem tot tantisque publicis gravissimisque muneribus assiduam operam impendere Advocati praedicti commode valeant, et spirituali simul eorundem consolationi per Apostolicae benignitatis favorem consultum sit, quod jam per alias nostras in forma Brevis litteras sub die vigesima octava Februarii anni millesimi septingentesimi quadragesimi secundi expeditas, eisdem elargiti fuimus, id etiam praesentium tenore, et auctoritate praedicta confirmamus et innovamus, ut scilicet eisdem Advocatis Consistorialibus eorumque Coadjutoribus nunc et pro tempore quandocumque existentibus, in privato Domus cujuslibet eorum habitationis, etiam in hac Alma Urbe nostra, Oratorio ad hoc decenter muro extructo et ornato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per dilectum Filium nostrum in eadem Urbe ejusque Districtu Vicarium in spiritualibus Generalem, quoad Oratoria in dicta Urbe, et quoad alia extra eandem Urbem per Ordinarium loci respective prius visitando et approbando, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in Domo hujusmodi celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per se ipsos, si Sacerdotes fuerint, celebrare, seu per quemcumque Sacerdotem approbatum Secularem, vel de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium praejudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua, ac quatenus conjugati existant, in eorum respective Uxorum, necnon in eorundem Filiorum, Consanguineorum, et Affinium secum insimul in eadem Domo habitantium, ac cujuslibet eorum Familiae praesentia, celebrari facere libere et licite possint, ita tamen ut Uxores, et nati, ac Consanguinei et Affines supradicti praedictam unicam Missam ipsis quidem Advocatis praesentibus audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere valeant, quodque Familiares eorum servitiis non necessarii ibidem Missae interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de praecepto liberi minime censeantur. Utque hujusmodi gratia ii duntaxat ex Advocatis Consistorialibus fruantur, qui super illa Apostolicas in forma Brevis litteras ad uniuscujusque favorem expediendas petierint, atque obtinuerint, et non alias.

Praeterea omnia et singula supra expressa, atque alia Collegio Advocatorum hujusmodi concessa Privilegia et Indulta, necnon ejusdem Collegii laudabiles stylos, usus et consuetudines, ordinationes quoque, Constitutiones, atque Statuta pro ipsius Collegii felici regimine et gubernio facta et condita, licita tamen et honesta, ac sacris Canonibus et Concilii Tridentini Decretis, Constitutionibus Apostolicis et praesentium tenori ac dispositioni minime contraria, Apostolica auctoritate earundem tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque plenariae et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris, quam facti, necnon solemnitatum quarumcumque quomodolibet omissarum, aliosque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, illaque omnia auctoritate et tenore praedictis innovamus, et de novo concedimus, ac ab omnibus et singulis personis, ad quas pro tempore spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter perpetuo servari volumus et mandamus. Utque supradicta eorum Statuta, Constitutiones, ordinationes, stylos, usus, et consuetudines pro rerum tempore et personarum qualitate, ac quoties eis expedire videbitur, abrogare, cassare, mutare, alterare, et alia illorum loco facere, condere, edere, et servare libere et licite valeant, quae postquam facta, condita et edita fuerint, dummodo, ut praemittitur, licita et honesta, sacrisque Canonibus et Decretis dicti Concilii, Constitutionibus Apostolicis, ac praesentium tenori con-

traria non existant, eo ipso dicta auctoritate confirmata sint, ac ab omnibus et singulis, quos ea concernunt, in futurum sub poenis in eis contentis observari debeant: Insuper ut ipsorum Collegii Secretarium, aliosque Officiales et Ministros pro suo arbitrio eligere et deputare, amovere, dimittere, et mutare valeant, quoties id eis expedire videbitur; eisdem auctoritate et tenore praesentium, etiam perpetuo concedimus et indulgemus, plenamque, liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem impertimur, quacumque in contrarium consuetudine minime obstante.

Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque Causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter, aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali et substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, et de Apostolicae potestatis plenitudine simili concesso vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; Sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac dicto Collegio et Advocatis pro tempore existentibus in omnibus et per omnia, etiam perpetuo suffragari, ipsumque Collegium ad verificationem seu justificationem praemissorum, vel partis eorum minime teneri, aut ullo modo quacumque auctoritate compelli debere; sed easdem, et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse servari.

Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis praedictae Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca eisdem Ven. Fratribus nostris Thomae Episcopo Ostiensi et Veliterno S. R. E. Cardinali Vice-Cancellario Rufo, et Annibali Episcopo Portuen. ejusdem S. R. E. Cardinali Camerario S. Clementis respective nuncupatis; necnon dilecto Filio Magistro Flavio Chisio Causarum Curiae Camerae nostrae Apostolicae Auditori Generali, eorumque pro tempore in Officiis hujusmodi Successoribus, per haec Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alios, seu alium, auctoritate nostra praedictis Aulae nostrae Consistorialis Advocatis, eorumque Collegio in praemissis omnibus et singulis, efficacis defensionis praesidio assistant, faciantque eos, et eorum singulos, quoties pro ipsorum parte super hoc fuerint requisiti; omnibus et singulis praefatis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos, et eorum aliquem, per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari, inquietari aut impediri. Contradictores quoslibet et rebelles cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae fuerint, per Censuras Ecclesiasticas, et pecuniarias poenas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita compescendo.

Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, necnon praemissis omnibus, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quibusvis Almae Urbis nostrae

Collegiorum quorumcumque, Tribunalium, Universitatum, necnon praedicti Advocatorum Consistorialium Collegii, et Gymnasii, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, et Indultis etiam in corpore juris clausis, aut literis Apostolicis quibusvis personis et eidem Urbi, nec non dilectis Filiis Populo Romano, aliisque Civitatibus et locis, Collegiis quoque, Tribunalibus, Universitatibus, aliisque quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam clausulis et Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, et de Apostolicae potestatis plenitudine, seu Consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, occasiones praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, ad praemissorum effectum plenissime et amplissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrarijs quibuscumque.

Volumus insuper, et eadem auctoritate praedicta mandamus, ipsas praesentes, seu earum transumpta in locis solitis Almae Urbis nostrae per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est publicari, et affigi, sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Utque earundem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis, ampliationis, et extensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, quarto Kalendas Septembris Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Card. Passioneus

J. Datarius.

VISA
de Curia I. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

È Vaticano redeundum modo est ad Quirinalem alterum Conventum in posterum diem a Cursoribus Pontificiis indictum: Tenor Admonitionis erat.

INTIMATIO.

Per Cursores facienda etiam Domi dimissa copia.

Die 10. *Junii Feria* 6. hora decima tertia *in enunciata Palatii Quirinalis Aula alterum erit Consistorium semipublicum pro futuris Canonizationis solemniis beati Camilli de Lellis Confessoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris.*

In suffragiis ferendis eadem servabitur Methodus, quae pro non absimili Consistorio fuit jam alias praescripta.

Ideo intimentur omnes et singuli Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales, necnon Reverendissimi DD. Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi in Urbe praesentes, ac

Domini Protonotarii Apostolici, duo Antiquiores Rotae Auditores, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, Promotor Fidei et Procurator Fiscalis Camerae Apostolicae.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae.

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

Iisdem caeremoniis, quas nudius tertius significavimus, iisdem ferme Personis adstantibus, quae adfuerant in superiori, hoc quoque Consistorium peractum est. Pontifex praefari ita coepit.

VENERABILES FRATRES. Post causam beati Fidelis a Sigmaringa, quam Vobis in praecedenti Consistorio proposuimus, alteram beati Camilli de Lellis in hoc praesenti Consistorio Vobis exhibemus; et quemadmodum in causa beati Fidelis sacram antiquitatem, et hujus sanctae Sedis disciplinam ante oculos habuimus, ita profecto mentem eandem idemque Institutum in proponenda causa beati Camilli hodierna die retinemus. Equidem inter Martyres ipse non recensetur, sed inter Confessores, eo quod praeclarissimis sane virtutibus, ac meritis exornatus ex hac mortali vita in Caelum migraverit, naturali tamen mortis genere; neque in odium christianae Religionis interfectus vitam amiserit. Quamvis autem confessorum cultus post Martyrum cultum inductus fuerit, tamen illum pariter antiquum esse, minime est dubitandum; cum ex seculo quarto hujus rei monumenta certissima suppetant, etiamsi illorum sententiam sequamur, qui sacram antiquitatem magis accurate diligenterque perscrutantur. Hanc opinionem Nos amplexi sumus in Commentariis nostris DE CANONIZATIONE SANCTORUM, omittentes eam disputationem, quae viros eruditos in duas partes dividit, utrum cultus sancti Hilarii Pictaviensis, an sancti Martini Turonensis Confessorum antiquior in Ecclesia dicendus videatur.

Haec quoad sacram antiquitatem; Verum quoad hujus Sanctae Sedis disciplinam, nemo ignorat, Monachos primos fuisse, qui consilia Evangelica sibi penitus imitanda proposuerint, deinde Mendicantium Ordines hanc viam ingressos esse, ac postremo eos coetus, qui Clerici Regulares appellantur. Illud etiam cognitum est omnibus perspectumque, Sedem hanc Apostolicam semper proclivem fuisse, ut inter Sanctos referret Ordinum Regularium Fundatores, si illi virtutibus heroicis gloriaque miraculorum post obitum, uti necessario requiritur, maxime excelluerint: non una tamen semper eademque ratione, cum antiquiores ritu antiquiori, tacito videlicet Summorum Pontificum assensu, ceteri recentiori ritu, expresso videlicet assensu, immo prolata a Summis Pontificibus definitiva sententia, fuerint Sanctorum Fastis adscripti, juxta duplicem canonizandi modum, de quo in recensitis nostris Commentariis luculenter egimus, epochas temporum statuendo, quod an feliciter fuerimus assecuti, aliorum esto judicium.

Porro juxta primum Canonizationis morem, cultum publicum in Ecclesia universali obtinuerunt Paulus, Antonius, Basilius coetuum Monachorum

Fundatores in Oriente, Augustinus, Benedictus, Columbanus eorumdem coetuum Monachorum Fundatores in Occidente; juxtaque secundum Canonizationis morem, ceteri Ordinum Regularium Institutores Canonizationis honorem sunt assecuti, ut ex Tabulis Ecclesiasticis et monumentis, quae in Vaticanis Tabulariis asservantur, et a Nobis saepe perlecta sunt, plane desumitur.

Alexander etenim III. solemni ritu Sanctorum numero adscripsit Bernardum Fundatorem, ac Parentem totius Familiae Monachorum Claraevallensium; Clemens III. Stephanum Fundatorem Ordinis Grandimontensis in Aquitania; Coelestinus III. Joannem Gualbertum Institutorem Congregationis Vallisombrosae, ac Giraldum Parentem Monachorum Sylvae majoris in Gallia Aquitanica; Gregorius IX. Franciscum Assisinatem, et Dominicum, quorum primus Fratres Minores, alter vero Fratrum Praedicatorum Ordinem instituerunt; Clemens V. inter Sanctos adnumeravit Coelestinum V. Congregationis Coelestinae Fundatorem; Leo X. Franciscum de Paula Parentem Fratrum Minimorum, Gregorius XV. Philippum Nerium, ac Ignatium de Loyola, quorum primus Presbyteros Oratorii nuncupatos, alter Societatem Jesu constituerunt. Postremo Clemens X. Catalogo Sanctorum addidit Nomen Cajetani Ordinis Regularis Theatinorum Fundatoris; Alexander VIII. nomen Joannis de Deo, qui Fratres servientes pauperibus infirmis in suis Nosocomiis instituit; Clemens XII. nomen Vincentii de Paulis Fundatoris Sacerdotum, qui sacris Missionibus addicuntur.

Cum haec ita sint, hodie proponitur Vobis beatus Camillus de Lellis Clericorum Ministrantium Infirmis Parens atque Institutor. Vobis exhibita fuit ante oculos series ipsius vitae, corporis cruciatus, continuum virtutum summe praestantium exercitium, et coetus Regularis non solum Institutio, sed etiam propagatio in varias Orbis terrae partes cum maxima Fidelium spirituali ac temporali utilitate, postremo descripta perpendistis miracula, quae Deus ob illius intercessionem ac nomen patravit. Quamobrem sententias vestras expectamus, utrum solemnis beati Camilli Canonizatio decernenda videatur, ejusque nomen inter Sanctos coetum Regularium Fundatores publico consuetoque ritu sit adscribendum.

Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi hoc ordine Canonizationi B. Camilli suffragantes ejus sic merita extulere.

PETRUS Aloysius Episcopus Albanensis Cardinalis Carafa.

Beatus Camillus de Lellis Christi Domini tum praecepta, tum consilia secutus ad tam heroicam sublimitatem pervenit, ut dum Se suosque Asseclas ad ministrandum Infirmis in extremo laborantibus devovit, non humanam solum, sed plane Angelicam excellentiam, videatur attigisse; ait enim Apostolus de Angelis loquens (a): *Omnes sunt Administratorii spiritus propter eos missi, qui haereditatem capiunt salutis;* non videtur quippe opus hominum, sed Angelorum, ministrum

(a) *Epist. ad Hebr. cap.* 1. *v.* 14.

agere alienae salutis, Infirmosque in extremis periculis constitutos, juvare ad eam haereditatem capessendam, a qua deturbari facile possent ab eo Adversario, qui semper (b) *circuit quaerens quem devoret, et cui jubemur resistere fortes in fide*. Angelicarum igitur virtutum praestantiam, Caelo per miracula plaudente, adeptus beatus Camillus ex ministerio Infirmis praestito, jure quodammodo suo exposcit, ut Angelorum Civis et socius Ecclesiae judicio declaretur.

FRANCISCUS Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Cardinalis Burghesius.

Quum tanti intersit, quanti Tu, BEATISSIME PATER, pro incredibili sapientia tua probe nosti, catholicae Religionis viros eos, qui vitae sanctitate, et optimis Institutis de re christiana praeclare sunt meriti, in Divos referre; non equidem video, quid esse causae amplius possit, quamobrem non eum honorem, PATER BEATISSIME, nunc tandem attribuas nostro Camillo de Lellis. Quam bene hic meritus sit de Ecclesia tum rebus aliis, tum longe maxime praecipua illa, qua ipse fuit, suosque discipulos esse jussit benignitate atque assiduitate in aegrotos homines, norunt sane omnes; ut mirum non sit, meam adhuc sententiam cum judicio sententiisque aliorum congruere, qui universi Camillum ipsum hoc honore dignissimum censent.

ANTONIUS XAVERIUS Tit. S. Stephani in Monte Caelio Presbyter Cardinalis Gentili.

Effudit divitias suas charitas Dei in beatum Camillum Ordinis Ministrantium Infirmis Institutorem; ideo divino igne succensus factus est spectaculum mundo, Angelis et hominibus; Mundo quidem cujus illecebras post poenitentiam reliquit, sprevit, despexit; Angelis quorum vigilem curam, et assiduum ministerium in animarum salute procuranda anxia animi solicitudine est imitatus; Hominibus demum, quos docuit, et docet adhuc per Alumnos suos inter extremas corporis angustias, superatis infernalis hostis insidiis, pretiosam in Domino mortem obire. Beato itaque Dei Servo tot virtutibus illustri, et adeo de christiana Republica benemerito, communi omnium plausu SANCTITAS VESTRA publicos solemnesque honores decernet.

Fr. JOANNES ANTONIUS Tit. SS. Silvestri et Martini ad Montes Presbyter Cardinalis Guadagni.

Quamquam supernis Servorum Dei charismatibus exornetur Ecclesia, et aedificetur ex lapide pretioso omnis circuitus muri ejus, beati tamen Camilli de Lellis Clericorum Ministrantium Infirmis Fundatoris eo splendidius sanctitate decoratur, quo ceteris praeluxit ut norma virtutum. Deo siquidem afflante de laxiori perditionis via ad arctam salutis semitam revocatus, tam ardenter esurivit et sitivit justitiam, ut per reliquum vitae cursum, de proximorum salute sollicitus in adjuvandis potissimum aegrotis in extremis vitae periodis constitutis, Apostolici viri rationem retinuerit, ac per ardentem in Deum et Proximum charitatem Evangelicae legis plenitudinem impleverit. Reliquum igitur est, ut beatum Camillum de Lellis virtutum meritis cumulatum, ac miraculis a Deo post indultam eidem Beatificationem illustratum SANCTITAS VESTRA Vicariam Christi in terris gerens potestatem Sanctorum Fastis adscribat; habeantque ejus Alumni Infirmis ministraturi in hoc pietatis officio splendidius virtutum exemplar, ac Fideles in extremo agone certantes efficacius in Caelo praesidium.

TROJANUS Tit. S. Caeciliae Presbyter Cardinalis de Acquaviva.

Cum Te jubente, BEATISSIME PATER, ad trutinam vocata, maturoque judicio perpensa fuerint miracula, quae Auctor bonorum omnium Deus, vere mirabilis in servis suis, ad sanctitatem beati Camilli de Lellis illustrandam patravit; duoque jam plenis

(b) 1. *Petri cap.* 5. *v.* 8. *et* 9.

suffragiis sint probata: Instantaneae scilicet sanationes Luciae Theresiae Petti, et Margaritae Castelli, quae incurabili prorsus morbo laborantes in ultimo vitae discrimine versabantur: Quid aliud remanet, nisi illum juxta sapientissimum SANCTITATIS VESTRÆ Decretum in numero Sanctorum describere? Quod ut fiat enixe precamur, et ita fieri absque ulla haesitatione sentimus.

DOMINICUS Tit. SS. XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis Riviera.

Admirabilis plane fuit, BEATISSIME PATER, vita beati Camilli de Lellis, qui pluries humana infirmitate in sinistram deflectens, pluries manifesto Dei digito fuit revocatus in dexteram, donec per virtutum omnium gradus, praecipue vero ardentissimae erga Deum atque homines charitatis, ascensiones in corde suo disponens, Ordinis adeo de christiana Republica benemerentis fuerit Institutor et Auctor.

Porro a Deo, qui magnificus est in sanctitate, eo impetrante, tot signa in dies ac prodigia eduntur, ut meo quidem judicio minime sit dubitandum, quin Ei SANCTITAS VESTRA supremos in terris honores Apostolica Auctoritate decernat.

JOANNES BAPTISTA Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis Spinola.

BEATISSIME PATER. Mirabilis Deus in iis, quos eligit sibi ad gloriam sui nominis amplificandam, Proximique tum animae, tum corporis curandam salutem, excelsae dexterae suae mutatione fecit virtutem in B. Camillo de Lellis. Is licet prius Adolescens errasset in invio, ad tantam nihilominus heroicarum virtutum amplitudinem praeordinatus fuit, ut nova Ecclesiam prole foecundaverit, a qua erga Proximum a nemine antea ex tot sacrorum Ordinum Institutoribus excogitatum extremae charitatis officium opusque exercetur. Sicuti itaque in hujusmodi insigni virtute Deus ipse legis suae basim totumque fundamentum constituit: nil mirum, quod illa omnium aliarum heroicarum virtutum genera B. Camillo contulerit, quibus vivens emicuit, ut tanquam lumen in Candelabro positum ceteris luceret. Praestantissimum propterea omnibus dedit exemplum, praesertim vero cum vix Ordine instituto, grassante peste se ipsum Deo, suosque Alumnos pro publica salute devoveret. Æquum porro est, ut a SANCTITATE VESTRA intra Coelites adnumeretur, quorum consortio jam gaudet.

RAYNERIUS Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.

Quod in corporum curatione ad caeleste prodigium refertur, cum haec in instanti contingat, potiori jure de animarum instantanea sanatione asserendum videtur. Hujusmodi Divinae misericordiae prodigium expertus est beatus Camillus de Lellis, qui inopinata et extraordinaria de Caelo luce perfusus de repente in novum hominem mutatus de Belial ad Christum transitum fecit. Ut autem anteactae vitae crimina plenius expiaret, asperrimum Capuccinorum Institutum amplexus est, sed cum ob valetudinis imbecillitatem in eo permanere non posset, molestissimo et pleno laboris Infirmorum servitio se addixit, in quo maxima charitatis, humilitatis et patientiae praestitit argumenta, quae magis ac magis patefacta fuere in dirissimis illorum temporum calamitatibus, quibus Roma afflictabatur.

Eandem in obeundis perfectissimae charitatis muneribus sanctissime obiit, tot ejusdem charitatis haeredes relinquendo, quot instituta ab eo Religio de christiana Republica optime merita Sacerdotes et Alumnos enumerat.

Cum autem Beati hujus sanctitatem Deus ipse, qui est mirabilis in Sanctis suis, innumeris post mortem signis comprobaverit, ut plane testatur frequentissimus ad ejus Aras concursus, sapientissimo Sacrae Generalis Rituum Congregationis judicio, quae tuto ad ejus Canonizationem procedi posse judicavit, libenti animo adhaereo.

DOMINICUS Tit. S. Bernardi Presbyter Cardinalis Passioneus.

Gloriosa filia Regis Ecclesia, scilicet sponsa Christi, exhibetur nobis in Psalmo

Prophetico *Circumdata varietate*, eximiis nempe maximisque virtutibus undequaque ornata atque praecincta. Ne quid vero deesset ad tantae pulchritudinis dignitatem et speciem, inventus est Camillus de Lellis, qui divino ductus consilio, post tot exhibita ab aliis per omnem aetatem Ecclesiae et Proximo christianae charitatis officia, cum animadvertisset Messem multam et Operarios paucos, aptissimum, quem superesse viderat, modum adhibuit, quo in ultimo agone certantibus faciles aditus ad aeternitatem pateret, instituta ad hoc tam arduum et tam salutare opus Societate, quae dante Domino incrementum longe lateque fuit propagata. Cum igitur praecipui sacrarum Familiarum Institutores a Praedecessoribus tuis in Sanctorum Albo relati sint, aequum est, BEATISSIME PATER, ut auctoritate et doctrina, qua ceteris antecellis, Viro adeo insigni et de aeterna animarum salute tam bene promerito, idem deferatur honor, ac eodem amplissimo et immortali praemio donetur.

Fr. JOACHIMUS Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Portocarrero.

Inter sanctos Viros, qui nova militantem Ecclesiam prole amplificarunt, merito locum, BEATISSIME PATER, petitur beato Camillo de Lellis esse adscribendum. Habet enim ille testimonium in bonis et magnis operibus, ejusque miserationes ascenderunt ante conspectum Domini. Ab errore namque viae suae in libertatem vocatus Filiorum Dei, magnas virtutes operatus est, et prodigium factus est multis. Ignorantiam vero anteactae vitae, ac maculas tanta dilectione operuit et emendavit, ut alterum vas electionis fieri promeruerit. Cumque vera charitas nunquam excidat, Ordinem Religiosorum hominum instituit, in quo perenne illius in Deum immensae et Proximum charitatis eluceret testimonium. Superest igitur, ut heroicam tanti Viri sanctitatem per signa et prodigia a Caelo comprobatam, ampliori excolendam cultu universae SANCTITAS VESTRA enunciet Ecclesiae.

CAMILLUS Tit. SS. Joannis et Pauli Presbyter Cardinalis Paulutius.

Ad solemnem beati Camilli de Lellis Canonizationem esse procedendum, BEATISSIME PATER, humillime censeo. Hanc enim exposcit heroicitas illa, qua cum primum ipse caelesti quadam luce fuit circumfusus, Paulo simillimus veterem statim exuens, novumque indutus hominem christianarum virtutum exercitio continuo jugiterque vacavit: Ad hanc impellunt miracula ab Altissimo ipsius intercessione patrata.

Eximia vero, quae singillatim recenseri possent de ejusdem virtutibus, et de aestuanti praesertim in Deum et Proximum charitate argumenta clare satis elucent in fundatione novae Religionis, qua spirituali morientium incolumitati consulere studuit; quaeque faciliorem profecto semitam sternit, ut ille qui vitae sanctitatem Populorum utilitati conjunxit, Sanctorum Fastis adscribatur.

CAROLUS ALBERTUS Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Cardinalis Guidobonus Cavalchini

Beatissime Pater. Miserator et omnipotens Deus, qui patienter agens non vult aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti, magnificavit profecto misericordiam suam in B. Camillo de Lellis. Facta scilicet in eo mutatione dexterae Excelsi nihil illi saevum, nihil immane visum est, quod pro Dei gloria sustineret, pro salute hominum operaretur. Praestat igitur BEATISSIME PATER, eximium hunc Virum solemniori, qua licet, pompa Sanctum et Electum Dei in Ecclesia declarare, ut ii praesertim, quos Camillus in arduo Infirmorum ministerio sollicitudinis suae haeredes voluit, impensius quotidie fervidam ejus charitatem aemulari non desinant (a): *Armantur enim filiorum animi, dum Patrum recensentur triumphi.*

(a) *S. Eucher. Lugdunen. in homil. de SS. Petr. et Paul.*

FRIDERICUS Tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Lantes.

Infirmi accincti sunt robore, siquidem B. Camillus, qui dum viveret (a) *firmus imbecillitates infirmorum sustinuit*, quique etiam hodie per suos Alumnos, ipso videlicet e Caelis auspice, haud cessat levamento eis esse ac solatio, inter Sanctos solemniori ritu est referendus. Id censeo jure optimo factum, si facis, BEATISSIME PATER, ac more institutoque majorum: Quandoquidem id non flagitat modo testata miraculis beati Viri sanctitas, judicio etiam eoque gravissimo Philippi Nerii, quem honoris causa nomino, comprobata; sed in primis postulant insignia ipsius, quae nobis reliquit, monumenta virtutum.

FRANCISCUS Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Cardinalis Riccius.

Beatissime Pater. Quo tempore B. Camillus de Lellis militaribus stipendiis vacabat, caelesti lumine mirabiliter illustratus, anteactae vitae libertatem et secularia desideria illico abhorrens, non propriae tantum, sed Proximorum salutis, et praecipue aegrotorum in extremo vitae discrimine laborantium summopere sollicitus, nihil intentatum reliquit, quod eorum spirituali auxilio opportunum esse crediderit. Opus vero tam pium et laudabile noluit angustissimo suae vitae curriculo circumscribi, sed posteritatis bono consulens novam Familiam instituit ad ejusdem operis firmitatem et complementum, quam sane nostris oculis conspicimus totis viribus aemulantem virtutes omnes emeritissimi Fundatoris, cujus amplissima merita miraculorum testimonio pluries comprobata, jure optimo postulant, ut ejus praeclarissimum nomen SANCTITATIS VESTRÆ Oraculo Sanctorum Albo adscribatur.

ANTONIUS Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.

Aequitati consentaneum est, BEATISSIME PATER, ut qui pro gloria Dei et Proximorum utilitate in agro militantis Ecclesiae laboravit, uberrimosque fructus collegit, mercedem recipiat. Sane si Apostolus pro bono certamine certato et cursu consummato coronam justitiae sibi a justo Judice praeparatam expectabat exoptabatque: Cum B. Camillus de Lellis pariter bonum certamen certaverit, cursumque feliciter consummaverit, a Te, PATER BEATISSIME, justo Judice Christi in terris Vicario, Canonizationis coronam expectat.

Quanta enim vero et qualia Beatus iste cumulaverit merita, ut hujuscemodi consequeretur coronam, ex iis quae hujusce sanctae Sedis judicio comprobata extant, luculentissime constat; de profunda videlicet humilitate, de invicta fortitudine, de ardenti in Deum et Proximum charitate. Novit olim Roma, novit Janua, Mediolanum, Buclanicum item et Neapolis noverunt, quanta flagrantis charitatis dederit argumenta, ut Proximum a peste cum animae, tum corporis vindicatum cerneret.

Quare sicut non abs re existimaverim beatum hunc Virum id martyrii genus, quod proprie Confessorum est, plene consummasse, de quo praeclare loquitur sanctus Bernardus: *Horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius;* ita spes omnium effulget, ut SANCTITAS TUA eo, quo polles, superno lumine ad sacras Aras admoveas, ad Fidelium incitamentum et ad S. R. E. praesidium.

D. FORTUNATUS Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis Tamburinus.

Ab eo, quem male instituerat, vitae cursu divina ope revocatus Camillus de Lellis, induit novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*ad Ephes.* 4.). Cujus quidem justitiae veraeque sanctitatis Camilli luculentissima argumenta fuerunt virtutes, quibus excelluit, sed prae ceteris ardens amor in Proximos. Quo amore ad aeternam eorum salutem procurandam, dum in supremo vitae discrimine versantur, adeo exarsit, ut Ordinem Religiosorum hominum instituerit piissimo huic

(a) *Paul. ad Rom. cap.* 15.

operi praesertim addictum. Quo facto maximum sane Fidelium animis ad salutem impetrandam adjumentum attulit, totamque sibi Camillus devinxit Ecclesiam; quae proinde jure abs Te petit, BEATISSIME PATER, ut honores sanctis Viris debitos in eum conferendos existimes, ejusque memoriam pie semper et sancte recolendam decernas.

D. JOACHIMUS Tit. S. Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis Besutius.

Beatum Camillum de Lellis, qui se coetumque suum publicae saluti devovit: illaque heroica charitate, qua majorem nemo habuit, ut animam suam poneret pro Fratribus suis donatum: cujus sanctitatem gravissima sancti Philippi Nerii auctoritas comprobavit: virtutes in gradu heroico et miracula, post mortem quoque, legitime constant: inter Sanctos meo quoque suffragio jure annumerandum decerno, quodque suo Decreto SANCTITAS VESTRA hoc ipsum Ecclesiae toti pronuntiet, demisse humiliterque exoro.

CAROLUS S. Mariae in Via lata Diaconus Cardinalis Marinus.

Cum (Deo ipso testante) majorem nemo habeat charitatem, quam qui suam animam pro amicis suis ponere non recuset: Quanto excellentior illa erit, qua beatus Camillus de Lellis, non se ipsum tantum pro omnibus Nosocomiorum Infirmis, quocumque etiam tabido et diffusivo morbo laborantibus, assiduo ejus vitae discrimine in hostiam Deo placentem exhibuit.

Sed meritissimum etiam Religiosorum Ordinem, ad hoc idem praecise munus instituit, ut ad quoscumque privatarum quoque domuum aegrotantes, in mortis agone positos, adjuvandos, et in hoc omnium maximo aeterni mali discrimine in salutis viam dirigendos die noctuque per pluvias, frigora et aestus, (quocumque posthabito vitae periculo) statim occurrerent, et per hoc perpetuum de se Proximo sacrificium renovarent.

Cum vero hunc eximium charitatis apicem, non modo insigni prodigio, Christi Domini effigies, sermone a se promanante illustraverit: Verum etiam inaudito prorsus exemplo tot crebris, aliis insignibusque miraculis, intra solum modicum quatuor annorum spatium, a die privati cultus ab eo obtenti patratis; binisque ex illis rite approbatis: Manifestius idem Dominus se modo velle explicaverit, ut quemadmodum hic Beatus totius Orbis saluti prospexit; ita ipse pariter in omnibus Orbis plagis solemnioris ritus glorificatione claresceret.

Hanc adeo perspicuam SANCTITAS VESTRA vocem Domini non audiret, si nunc hujusmodi meritissimam illius triumphi ampliationem diutius differre vellet.

ALEXANDER S. Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Albanus.

Divino sane consilio factum puto, quod SANCTITAS VESTRA ad militantis Ecclesiae praesidium et triumphantis ornamentum, B. Camillum Sanctorum Fastis meditetur adscribere. Direxit eum siquidem Dominus in vias rectas, ipsoque Jesu hortante, et S. Philippi Nerii usus consilio, aggressum iter alacriter prosequens, ut omnes Christo lucrifaceret, egenis opem, viduis auxilium, tutelam pupillis, peregrinis hospitium, aegrotis, quorum praecipua ei fuit cura, assiduum praestitit ministerium. Quin et Ordinis, cujus ipse Auctor fuit, Religiosos asseclas Infirmorum Ministros esse voluit, qui promptum corporibus levamen et caelestem animis afferrent medelam. Quare unum hoc superest, ut nempe piis fidelium votis indulgens SANCTITAS VESTRA, solemnes publici cultus honores illi decernat.

NERIUS S. Eustachii Diaconus Cardinalis Corsinus.

Tanta fuit charitas, quae miris modis diffusa est in corde B. Camilli de Lellis, primum erga Deum, deinde erga Proximos, et praecipue Infirmos, etiam pestilenti morbo laborantes, ut ne ea unquam excideret, Religionem instituerit, quae perpetuo iis usque ad extremum vitae praesto foret; ex illa autem charitatis radice, quum omnium etiam virtutum propagines emanaverint, jure ac

merito, BEATISSIME PATER, ipsum in Sanctorum coetum cooptandum putarem.

AGAPITUS S. Agathae Gothorum Diaconus Cardinalis Mosca.

Vidit Granatense Xenodochium Joannem de Deo impavidum inter flammas incedentem, ut aegrotantes e flammis eriperet; et inde sensit christianus Orbis segniorem in eum fuisse ignem, qui foris usserat, quam qui intus accenderat. Vidit quoque Xenodochium sancti Spiritus Urbis Camillum de Lellis per tres dies impavidum in aquas, ulceroso etiam crure prosilientem, ut Infirmos eorumque grabatos a succrescentibus tiberinis undis ad tutiora loca, humeros supponendo transveheret; et inde christianus Orbis intellexit, aquas multas non potuisse extinguere charitatem ipsius. Charitas igitur qua in Deum atque in Proximum et corporis et animae in procuranda omni studio salute flagravit Camillus, reliquarum praeterea virtutum fastigium, ad quod vitam agens conscendit; Signorum denique splendor, quo ad hanc usque aetatem coruscat, postulant, BEATISSIME PATER, ut eundem in Sanctorum Albo recenseas.

CAROLUS MARIA S. Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis Sacripantes.

In beato Camillo de Lellis admirabilis certe fuit, BEATISSIME PATER, dextera Excelsi, quae post tenebras ejus tantum lumen suae gratiae in eo coruscare dignata est, ut vir electus a Deo inextinguibili aestuans charitatis ardore totum Orbem et hanc Urbem prae ceteris accenderit, ac mirabiliter illustravit, omnibus omnia factus et animis corporibusque sanandis fidelis Servus ab ipso Domino constitutus. Igitur quia multa bona operatus est, dignus mihi sane videtur, ut consequatur etiam in terris coronam gloriae, quam ipsi reddidit justus Judex in Caelis.

MARIUS SS. Cosmae et Damiani Diaconus Cardinalis Bolegnettus.

Diu latuit sacrificiorum ignis, et fatiscentibus annis jam in aquam crassam abierat. Verum ubi (a) tempus affuit, *quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, itaut omnes mirarentur*. Diu quoque latuit Camillus de Lellis. Verum ubi tempus affuit, quo in bonum Ecclesiae omen supremam Petri Cathedram, BEATISSIME PATER, conscendisti, Camillus, qui prius videbatur in nubilo, protinus heroicarum virtutum memoria atque probatione refloruit, signorumque claritate refulsit. Tibi ergo uni, BEATISSIME PATER, qui pro Sanctorum Causis agendis, tot transegisti vigilias, tot impendisti labores, Camilli Causam Divino pene consilio reservatam fuisse intelligimus, ut nimirum eam (b) ad perfectionem *Sanctificationis Suae expostulantibus* omnium votis perducere dignareris.

PROSPER S. Georgii Diaconus Cardinalis Columna de Sciarra.

Miracula, quae ad invocationem B. Camilli patrata temporibus nostris pene vidimus, atque audivimus, *habent*, teste Augustino Tract. 24. in Joannem, *linguam suam, et quamdam Dei eloquentiam praeseferunt;* ideoque certam reddunt SANCTITATEM VESTRAM, Deum velle, ut in Ecclesia militanti colatur B. Camillus, de cujus solemni sanctificatione agitur in praesentiarum, quae si modo infallibili SANCTITATIS VESTRÆ judicio decernatur, gloriabuntur Fideles imitari illum, quem veluti Heroem in virtutibus, et praecipue in charitate in Proximum admirati sunt, quemque solemni voto obstrictum Infirmis, et praesertim pestifero morbo afflictis inserviendi, labores plurimos pro Proximorum salute suscepisse, praesentissima mortis pericula adivisse, palam omnibus factum est illo genere probationum, cui fidem detrahere piaculum reputatur.

(a) *Lib.* 2. *Machab* 1. (b) *Numer. cap.* 6. *vers.* 21.

ALEXANDER S. Mariae in Aquiro Diaconus Cardinalis Tanarius.

Beatissime Pater. Beatus Camillus de Lellis, ut in rectam mandatorum Dei semitam, a qua deflexerat, constantissime ambularet, luce de Caelo facta, in admirabilem perfectumque misericordiarum virum mutatus est. Quanta vero deinceps singularis vitae sanctimonia claruerit, et quam luculenta immensae charitatis in Proximos et ardentissimi amoris in Deum dederit testimonia: Tum ea, quae hac in Urbe, alibique locorum, pestilentia praesertim grassante, hominesque absumente ipse perfecit: Tum ea, quae a Sociis nova etiam pro aeterna aegrotantium salute, Religiosorum hominum Congregatione instituta perficienda curavit, manifestissime ostendunt. Quamobrem cum omnia diligenter peracta sint, quae ad illius Canonizationem ab hac sancta Sede postulantur; nihil aliud superesse video, quam ut Eum veracissimo tandem SANCTITATIS TUÆ Oraculo Sanctorum Fastis adscriptum veneremur.

HIERONYMUS S. Adriani Diaconus Cardinalis de Bardis.

In primo quidem aetatis cursu B. Camillus de Lellis de via mandatorum deflexerat; sed satis in tempore (a) misericordiam suam Deus super illum effudit, (b) ut anteactae vitae annos in amaritudine animae recogitaret; jam inde autem tantos in heroicis virtutibus progressus fecit, ut (c) veteri homine secundum pristinam conversationem deposito, novum plane in justitia et sanctitate veritatis indueret.

Ex qua quidem (d) dexterae Excelsi mutatione, cum multos cepit Ecclesia fructus, hunc in primis, quod eo authore Ordo Clericorum Ministrantium Infirmis extiterit. Ad eam ille rem sanctissimi Philippi Nerii Confessarii sui consiliis usus plurimum, immo et Christi Domini ipsius (e) facie ad faciem loquentis voce excitatus, subsidiarias quasi copias Religiosorum suffecit, qui ad assequendam coronam gloriae Fidelibus ceteris in extremo vitae certamine periclitantibus praesto essent. Quae quidem praeclara facinora cum et Apostolicae istius sanctae Sedis judicio, et clarissimis de Caelo signis comprobata jam fuerint, ut beatum hunc Virum non solum de militante Ecclesia, sed etiam de triumphante optime meritum inter sanctos illos Cives Jerusalem caelestis adscribat, a SANCTITATE VESTRA precibus omnibus oro atque obsecro.

DOMINICUS SS. Viti et Modesti Diaconus Cardinalis Ursinus.

Beatissime Pater. Praeclaro caelestis gratiae lumine Camillus velut alter Saulus in itinere perculsus, ex vase irae in vas electionis commutatus est, et ad virtutes omnes heroice excitatus, ardentissimo praesertim flagravit amore in Deum et Proximum suum, ad cujus perennem perpetuamque utilitatem divino plane consilio Clericos Regulares Infirmis ministrantes instituit: Quam charus Hominibus, Angelis ipsis admirabilis, et dilectus Deo fuerit Camillus, innumera ferme prodigia ab ipso patrata plenissime obtestantur: Quare merito inter Caelites numerandus est ad gloriam triumphantis Ecclesiae militantisque praesidium.

MUNDILLUS Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

Beatissime Pater. Innumeras easque omnes heroicas beati Camilli virtutes, quibus Regnum Dei possidere meruit, libenter praeteribo. Illud tantum dicam; neminem fortasse reperiri posse, qui cum venerit Filius hominis in sede majestatis suae, verba illa potiori jure auditurus sit: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi; esurivi enim et dedistis mihi manducare; sitivi et dedistis mihi bibere; hospes eram et collegistis me; nudus*

(a) *Eccles.* 18.
(b) *Isa.* 38.
(c) *Ephes.* 4.
(d) *Psal.* 76.
(e) *Exod.* 33.

et cooperuistis me; Infirmus et visitastis me: Ejus enim vita in hoc potissimum versata est, ut Fratribus Domini haec universa praestaret, atque adeo Domino ipsi praestitisse sit merito existimandus. Quare maxime congruum est, ut supremi Judicis sententiae, qua beatus Camillus inter Electos extrema die advocabitur, SANCTITAS VESTRA, quae Judicis ejusdem vices meritissime gerit, sententia sua praeire, atque ut ita dicam, praeludere jam nunc constituat.

ANTONIUS MARIA Pallavicini Patriarcha Antiochenus Assistens.

Beatus Camillus de Lellis in Nosocomiis sancti Spiritus, et sancti Jacobi Incurabilium insignia praebuit ardentissimae in Deum et Proximum charitatis exempla: Et ne unquam usque ad consummationem seculi deficerent, Congregationem instituit, quae assiduo ministrans Infirmis illum quodammodo redivivum, immo in piissimis Filiis multiplicem redderet. Additis insuper reliquis ejusdem virtutibus a Deo Opt. Max. plurimis signis comprobatis, censerem tutissime posse SANCTITATEM VESTRAM beatum Camillum sanctorum Confessorum non Pontificum Albo adscribere.

THOMAS Cervini Patriarcha Hierosolymitanus Assistens.

Quoniam Jacobi sententia haec est: *Qui converti fecerit fratrem suum, salvabit Animam ejus;* ad eximium heroicae dilectionis splendorem pervenisse dicendus est beatus Camillus de Lellis, qui tanta exarsit in Proximum charitate, ut se suosque Infirmorum ministerio perpetuo dicaret, ad aeternam eorumdem salutem, ubi major urget necessitas, spiritualibus subsidiis procurandam.

Haec autem et alia excelsa beati Camilli merita insignibus miraculis comprobata eumdem Sanctorum gloria dignissimum probant.

GABRIEL Eva Syrus Maronita Archiepiscopus Cypri Assistens.

Quoniam ad stabiliendam Ecclesiae catholicae auctoritatem maxime conducit eorum, qui in ejusdem gremio vixerunt, sanctimonia, modo certis documentis eadem constiterit. Certus existimo SANCTITATIS VESTRÆ rationibus etiam atque etiam consentaneum esse, beatum Camillum de Lellis in Sanctorum Album referre, cujus spectata virtus cum viveret, et miraculorum gloria postquam in Caelum abiit, si SANCTITATIS VESTRÆ auctoritate declaratae fuerint, quin iniqua de nostra Ecclesia loquentium ora certe obstruantur, et optimae hujus Matris Filii in Domino laetentur, quorum communicata mecum vota dum hic expono, SANCTITATEM VESTRAM ut iis annuat, humillimis precibus exoro.

ALEXANDER Borgia Archiepiscopus Firmanus Assistens.

Beatissime Pater. Camillum de Lellis, quem Aprutium terris genuit, Ecclesia mea Firmana peperit Caelo. Ipse enim iterum de militia cogitans, et Venetias tendens amisso Patre in Oppido Dioecesis meae ad S. Elpidium ad mare, mox cum esset Firmi exemplo Alumnorum divi Francisci, quos Capuccinos dicunt, commotus primitias spiritus sensit, votoque pollicitus est eo in Ordine se Deo famulaturum. Dilata ex adolescentiae erroribus res, bis deinde tentata coeptumque Institutum, at ex tibiae vulnere dimittere coactus, novo Clericorum Infirmis ministrantium Ordine Ecclesiam auxit. Nec aegris tantum corporibus, sed et animis consuluit, cum peculiare sibi suisque esse voluit, periclitantibus Christifidelibus in extremo agone subvenire. Urbs haec praecipuum olim Camilli stadium, in quo ipse ad justitiae coronam cucurrit, quaeque flagrantem adhuc in Discipulis ejus charitatem erga agentes animam quotidie experitur, merito gestit Camillum colere Sanctorum Fastis adscriptum; idem postulat Ecclesia mea Firmana, ut illi quem in stadium misit, Coronato plaudat. Utrique censeo annuendum, praesertim cum omnipotens Deus postquam Tu, SANCTISSIME PATER, Virum hunc dixisti rite Beatum, novis ad invocationem ejus patratis miraculis ratum id acceptumque habuisse demonstret.

JOSEPH MARIA Ferronus Archiepiscopus Damascenus Assistens.

Apud Deum notae sunt et apud homines eximiae B. Camilli virtutes: Prae caeteris vero longe effulget divina charitas, qua per se suosque Alumnos Infirmis in supremo vitae agone versantibus, morte ipsa contempta prospexit. Caelestes itaque honores eidem merito constituendos existimo: *Si quis enim mihi ministraverit*, Dominus ait, *honorificabit eum Pater meus* (a).

MICHAEL de Palma Archiepiscopus Theatinus Assistens.

Maluit *Deus* (b), PATER BEATISSIME, *de malis bonos facere, quam nullos esse malos permittere*; Sicut enim inde humanae fragilitatis manifestatur conditio, ita misericordiae divinae largitas innotescit. Imperscrutabili aeterno judicio Dei, id actum esse dubitat nemo, in B. Camillo de Lellis, inclyti Ordinis Ministrantium Infirmis Fundator et Pater. Primae aetatis semitas incauto pede cucurrit, et inter juveniles laxitates diu haesit, intemperans Aleator: At aleis ludentem devicit tandem sagacius *ludens in Orbe gratia divina; et Virum mane per vitia rapientem, ad vesperas de thesauro virtutum effecit spolia dividentem*. Hinc mira fuere, quae dixit, gessit sive in Ecclesia, sive in Proximis suis. Ecclesiam quippe nova sobole auxit, ornavit. Proximos vero infatigabili charitatis officio refecit, roboravit, adjuvit. Profunda humilitate sui contemptor. Asperrima poenitentia sui insecutor: Altissima contemplatione supernarum mentium extitit aemulator: Dignus cui Angeli sancto Philippo Nerio spectante assisterent, famularenturque; ejusque felicissimam animam corpore tandem exutam, in sempiternam efferrent gloriae claritatem.

Pretiosam mortem Sancti sui mirabilem etiam reddidit Deus signis atque prodigiis, queis permota SANCTITAS VESTRA eo tandem devenit, ut pronunciaret: *Tuto procedi posse ad solemnem B. Viri Canonizationem.*

Superest nunc, PATER SANCTISSIME, ut id ipsum, quod fieri posse non est dubitatum, firmissimo Oraculo compleas et exequaris, beatumque Camillum de Lellis inter sanctos Confessores praecipias esse venerandum. Hoc a Te expectat catholicus Orbis; id fidens implorat Ministrantium Infirmis benemeritus Ordo. Idipsum denique enixius efflagitat, qui coram Beatitudine Tua humillime eloquitur, Archiepiscopus Theatinus, in cujus dioecesi Oppidum Buclanici clauditur, quod Sanctissimo Heroi natale praestitit solum. Ibique veluti e conspectu deprehendere licuit, religiosum cultum Populorum, crebrescentem in dies famam sanctitatis, et frequentium gloriam miraculorum. Adeo ut tanquam de re propria sollicitior evaserit animi ardor, ad expetitam solemnis Canonizationis gratiam a SANCTITATE TUA feliciter reportandam.

STANISLAUS Poliastri Archiepiscopus Rossanen. Assistens.

Dum suprema illa et admirabili, qua super omnes auctoritate et eloquentia eminet SANCTITAS VESTRA, divinae vocis interpres: et ex sublimiori, quo praesidet Apostolico Solio, beati Camilli de Lellis verba faciebat; dumque tanti Viri heroicas virtutes innumeris a Deo illustratas miraculis, debitis laudibus prosequendas debitisque celebrandas honoribus; mira, qua pollet ingenii sublimitate, dicendi foecunditate, et raritate prudentiae nobis ingerebat sectanda vestigia, nosque docebat, tunc demum pro merito congruis ille afficietur honoribus, cum publico Apostolicae Sedis judicio divinaque auctoritate Sanctorum Lauream feliciter consequetur: In ipsum Beatum, in ipsam Camilli praeclarissimis virtutum omnium gestis ornatam, innumerisque caelitus roboratam miraculis eximiam sanctitatem, mentis et oculorum aciem conjeci; cumque jam cogitare coepissem, quae et quanta in uno admirentur charismatum dona, quae et quanto sensu suo unusquisque sortitus erit gaudere triumpho, statim compertum habui, quam digna res esset, quam felix nostra conditio,

(a) *Jo.* 12. 26. (b) *S. August.*

si in Sanctorum agmine adscriptum haberemus Camillum! Et quidem profecto. Nam si fortiter ea, quae in Camillo errante, in Camillum poenitentem, sicuti de Saulo in Paulum inscrutabilis egerat divina Providentia, Errantibus ut in viam possint redire justitiae et veritatis, Camillus spem tribuit et lumen ostendit (a): aegrotis, ut ad portum sanitatis possint pervenire; Virtus Domini erit in illos ad sanandos eos. Si in mortis artigulo constitutis omnimodam eis aeternae salutis fiduciam, Coadjutoremque fidelem comparare velimus; Camillus egregiae Religionis Ministrantium Infirmis Institutor sollicitus praesto erit et verbo et auxilio, ut ipso mortis agone in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces. His igitur SANCTITATI VESTRÆ reverenter expositis, cum superna benignitate cautum sit atque dispositum, ut qui in terris positus ut esset exemplo, in Caelum levatus ut esset Patrocinio; vota excipiat et oret, quamcitius pro nostro omniumque praesidio, inter Sanctos relatum liceat, ut veneremur obsequio.

FERDINANDUS MARIA de Rubeis Archiepiscopus Tarsi Assistens.

Supremus ille omnium arbiter, qui toties (b) *substinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam*; sicut ex Saulo Paulum fecit, ita ex perdito aleatore Camillum sanctum fecit exemplum bonorum operum. Adeo male transacti temporis usuram sarcivit, ut quae reliquit virtutum specimina, jure postulent, sacris dypticis ipsius nomen adscribi. Ita qui prodigium factus est multis, fiet in Caelis omnibus adjutor fortis.

JOANNES ANDREAS Tria Archiepiscopus Tyri Assistens.

Camillus de Lellis ex Saulo in Paulum conversus illico charitatis theatrum aperuit, et copiosam Christifidelium multitudinem post se trahens, virtutum omnium director evasit. Communicato consilio cum S. Philippo Nerio ejus Confessario Religiosam professionis suae familiam in Populorum salutem instituit, ac per Provincias propagatam reliquit. Misericors autem Dominus, qui mirabilis est in Operariis suis, multiplicibus donis Camillum illustravit. Inter alia in aere elevatus arcana caelestia penetrabat, morbos solo tactu curabat, aquam in vinum convertit, exiguo pane multos opipare saturavit, Angelorumque consortium testante eodem S. Philippo Nerio meruit.

Hinc veteri Instituto servato, SANCTITAS VESTRA Camillum miraculis vivum, et post mortem clarum in Beatorum Catalogum retulit: Cum autem omnia alia fuerint expleta, quae ad ejus Canonizationem sunt necessaria, tuto ad illam perveniri posse humillime censeo: Sicque Religiosorum Ministrantium Infirmis Familia hoc perfectionis exemplum, et ducem, ac christiana Respublica contra praesentis temporis nequitias apud Deum invictissimum intercessorem habebit.

MICHAEL MARIA Vincentini Archiepiscopus Theodosiae Assistens.

Quis de B. Camilli de Lellis Canonizationis merito ambigerit, cum pensata conversione, inspectis virtutibus, perpenso de adjuvandis Infirmis opere, de Eo inter Confessores adscribendo excogitatum sit a SANCTITATE VESTRA? Confirmant aequissimam sententiam crebra miracula, Caelumque ipsum ob prodigiorum frequentiam inter caelestes Cives connumerandum Camillum conclamat.

SIMON Gritti Archiepiscopus Tyanensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Omnipotens Dei nostri, ac a fine usque ad finem fortiter pertingens, suaviter mirabiliterque disponens dextera suae immensae virtutis, ubique in dies vel in minimo sinapis grano collucentes prodit effectus, quorum ubertas quem lateat in

(a) *Luc. cap. 5.* (b) *Paul. ad Roman. cap. 9.*

beato Camillo de Lellis? Qui a primaevo aliquandiu digressus innocentiae tramite, ut Deo excitante cognovit, in veritatis viam ab eo, qui a longe cognoscit, revocatus in maximum exarsit subinde charitatis incendium, quo nedum praeteritas purgavit, ac in favillas penitus redegit maculas suo inustas juventutis flori; verum etiam eo usque ad consummationem est progressus, ut vitam quoque suam aliorum spirituali potissimum, necnon temporali posthabuerit tuitioni, ac prorsus vilissima quaeque, atque periculis plena eum in finem huc illuc vel in remotissima accurrendo, amplexus ministeria visus sit profudisse, sui praeterea Instituti habere voluerit Alumnos, in quibus adhuc vigere deprehendit? Eximius sane in Proximos portentus Camilli ardor; in quo quam maxime sibi complacuerit, tot miraculorum in vita et post obitum ostensione comprobavit Altissimus: proptereaque tutissimum inde SANCTITATI VESTRÆ Camillum Sanctorum Fastis adscribendi promanat judicium, ut det illi de fructu manuum suarum, quem laudant et glorificant in Sion opera ejus.

JOSEPH MARIA Rufus Archiepiscopus Capuanus Assistens.

Quae ad verae sanctitatis vestigia premenda, quaeque ad Virum sanctum in Ecclesia Dei perficiendum maximopere optanda sunt; beatus Camillus de Lellis ex Buclanici Oppido Theatinae dioecesis in Regno Neapolitano Fundator Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis vitae suae cursu feliciter praestitit. Tantus enim radiante Dei gratia virtutum poenitentiae, orationis, charitatis in Deum Proximumque suum, et praecipue humilitatis cumulus in eo praefulsit, ut tanquam lignum, quod plantatum est in vinea Domini secus decursus aquarum Proximis suis, uberem admirationis, utilitatis, imitationis ac profectus de virtute in virtutem suo tempore fructum dare non destiterit.

Nec Servo Dei defuere hic etiam in terris cumulatissimae prophetiae, curationum, discretionis spirituum gratiae, ac post ad beatam Patriam transitum probata miracula; quibus Caelestis Pater humilem ejus spiritum exaltare voluit: Quapropter eum per SANCTITATIS VESTRÆ publicum, ineluctabile Oraculum sub die decima septima Augusti 1745. visum fuerit, beatum Camillum fore canonizandum, ac inter Sanctos referendum, nunc benigne etiam supplicationibus Infirmis Ministrantium Familiae pro hujus sanctissimi Decreti exequutione fore respondendum, toto confidimus, ut novus Christi Servus praesentibus calamitatibus praesidio sit toti Orbi catholico. Et ita etc.

NICOLAUS Carafa Archiepiscopus Philippensis Assistens.

In nostra sancta Religione non ab initio, neque a medio, sed ex fine, maximum nostrae salutis negotium unice pendet. Huic singulariter beatus Camillus consuluit in extremo vitae agone per seipsum, etiam peste laborantibus; utque firma remaneret in toto catholico Orbe tam salubris institutionis regula, haeredes instituit Alumnos suos, a quibus non parvum beneficium christiana Respublica experta est. Ideo Sanctorum numero adscribendum censeo; si SANCTITATIS TUÆ consensus accesserit.

D. FERDINANDUS ROMUALDUS Guiccioli Archiepiscopus Ravennae Assistens.

BEATISSIME PATER. Si in Dei et Proximi dilectione ex Christi Jesu testimonio, tota lex pendet, et Prophetae, et si qui haec fecerit et docuerit, magnus vocabitur in Regno Caelorum; hinc meridiana luce clarius apparet, maximam fuisse beati Camilli de Lellis tum perfectionem sanctitatis, dum viveret, tum coronam gloriae post consummationem. Charitatis enim ejus in Deum, quae narrantur argumenta non stupore tantum, sed suavi quodam ardore animos perfundunt, erigunt, inflammant: Quae vero de charitate in Proximos, fidem omnem humanumque conceptum pene dixerim, superant atque excellunt. Haec autem cum praecipuis Italiae urbibus experta et admirata est Roma ipsa, Mundi ac Religionis Caput, atque animo versat adhuc teterrimis pestis ac famis temporibus innumeros cives servatos, quos tem-

poralibus subsidiis morti ereptos, quos spiritualibus pabulis caelo donatos: Nosocomia etiam digito signat, domos, vias ipsas, sollicitam Camilli adhuc repetentes charitatem.

Verum ista non fecit solummodo admirabilis Heros, docuit etiam in odorem unguentorum charitatis suae innumerabiles verbo et exemplo trahens asseclas, atque Ecclesiam nova prole foecundans, quae tanti Patris pietatem, amorem, dilectionem in Proximos et in Deum praesefert in praesens quoque, ejusque viscera amantissime dilatat. Quare canonizationem tanti Viri a SANCTITATE VESTRA, BEATISSIME PATER, publicis expetitam votis, toti christianae Reipublicae felicem faustamque fore arbitror et confido.

FELIX Solatius Archiepiscopus Thebarum Assistens.

Incomprehensibilis Dei misericordia, quae non permittit desperandum de aliquo, in beato Camillo de Lellis admiratur: Errantem enim illum ad se reduxit, cadentem erexit, stantem sustentavit, et perseverantem in arduo christianae poenitentiae et perfectionis stadio ad gloriam introduxit. Reversus ad semitas salutis, ferventiori spiritu incensus ut ostenderet, quod ubi abundavit iniquitas, superabundavit et gratia, praeclaro animarum corporumque profectu ad inserviendum Infirmis, etiam dum atrox pestilentia in Urbe grassaretur, incredibili charitate sese exercuit, relicto aliis praesertim sui Instituti Alumnis, ad praeeuntem impigre sectandum exemplo. Tantum igitur Virum, BEATISSIME PATER, virtutum omnium laude ornatissimum et miraculis clarum, ut ex Actis ad majorem Dei miserentis gloriam, et ut nemo etiam vitiorum suorum enormitate desperet, tuto in Fastis Sanctorum collocandum censerem.

ANTONIUS Fonseca Episcopus Æsinus Assistens.

Divinae gratiae largitor, BEATISSIME PATER, Camillum de Lellis vocavit, justificavit, glorificavit. Vocavit, ut esset vas electionis, percussum infirmitate humique prostratum; Justificavit ut ecclesiasticae militiae adscriptus adscenderet ad Altare, et in tempore iracundiae fieret reconciliatio: Glorificavit laudibus Pauperum misericordiam illius enarrantes, Infirmorum depraedicantium ejus sollicitudinem, et religiosorum Virorum servantium ipsius Institutiones. Continuo Roma, Genua, Mediolanum, Nolana aliaeque Urbes, quae in praesentissimis pestilentiae, famisque periculis expertae sunt maximam illius charitatem, Camilli celebrant merita, invocant nomen, auxilium implorant. Eja tandem exaudiantur Pauperum desideria: Sanctorum consequatur honores, ac tanti Viri laudes universa enuntiet Ecclesia.

NICOLAUS MICHAEL Abbati Episcopus Scyllacii.

Exclusa omni patriotica affectione, ut verbis Cassiodori Scyllacii Civis utar, dignum censeo Catalogo Sanctorum adscribi beatum Camillum de Lellis, de cujus virtutibus in gradu heroico, et signanter de charitate erga Proximum; ac de miraculis satis constat. Ut sicut, dum in terris ageret, magno fuit Christifidelibus morti proximis praesidio, sic in Caelis cum Christo regnans iisdem opituletur patrocinio.

NICOLAUS XAVERIUS Santamaria Episcopus Cyrenensis Assistens.

Mandatum (*a*) Dei novum, *ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum*, cumulatissime implevit beatus Camillus. Ipse enim Mundi vincula blandientis dirumpens, non tantum semetipsum abnegavit, et carnem inedia, nuditate, vigiliis macerando, obtulit Deo in holocaustum, verum diffusa quoque in corde suo charitate, viam mandatorum Domini, qua verbo et exemplo, qua saluberrimis praeceptis et institutis percurrere docuit, admirabilem instituens Religionem Ministrantium Infirmis, quae et Ecclesiam spiritualium aromatum odore perfunderet, et

(*a*) *Joan.* 1. 4.

animarum saluti advigilando aegrotis in extremo praesertim agone luctantibus operam omnem diligentiamque praestaret. Cum itaque ad justitiae coronam et palmam in Caelis ipse pervenerit, Deo in diebus nostris loquente, et Servi sui heroicas virtutes eximiamque Sanctitatem confirmante sequentibus signis, sanctorum Confessorum cultu et honoribus colendum in terris, ex publico Sedis Apostolicae judicio aequissimum videtur, ut christiano populo prodesse pergat meritis, precibus adsit, et in tempore tribulationis, in mortis angustiis fiat reconciliatio.

BERNARDUS ANTONIUS Pizzella Episcopus Constantiae Assistens.

Quibus virtutibus mirifice praefulserit, et miraculis claruerit beatus Camillus de Lellis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium Fundator, neminem latet, dum in sortem Domini, veluti Paulus ex Saulo vocatus charitatem, quam Paulus supra ceteras virtutes opere et sermone extulit, praecipuum sui Instituti fundamentum ponere, et mirabili exemplo exercere studuit. Factus enim omnibus omnia, et adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, non semel Pastoris ad instar, morbis et aerumnis confectos fovit, adjuvit, sanitati restituit. Quod virtutum et laborum in Caelo mercedem receperit, non ambigitur; ut in Sanctorum Album sicuti par est, Camillus accenseatur, Tuum est perficere, BEATISSIME PATER, cui Christus Dominus supremam contulit authoritatem.

Fr. PAULUS Alpheran de Bussan Episcopus Melitensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Ardentissima Dei et Proximi charitas diffusa in corde beati Camilli de Lellis Ordinem Ministrantium Infirmis excitavit, erexit, solidavit. Quid nempe sanctius quam Infirmis praesertim morientibus opem spiritualem afferre momento, unde pendet aeternitas? Mirificavit enim Dominus Servum suum multis signis et miraculis; ea propter censeo tam praeclarum Fundatorem in Sanctorum Album a SANCTITATE VESTRA esse referendum.

ALEXANDER de Abbatibus Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis Assistens.

Christi Domini exemplo alienos ferebat languores B. Camillus de Lellis factus Infirmus pro Infirmis, ut Infirmos lucrifaceret, illudque assequi studens, ut sua ipsius suorumque Regularium virtus in aliorum vel pestiferis infirmitatibus perficeretur. Nemini non compertum est, quam indefessa sollicitudine sese ille devoverit Ægrotantium ministerio, eorum cum primis, quorum aeterna salus periclitabatur. Ipsi nunc in tuta Caeli statione collocati frequenti corona circumstant suae felicitatis auctorem, Deumque enixe rogant, ut supremus Ecclesiae Hierarcha debitos tanto Sospitatori honores decernat. Accedunt Superiorum votis exaudienda vota mortalium adhuc in terris peregrinantium; ut praevio insuper miraculorum suffragio Camillus de Lellis, quem paucis ab hinc annis SANCTITAS VESTRA inter Beatos recensuit, ampliore jam cultu Sanctorum Fastis adscribat.

NICOLAUS FRANCISCUS de Bonhome Episcopus Carpasiensis Assistens.

De repente, ac prodigiose conversus B. Camillus de Lellis Fundator Ordinis Ministrantium Infirmis exultavit ut gigas ad currendam viam, et brevi temporis spatio complevit tempora multa, secutusque specialem Christi doctrinam: discite a me quia mitis sum et humilis corde, heroice mitis fuit benefaciendo inimicis suis, et adeo humilis ut frater humilis ab aliis vocaretur, atque super hoc duplici solidissimo fundamento omnes virtutes, ac praecipue ardentissimam charitatem magnifice superaedificavit, cum qua mirifice, et in gradu perfecto exercuit opera misericordiae, et maxime erga Infirmos, exponendo etiam multoties animam suam, ut eis spiritualiter et corporaliter succurreret, ita ut ipsum retributionem opera misericordiae exercentibus pollicitam a Christo; venite Benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, adeptum esse non veniat dubitandum, praesertim, quod Dominus Deus multis signis et miraculis illud testari

ad conversionem in Peccatoribus, et refrigescentem charitatem in cordibus fidelium excitandam dignatus est; hinc cum super ejus Canonizatione acta processuum sint rite peracta, ad ejus executionem tuto posse procedi existimo, et ita a SANCTITATE VESTRA exoro.

LUDOVICUS ANTONIUS Valdina olim Cremona Episcopus Hermopolitanus Assistens

SANCTITAS VESTRA, cui a Christo Domino quodammodo datum est scribere digito Spiritus Sancti, sequetur, arbitror, ejusdem infallibilem ductum, si solemni Canonizatione Fastis Sanctorum adiungat beatum Camillum de Lellis. Hunc antequam nasceretur, praemonstravit Dominus Matri pariturae Cruce insignitum in pectore, et ducem innumerae turbae eadem Cruce decoratae. Ut praesagium non falleret eventus, quem mundi caligo inimico reddiderat Crucis Christi, lux improvisa de Caelo ad terram afflixit, et de Saulo erexit in Paulum, ut de vase irae et contumeliae vas electionis efficeretur, ex quo per universam Ecclesiam odor diffunderetur agri pleni, religiosae scilicet Familiae, in qua virtutum omnium flores redundant ad uberem Populorum utilitatem. Collocet ergo SANCTITAS VESTRA hoc vas in Altari Sanctuarii, ut Fideles omnes currant in odorem unguentorum illius.

FABRICIUS Borgia Episcopus Ferentinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Laudatum in sacris literis Tobiae pietatem, qui popularibus suis in servitutem adductis, nec alimenta vivis, nec sepulturae honorem defunctis deficere passus est, in B. Camillo de Lellis accepimus refloruisse, et sane praestantius quod morituris quoque ipse consuluit eo temporis momento, a quo pendet aeternitas. Virum hunc a SANCTITATE TUA superioribus annis Beatum rite appellatum, cum novis ad invocationem ejus patratis miraculis Deus illustret, censeo modo sanctis Confessoribus abscribendum, ut sicut ejus Alumni pugnantibus in extremo Agone monita salutis ministrant in terris, ita ille ampliori cultu invocatus, sit e Caelo fortis adjutor.

NICOLAUS Spinelli Episcopus Aversanus Assistens.

Quoniam in beato Camillo de Lellis prae ceteris id eluxit Fidei propagandae, animarumque saluti, quod apprime optabat, consulendi studium, ut illum neque asperitas viarum, neque longitudo itineris, neque debacchantis pestilentiae vis, neque intumescentium aquarum Tiberis impetus, et extrema quaeque minitantium retardaverint; imo magis magisque ad susceptum opus perficiendum inflammaverint, Domino cooperante, et ipsius res praeclarissime gestas signis confirmante; idcirco in id consilii descendo, ut Sanctorum numero adscribatur, ac publicae Christifidelium venerationi proponatur.

HIPPOLYTUS e Rubeis Sancti Secundi Episcopus Senogalliensis Assistens.

Impletum habetur in beato Camillo de Lellis evangelicum effatum: Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente: Dissipaverat enim ille ad instar prodigi adolescentis omnem substantiam suam indulgendo aleis ceterisque vitiis; at ubi surgens redivit ad Patrem, stolam primam recepit, et cum Angelis Caeli visus est adhuc in terris conversari. Angeli conversari cum illo: quin etiam ab ipso Angelorum Domino confirmari se audivit ad prosequendum eximiae humilitatis et charitatis opus ministrandi Infirmis jacentibus in Nosocomiis. Modo iterum gaudium Caelo erit et Mundo, quatenus SANCTITAS VESTRA illi statuat superos bonores, quem Angelorum Dominus amplexus est poenitentem, quem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis dedit Parentem, quem postremo miris in vita et post obitum signis coruscantem suorum Angelorum consortio associavit in gloria.

D. PAULUS THOMAS Marana Episcopus Asculanus in Piceno Assistens.

BEATISSIME PATER. Quod a Divo Ambrosio de S. Apostolorum Principe Petro scriptum est; fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo majorem gratiam reperit, quam amisit: De B. Camillo de Lellis praedicari posse arbitror, qui ex juvenilium errorum umbra mediante divinae gratiae adjutorio, quae de tenebris facit lumen splendescere, perspicuam de se poenitentiae lucem non sub modio, sed super candelabrum hac in Urbe posuit: Memor insuper doctrinae Christi Domini, ad quem toto corde et viribus se convertit, Dei scilicet amorem a charitate erga Proximum nunquam esse sejunctum, spirituali corporalique Infirmorum saluti totum se cum aliis sibi charitatis et obedientiae vinculo conjunctis perpetuo devovit. Quapropter si ipse dum in terris esset, indutus est viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, patientiam, ardentemque charitatem, quae omnia electionis et sanctitatis signa juxta Apostoli sententiam praeseferunt, congruum puto, ut universo christiano Orbi infallibili BEATITUDINIS VESTRÆ Oraculo imposterum clarius eluceat tam insigne poenitentiae et charitatis exemplar.

Fr. SILVESTER Marani Episcopus Porphyrien. Assistens.

Ad Ecclesiae catholicae decus, ad Ecclesiasticorum exemplum, ad Fidelium aedificationem et utilitatem, et ne Deo tot signorum ac prodigiorum vocibus loquenti videamur aures non praebere, congruum et aequum est, ut quantocius per SANCTITATEM VESTRAM in Sanctorum Canonem referatur B. Camillus de Lellis aegrotantium Pater optimus, morti proximorum singulare solatium, Christi denique in miserorum et languentium omnium cura imitator praecipuus.

NICOLAUS Manciforti Episcopus Anconitanus Assistens.

Quam inscrutabilia sunt judicia Dei! quid non est ab ejus gratia expectandum? Beatus Camillus de Lellis in adolescentia sua a bono opere quocumque deflectens, de repente ad viam salutis reducitur, et virtutibus omnibus adeo praestat, ut ceteris fiat exemplum et Magister. Charitas autem, quae virtutum maxima est, ita in eo praefulsit, ut in hac ipsa Urbe peste grassante, pro periclitantibus Civibus *animam suam ponere non dubitaverit*: Quamobrem aequum omnino arbitror, ut SANCTITAS VESTRA Beatum ipsum eximiis miraculis undique circumfultum, benemerentis Ordinis Fundatorem, Fidelium votis inhaerendo Sanctorum Fastis adjiciat.

ANTONIUS Cantoni Episcopus Faventinus Assistens.

Æmulatus est charismata meliora B. Camillus de Lellis, omnes christianas virtutes mire sectatus, eamque potissimum, quae ceteris major est, charitatem. Porro tanti Viri sanctitas, quam nobis suadet Religiosi Ordinis ab eo instituti praestantia, quamque probata miracula rite testantur, alterius quoque Sancti testimonio commendatur, nimirum sancti Philippi Nerii, qui ipsius lateri adstantes vidit angelicos Spiritus, ut quorum ministerio in terris est usus, eorum ope ad caelestem Patriam deductum esse non dubitemus. Merito igitur SANCTITATIS VESTRÆ definitiva sententia in memoriam vertatur hominum, qui ad gaudium transiit Angelorum.

PAULUS Bonavisa Episcopus Spoletinus Assistens.

Piissimus Sacerdos Camillus de Lellis per plurima et heroica bona opera sua certam vocationem et electionem suam facere studuit: Nam jugiter in membris suis mortificationem Crucis Christi portavit, inediis, vigiliis, aliisque austeritatibus corpus suum in servitutem Christi redigendo: Non dubitavit etiam ponere animam suam pro fratribus et amicis suis inserviendo Infirmis peste laborantibus monitisque salutis instruendo: Charitate erga Deum ita efferbuit, ut per admirabiles ascensiones obtinuerit elevari ad intimam unionem divinam pluribusque donis prophetiae,

discretionis spirituum aliisque charismatibus cumulari: Quam fuerit inde pretiosa mors ejus oculis divinae majestatis plurima prodigia rite probata luculentissime testantur, quorum luce directus crederem caelestem hanc lucernam locandam esse in altissimo Ecclesiae candelabro, ut luceat omnibus, qui in domo Dei sunt, si SANCTITATI VESTRÆ ita placuerit.

CÆSAR BONAJUTI Episcopus Pharensis Assistens.

Virtutes istae, BEATISSIME PATER, jucundissimae semper fuere Camilli de Lellis delitiae: Jacentes recreare, laborantes in extremis ope et fide confirmare, omnium bono consulere, sibi tantum defuit, se solum neglexit. In spiritu patientiae et charitatis, Virginibus, Pupillis, Infirmis praecipue, Peregrinis et Esurientibus praesto semper fuit. Iste vere contra omnes Adversarios scutum timoris Dei tamdiu infatigabiliter tenuit, donec ad victoriam, quam ardentissime optabat, feliciter pervenit. Utilius est enim, BEATISSIME PATER, hominum magis memoriae laudem dare, quam vitae; Ideo B. Camillus de Lellis in Sanctorum Choris adscribi meretur, ut nomen ejus vivat in generationem et generationem, charitatem suam sectentur Populi, et laudes ejus nunciet Ecclesia.

MARIUS Maffei Episcopus Fulginas Assistens.

Non *est major misericordia* (a), BEATISSIME PATER, *quam quae exercetur circa Infirmos. Ibi enim pascitur esuriens, potatur sitiens, vestis nudo paratur, lectus fatigato, subvenitur extraneo, visitatur ligatus vinculis infirmitatis .... et sic in hoc opere misericordiae, omnia opera adimplentur.* Haec porro omnia charitatis opera mirum in modum Camillus de Lellis perfecit dum viveret; haec usque modo Filiorum suorum perficit ministerio. Camillus igitur de Lellis ita disposuit sermones suos in judicio, ut quia esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestem, peregrino xenodochium, Infirmo nosocomium, cunctis denique opem paraverit, aeterna justorum memoria recolatur. Hinc quia misericors Deus dives est in miserationibus suis, Camilli in Proximi charitatem admirandis probatisque signis sibi demonstravit acceptam. Tuum propterea est, BEATISSIME PATER, Camillum de Lellis Sanctorum Fastis adscribere, ut quem opitulatorem sensit christianus Orbis in terris, intercessorem experiatur in Caelis.

GUIDO Ursellus Episcopus Caesenas Assistens.

Camillus de Lellis cum religiosum coetum Infirmis ministrantium instituit, adeo bene de christiana pietate, atque hominum salute meritus est, ut quae in anteacta vita peccavit, tanto eximiae charitatis invento satis superque deleverit: Accedit, quod ceteris summae hujus charitatis Sociis atque Administris virtutibus, supra quam dici possit, ornatus et excultus omnem sanctitatis verticem attigisse videatur. Qua de re si talem ac tantum Virum miraculis etiam clarissimum Sanctorum Fastis adscribat SANCTITAS VESTRA, habebit christiana Respublica universa et quod tanti Pontificis sapientiam magis magisque demiretur, et quod beatissimum Virum quasi divinum aliquod virtutum omnium exemplar sibi ad imitandum proponat.

LEO LUCAS Vita Episcopus Oppidensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Praetermissis virtutibus et miraculis, quibus satis superque ad solemnem beati Camilli de Lellis Canonizationem deveniri posset, id unum prae ceteris sufficere censeo, quod Camillus dum sensim in vitia declinaverat, et ex castro Sancti Joannis Manfredoniam revertebatur, velut alter Saulus jumento insidens, insolita luce de Caelo perfusus, in terram prosterni-

(a) *Venerabilis Humbertus de Romanis V. Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, expositione in regulam S. Augustini par.* 4.

tur; atque anteactae vitae errores animo reputans, statim dolore percitus in Virum alterum transmutatur, et exinde totum se Deo, ac in animarum lucra convertit; quapropter prae nimia, qua flagrabat charitate erga Proximum, Congregationem Clericorum Regularium instituit, quarto addito voto Infirmis omnibus etiam peste infectis ministrandi, et extremo agone degentibus, piis precibus et cohortationibus opem ferendi.

ÆGIDIUS ANTONIUS Isabelli Episcopus Alliphanus Assistens.

BEATISSIME PATER. *Quam bonus Israel Deus*, qui vocando nos in admirabile lumen suum, charitatis propriae viscera ostendit; praeclarum hujusce rei extat exemplum in B. Camillo, qui a viis peccatorum suprema abductus providentia, tantis charismatum donis fuit postea illustratus, ut amore praesertim erga Deum et Proximum aestuans, verae charitatis holocaustum evaserit: Cum enim ex toto corde suo, et ex tota anima sua Deum diligens, atque Proximum supra seipsum, legem ille cumulatissime impleverit; quemadmodum retributionem jam habuit in Caelis, ita par est, ut nunc per SANCTITATEM VESTRAM, in Sanctorum Albo referatur, ut ita Deus, *qui vera charitas est*, in eo, ac per eum magis glorificetur.

JOANNES ANTONIUS Bachetoni Episcopus Anagniae Assistens.

Emicat, SANCTISSIME PATER, beati Camilli de Lellis foecunda ac prolifica charitas ex Institutione eorum Regularium Clericorum, qui in novissima hora exeuntes et undequaque cursitantes, quotquot inveniunt malos et bonos de sero colligunt; et de plateis aliisque latioribus viis, ad arctam et angustam reductos, ad coenam magni Patrisfamilias intrare compellunt. Erga Deum et Proximum tam mira charitas, aliarum etiam virtutum stipata satellitio cumulatissime incessit: quibus illustrandis roborandisque non pauca accessere miracula, alia ex instantaneo beati Viri Iconis contactu, alia ex ejusdem Cellae operosi pulveris haustu, ut egomet, tanquam ex missis Judicibus unus, cognovi, miratus sum, retuli. Haec eadem et plura, BEATISSIME PATER, vidisti, et laetatus es. Ad totam itaque militantem descendat Ecclesiam visibilis capitis sui laetitia haec tanta, et cujus prolem extremis adesse cupimus, in Sanctorum Fastis nunc gratulemur venerari Parentem.

FRANCISCUS ANTONIUS Spadea Episcopus Aquinas et Fregellarum Assistens.

BEATISSIME PATER. Sicut gaudium magnum fuit in Caelo coram Angelis Dei super B. Camillo de Lellis poenitentiam agente, sic ejus vita maxima est in terra Peccatoribus causa laetandi, cum cernant quid cum eo egerit Dei omnipotentis miseratio, discantque quid etiam cum ipsis actura sit, si ut Camillus respondeant. In eo alter apparet Saulus humi prostratus, et Paulus erectus, et e vase ignominiae in honoris vas immutatus. A plagis animae, cum se a Christo Domino Samaritano Evangelico curatum agnovit, quasi sibi dictum fuisset: vade, et tu fac similiter: hoc unum sibi imitandum proposuit, ut Proximorum infirmantium animarum et corporum saluti consuleret, accedente sancti Philippi Nerii consilio, qui sibi a Confessionibus erat. Mira porro sunt, quae iste Vir Dei divina charitate succensus, in Urbis non tantum Xenodochiis, sed etiam spurcissima peste grassante per vicos, et plateas, per domos et compita, etiam in aliis Italiae Urbibus egit, ut aegros a prima non minus, quam a secunda morte praeriperet; immo ne tam magnum pietatis opus cum sua vita deficeret, Alumnos collegit, et Crucigerorum Institutum fundavit, quo per futura etiam secula, praecipue luctantibus cum morte succurreret. Auctus praeterea fuit B. Camillus curationum dono, aliisque tam vivens, quam post obitum adeo refulsit, ut ipsa Roma Urbs fortitudinis nostrae, quae charitatis ejusdem ac admirabilium operum meruit esse theatrum, summopere exoptat, et cum ea universus catholicus Orbis VESTRAM SANCTITATEM exorat, ut dignetur B. Virum summo decorare Canonizationis honore; cujus in dies intercessionis gaudet effectibus, et

sui praeclari Instituti spiritualibus confoveatur auxiliis.

SCIUM ILUMURI AT.

Pse tae ggiȝȝato caffsc Ky' dubenae prae tae scietaenuanae tae lumaenae Camil de Lellis yan baenae gner tasct fort Mirae me bijr tae tenae Ȥoti, e me tae Maȝenae urtesij taende. Gnae punae vetaemae dubet, saa scnubet aembni ithib me tae tiera scetaena. Kaeiò ndeer i tucon me ggiggae, pse pat scium laevdime, e scium tae dasciunae praei tenae Ȥoti, o prei sciocunae, e fchignanae. Kayò edasciunae duron sod, e ggiȝȝ monae prae tae maȝenae sciokaerij, ayò kiae scaer ben ta saemurturit. Ȥoten esa scium daeftuarae tae maȝenae scietnii etiyiae me scium scegne. Andai i lumuri At tae kutemi, e tae falemi ggiȝȝ saa iemi, eȝe unae prae pies tae Arbaenit tae scruasc eȝe kaetae ndae tae ticrae scietana.

Josefi Schirò Arçbiscopu i Durfit, e Vicar Apostolicu i Hymarrsae ndae Arbaenit.

Ejusdem Versio latina.

JOSEPH Schirò Archiepiscopus Dyrrhachinus olim Vicarius Apostolicus Cimarrae in Epiro.

Beatissime Pater. Cum quae ad solemnem Canonizationem B. Camilli de Lellis pertinent, sint ea omnia hactenus peracta rite ac recte, Deo auspice, ac excelsa sapientia Tua: Unum superest, ut ejus gloriosum nomen aureis notis, si fas erit, tandem aliquando scribatur in sacris diptycis, ubi ceterorum Sanctorum nomina recensentur.

Hocce honoris signum in terris videntur expetere, et quidem jure merito: Primo, omnes ejusdem B. Viri eximiae virtutes, praecipue vero immensa illa charitas, qua erga Deum et Proximum, et flagrabat quoad vixit, et adhuc operatur, tota plaudente Ecclesia, per amplissimum Ordinem ab ipso institutum, ut Infirmis omnem opem, omnemque operam alacriter impendat; deinde insignia miracula, quibus Deus Optimus Maximus dignatus est comprobare excelsam Servi sui Sanctitatem. Hanc gratiam, BEATISSIME PATER, jamdiu ingenti desiderio optat et Urbs et tota christiana Respublica; hanc ipsam exoptat augustus iste Senatus; et pro ista ego quoque, licet omnium indignissimus, venerabundus sistens coram Tuo Apostolico Throno, humillimas fundo preces, etiam nomine totius Epiri, sive Albaniae, ex qua originem duco, uti jam benignissime excepisti loquentem proprio Idiomate.

SERGIUS ALEXANDRI Armenus Archiepiscopus Caesareae Cappadociae.

Multa quidem sunt, quibus beatus Camillus excelluit virtutum ac miraculorum insignia, quae in ejus vitae Compendio recensentur: Sed illud prae ceteris magis aptum et opportunum videtur, quod in praesenti calamitoso rerum Orientalium, et Occidentalium statu commemoratur; quod nimirum et Infirmis ille ministrare in deliciis habuerit, et Ordinem amplissimum a se institutum tam pio ministrandi Infirmis officio distinguendum voluerit, et Crucis in pectore gerendae forma exornandum. Jure igitur postulamus, ut ipsum SANCTITATE VESTRA inter Sanctos enumerari decernat: Hoc praesertim tempore, quo totus terrarum orbis teterrimo veluti bellorum ac tumultuum morbo languet, et Crucis vexillum in Oriente, ubi augustissime olim fulgebat, saevissima Infidelium potestate cogitur tanquam sub modio lucerna delitescere. Fore enim confidimus, ut isto in terris auctus Sanctorum honore, cujus inter Sanctos sors est in Caelis, morbos auferat, bella avertat, et sanctissimae Crucis signum, sicut in Occidente, sic et in Oriente triumphare faciat.

STEPHANUS Evodius Assemanus Archiepiscopus Apameae.

Nescit *tarda* (a) *molimina Spiritus Sancti gratia*, BEATISSIME PATER, quare autem (b) illum trahat, et non illum trahat, judicare

(a) *S. Ambr. l. 2. de Sp. Sancto.* (b) *S. August. Tract. 2. 6. in Jo.*

noluit, ne erraret beatus Camillus; at semel accipiens intelligensque se nondum trahi, oravit ut traheretur, et subito (a) circumfulsit eum lux de Caelo. Is vero haud moram anceps innectit, suprema Domini verba recolens (b): *In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis*: Et illa (c): *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, quum (d) charitas nunquam excidat; sed amplissimum Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium Ordinem, ceu arborem (e) illam magnam, in cujus ramis requiescerent volucres Caeli, saturus aegros omnes colligit, collectorum vulnera alligat (f), infundens oleum et vinum, fovet et recreat (g), curans gentem suam, et liberans eam a perditione: Circa illum autem (h) corona Fratrum, quasi plantatio Cedri in Monte Libano, et quasi rami palmae ad consummationem Sanctorum (i) in aedificationem Corporis Christi. Divinae itaque vocis Interpres SANCTITAS VESTRA celeberrimum Patriarcham publico dedat Fidelium cultui, qui se salutis publicae victimam devovit; aequum enim est, ut cujus heroica gesta, nec non frequentia miracula Ecclesiam illustrarunt, Is ab eadem Ecclesia, supernis repensum custodibus suis, honorem sibi ultro delatum glorietur.

BERNARDINUS Vari Episcopus Civitatis Castellanae et Hortae.

Beatissime Pater. Quantus et qualis fuerit beatus Camillus de Lellis, licet conjicere ex illis verbis, quibus Christus Dominus in extremo judicio Electos est allocuturus (k): *Infirmus eram, et visitastis me*: Quod si divinus Judex Infirmos utcumque visitantibus aeternum gloriae praemium est redditurus, quantam caelestis gloriae magnitudinem necesse est retribuerit beato Camillo, qui infinitos propemodum Infirmos visitavit, et ut a Suis visitarentur constituit, qui eosdem orationibus juvit, subsidiis spiritualibus munivit, et ut aeternam salutem consequerentur curavit? Quocirca si tam eximia illius merita peculiarem omnino mercedem a Christo Domino reportarunt, ut miracula ipsa, etiam in mea Dioecesi patrata testantur, necesse est ut ab Ecclesia quoque peculiarem honorem solemni judicio reportent.

JOANNES INNOCENTIUS Episcopus Fagarasiensis.

Inter admirandas tanque innumeras virtutes, quibus beatus Camillus de Lellis excelluit, illa maxima mihi fuisse videtur, qua ex gravissimo S. Philippi Nerii consilio Congregationem religiosorum Hominum instituit, qui solemni voto ad inserviendum Infirmis omnibus etiam peste infectis sese obstringerent. Hanc Congregationem olim in perfectam Religionem Gregorius XIV. erexit. Ejusdem Fundatorem virtutibus et miraculis insignem, ut nostris diebus BENEDICTUS XIV. inter Sanctos referret, divino consilio dispositum existimo: Summus, inquam, ille Pontifex, cujus doctissima de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione scripta admiramur. SANCTITAS VESTRA faciet quod ipsa docuit.

POMPEJUS Compagnoni Episcopus Auximanus et Cingulanus.

Quum charitas, teste Apostolo Paulo, sit vinculum perfectionis, nihil ego non perfectum video in B. Camillo, cujus sanctissima opera uni plane innituntur vinculo charitatis. Quid enim in aegros praesertim languentes ac morti proximos et vivens ipse praestiterit, et per Ordinem a se fundatum perenni beneficio adhuc praestet, partim est nobis luculenter expositum, partim vero experientia ipsisque oculis usurpamus. Accedentibus itaque et Miraculis rite probatis, censeo, secundum ea quae proponuntur, B. Camillum supremis Caelitum honoribus cumulandum.

(a) *Act.* 9.
(b) *Joan.* 13. 35.
(c) *Joan.* 15. 13.
(d) 1. *Cor.* 13.
(e) *Luc.* 13.
(f) *Luc.* 10.
(g) *Eccl.* 50.
(h) *Ibid.*
(i) *Eph.* 4.
(k) *Matth.* 1. 25. *v.* 36.

JACOBUS PHILIPPUS Consoli Episcopus Amerinus.

Id potissimum in beato Camillo de Lellis, cujus Sanctificationis causa agenda est, BEATISSIME PATER, evenisse conspicimus, quod in *psalmo* 50. Regius Propheta testatur: *Cor contritum et humiliatum*, *Deum scilicet non despicere*. Ipse enim adhuc juvenis juvenili ardore ductus eo usque a recta via declinaverat, quo interitus ei parabatur aeternus, nisi manus Domini facta esset super eum. Hinc culparum suarum moerore tactus, flevit amare, et Deus quoque peccatum ejus transtulit, avertitque faciem suam a peccatis illius, et ejus omnes iniquitates delevit. Oh vera mutatio dexterae Excelsi! ut qui Saulum errantem secutus fuerat, Paulum inde poenitentem sequeretur. Huic propterea tam mirandae divinae miserationi, qua culparum suarum poenitentia, ut carnem suam in servitutem redigeret, quo zelo, quave charitate, ut omnes lucrifaceret Christo, beatus Camillus responderit, hoc unum recensere sufficiat, quod in se ipso sic saeviit acerrime, ut in admirabile poenitentiae transiret exemplum; sic omnes adjuvit, ut nullos labores, pericula nulla refugerit, eumque instituerit Ordinem, cujus Alumni Infirmis peste quoque infectis inservire solemni voto obligantur, eam indubitanter recepturi mercedem, quam patiens atque benigna repromittit charitas.

Hunc igitur Fundatorem PATER SANCTISSIME, hisce ceterisque in gradu heroico virtutibus clarum, ne Sanctum dubites, tot signa, tot miracula praecesserunt, quod dederit Altissimus vocem suam; ut Sanctum dicas, universa Infirmis Ministrantium Familia humiliter deprecatur; gens tota exoptat, catholicus orbis expectat. Exaudire proinde SANCTITAS VESTRA dignetur tam cumulata vota, et sic gaudium, quod Angelis jam pridem super eo factum est in Caelo, nobis equidem erit mox hic in terra commune.

JOSEPH Coppola Episcopus Aquilanus.

Monens Ecclesiasticus (a): Non te pigeat visitare Infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis, ecce quod in plena dilectione, Dei scilicet in charitate et Proximi, beatum Camillum de Lellis excitavit fortiter, constanter firmavit. Quem quidem ardentem dilectionis ignem, aquae multae neutiquam extinguere potuerunt. Convenit igitur, ut Roma, sicut D. Philippo Nerio (utpote de se benemerentissimo) gratiorem in dies se exhiberet, sic quoque B. Camillum, qui in ordine charitatis post eum abiit, et obsequentissime consilia secutus est, debitis nunc sanctitati laetetur honoribus decorari.

JOSEPH Rossi Episcopus Venafranus.

Beatus Camillus de Lellis Fundator Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, BEATISSIME PATER, est Servus ille fidelis et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore; ipse enim Domino praecipiente et dicente: *inceptum opus prosequere;* sanctum et Christo Domino placitum Institutum summa animi fortitudine ad optatum finem perduxit, ut animabus pretioso Christi sanguine redemptis, et per adoptionem cooptatis inter filios Dei cibum daret in tempore, quo colluctatio est adversus Rectores tenebrarum in extremo mortis agone; cibum fortitudinis et salutis aeternae, quo ad caelestem patriam perducantur. Servus itaque Dei Camillus, qui in charitate perfecta mansit, in Deo est, et inter Caelites recensendus, ut Christiani, qui tantum beneficium in ejus Instituto receperunt, Patronum et Adjutorem in mortis agone dignis honoribus prosequantur in terris.

HIERONYMUS Lorenzi Episcopus Acernensis.

Beatissime Pater. Praeter ceteras B. Camilli virtutes summus ejus erga Deum amor vel ex ea proditur tam insigni erga Proximos charitate, qua motus ita ille se totum animis aegrorum curandis devovit, ut ad tanti operis perennitatem Clericorum etiam Ordinem instituerit. Haec duo charitatis praecepta, a

(a) *Eccl.* c. 7.

quibus universa lex pendet, tam sancte a B. Viro servata, duo illi sunt ex Augustino denarii, quos non ad unius saucii medelam, sed ad plurimorum salutem Evangelicus iste Samaritanus, quoad vixit, ubique protulit. Hujus igitur Viri misericordiae, cujus in semine permanent bona, ut laudes nunciet Ecclesia, quas tot ad hanc diem miracula celebraverunt, censeo sanctis Confessoribus eumdem merito esse adnumerandum.

JOANNES FRANCISCUS Cavallini Episcopus Alatrinus.

Beatus Camillus de Lellis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundator, eximia in Deum charitate, maximo in Proximum amore adeo efferbuit, ut totus Deo pro hominibus, totus hominibus, pro Deo se praebuerit: cujus rei virtutum ac miraculorum numero propemodum singulari, in hac praesertim Urbe Roma monumenta omnibus nota reliquit: Quapropter dignissimum reor, ut Sanctorum Fastis adscribatur, quemadmodum etiam atque etiam a SANCTITATE VESTRA supplex exposco.

NICOLAUS Cioffi Episcopus Soranus.

Mutatio equidem fuit, BEATISSIME PATER, dexterae Excelsi, qui Camillum de Lellis de diuturna pravaque vivendi ratione eductum deduxit per vias rectas, ac tam uberi caelestium charismatum copiae replevit, ut minime sit ambigendum, quin illi, post arduum tot christianarum virtutum curriculum, quod a principio alacris ingressus fuerat, ad mortem usque sanctissime obitum majoribus semper passibus confectum, sempiternae etiam gloriae bravium donaverit. Quod et idem ipse bonorum omnium largitor, qui Servum suum glorificavit per frequentia itidem miracula ad beati Camilli deprecantis invocationem patrata contestari dignatus est. Itaque existimo SANCTITATEM TUAM tuto procedere posse ad ipsius Canonizationem.

JOANNES ANTONIUS Castelli Episcopus Catharensis.

Beatus Camillus de Lellis omnium virtutum laude, et praecipue maxima, qua erga Proximos charitate flagrabat, mirum in modum excelluit; novo autem, quem instituit Ordine christianae Reipublicae utilis et salutaris fuit. Mitto prodigia, quae per eum a Deo Optimo Maximo patrata sunt, aerumnas, calamitates, miserias, quas pro nomine Jesu aequo animo pertulit, atque innumerabilia animi ornamenta, quae illi singularia esse videntur: Quare humillime censeo, dignum ipsum esse, qui solemni ritu a SANCTITATE VESTRA Sanctorum Fastis adscribatur.

NICOLAUS MARIA Calcagnini Episcopus Civitatis Ducalis.

Ex mundi illecebris terrestrique militia vocatus ad Clericalem, atque hujusce seculi contemptum beatus Camillus, cum fuit inopinato ac vehementi omnipotentis Dei lumine circumfusus, et veluti alter Saulus in Apostolum Gentium conversus, anteactum vitae suae genus ferventiori charitatis studio compensavit. Quae enim pro Infirmorum praesertim salute tum spirituali, tum corporali gesta ab ipso sunt, ardentissimam praeseferunt charitatem, qua inflammatus se praesentissimis objecit mortis periculis, ut Christifidelibus praesto esset, etiam pestifera labe infectis, quibus inserviendis peculiari solemni voto se, suosque Alumnos voluit esse obstrictos. Cum autem B. Camillus animam pro amicis suis ponere non dubitaverit, majorem certe charitatem habere non potuit, juxta Divinum Oraculum. Quapropter fidelem hunc Dei Servum ac novi Ordinis auctorem multis decoratum in terris charismatum donis ac prodigiis, inter Sanctos per infallibile SANCTITATIS VESTRÆ Oraculum recensendum censeo, ut hoc duce hominibus ad imitandum proposito, charitas nostris hisce temporibus elanguescens adaugeatur, istiusque exemplo Christifidelium corda ad misericordiae opera erga Proximum alacrius exercenda inflammentur.

Subdit Papa post novissimi Episcopi sententiam.

Venerabiles Fratres. Suffragia Vestra de Canonizatione beati Camilli de Lellis magnam Nobis laetitiam attulerunt: Quam ob causam nihil aliud respondemus, nisi peragendas esse preces, quas jam indiximus, ut Deus elargiatur Nobis opem suam, ac caeleste lumen ad ea rite perficienda, quae pro futura Beatorum Canonizatione requiruntur.

Procurator Generalis Camerae ubi Summus Pontifex dicendi finem fecit, iisdem verbis, quae in primo Consistorio retulimus, nomine Beati duntaxat immutato Protonotarios rogavit, ut pubblica super his Actis Instrumenta conficerent: videlicet.

Ego Johannes Philippus Toppi Sanctissimi Domini Nostri, et Camerae Apostolicae Procurator Generalis rogo Vos omnes Protonotarios, et Notarios Apostolicos hic praesentes, ut de sententiis, consilio, et unanimi consensu Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione et deliberatione praehabitis super solemni Canonizatione beati Camilli de Lellis unum, vel plura, publicum, seu publica conficiatis instrumentum, vel instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Quibus auditis R. P. D. Franciscus Maria Riccardi Protonotariorum Participantium Collegii Decanus, ante Sanctitatem Suam genibus flexis Collegarum nomine dixit: *Conficiemus:* Statimque surgens adstantes Solio propiores adhibuit. Testes consuetis verbis: *Vobis testibus:* ita iste quoque Consistorialis Conventus, qui magnae voluptati Sanctissimo Patri fuit, solutus est.

Instrumenti a Protonotariis in Causa B. Camilli confecti exemplar hic accipito transcriptum.

Instrumentum a Decano Protonotariorum rogatum pro secundo semipublico Consistorio.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Anno reparatae salutis Millesimo Septingentesimo Quadragesimo sexto Indictione nona, Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIV. Anno Sexto, die X. Junii Feria sexta. Idem Sanctissimus Dominus pro habendis excipiendisque suffragiis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, necnon Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, in Causa peragendae Canonizationis beati Camilli de Lellis Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris, semipublicum (juxta suorum Praedecessorum morem) Consistorium habuit in Aula, quae loco Ducalis est in Quirinali Palatio.

Sanctissimus Pater sacris Vestibus indutus, ac simplici Mitra redimitus ex Aula, quae Paramentorum dicitur, inter duos antiquiores Diaconos Cardinales Carolum nempe Marini, et Alexandrum Albani Papali Cruce solitoque praeeunte comitatu prodiit in eandem Ducalem Aulam, ibique congregatis Patribus prius Papali benedictione de more elargita, Sedem deinde conscendit et Consistorialis Actionis facturus initium, paucis disertisque verbis, ab amplissimo Purpuratorum Senatu, et sacro Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum Consessu, quae de praelaudato Camillo de Lellis Sanctorum Fastis adscribendo, ut tutius ipse tanto operi supremam manum admovere posset, eorum consilia et sententiae forent, exquisivit.

Tunc Eminentissimus Carafa Episcopus Albanensis inter praesentes Eminentissimos Cardinales antiquior, Sanctitatis Suae votis obtemperans, primus judicium suum protulit, et Sanctissimum Dominum, ut quam citius eidem beato Camillo, sicuti et eximia ejus merita et Fidelium pietas expostulabant, Sanctorum cultus et honores decernerentur, humiliter exoravit.

In eodem penitus sensu steterunt suis posthac delatis non minus sententiis quam

precibus ceteri, qui intererant Eminentissimi Cardinales, nempe.

Franciscus Tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Burghesius.

Antonius Xaverius Tit. S. Stephani in Monte Caelio S. R. E. Presbyter Cardinalis de Gentilibus.

Fr. Joannes Antonius Tit. SS. Silvestri et Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Cardinalis Guadagni.

Trojanus Tit. S. Caeciliae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Aquaviva.

Dominicus Tit. SS. XII. Apostolorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Riviera.

Joannes Baptista Tit. S. Mariae Angelorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Spinola.

Raynerius Tit. S. Sabinae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Ilcio.

Dominicus Tit. S. Bernardi S. R. E. Presbyter Cardinalis Passionei.

Fr. Joachimus Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Portocarrero.

Camillus Tit. SS. Joannis et Pauli S. R. E. Presbyter Cardinalis Paulutius.

Carolus Albertus Guidobonus Tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyter Cardinalis Cavalchinus.

Fridericus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Lantes.

Franciscus Tit. S. Mariae de Populo S. R. E. Presbyter Cardinalis Riccius.

Antonius Tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter Cardinalis Rufus.

D. Fortunatus Tit. S. Matthaei in Merulana S. R. E. Presbyter Cardinalis Tamburinus.

D. Joachimus Tit. S. Crucis in Hierusalem S. R. E. Presbyter Cardinalis Besutius.

Carolus S. Mariae in Via Lata Diaconus S. R. E. Cardinalis Marini.

Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus S. R. E. Cardinalis Albanus.

Nereus S. Eustachii Diaconus S. R. E. Cardinalis Corsinus.

Agapitus S. Agathae in Suburra Diaconus S. R. E. Cardinalis Mosca.

Carolus Maria S. Mariae in Porticu Diaconus S. R. E. Cardinalis Sacripantes.

Marius SS. Cosmae et Damiani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bolognettus.

Prosper S. Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Columna de Sciarra.

Alexander S. Mariae in Aquiro Diaconus S. R. E. Cardinalis Tanarius.

Hieronymus S. Adriani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bardi.

Dominicus SS. Viti et Modesti Diaconus S. R. E. Cardinalis Ursinus.

Eminentissimorum Cardinalium suffragiis expletis, Sanctissimus Pater Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, tam Assistentium Pontificio Solio, quam non Assistentium sententias excepit, quorum omnes (initio a Patriarchis desumpto) unanimi voto, demissisque precibus Sanctitatem Suam, ut beatum Camillum de Lellis inter Sanctos connumerare dignaretur, enixe rogaverunt. Videlicet.

Mundillus Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus.

Antonius Maria Pallavicinus Patriarcha Antiochenus.

Thomas Cervini Patriarcha Hierosolymitanus.

Gabriel Eva Archiepiscopus Cypri Syrus, patria prius, deinde latina lingua suffragium emisit.

Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanus.

Joseph Maria Ferronus Archiepiscopus Damascenus.

Michael Palma Archiepiscopus Theatinus.

Stanislaus Poliastri Archiepiscopus Rossanensis.

Ferdinandus Maria de Rubeis Archiepiscopus Tarsensis.

Joannes Andreas Tria Archiepiscopus Tyri.

Michael Maria Vincentini Archiepiscopus Theodosiae.

Simon Gritti Archiepiscopus Tyanen.

Josephus Rufus Archiepiscopus Capuanus.

Nicolaus Carafa Archiepiscopus Philippensis.

D. Ferdinandus Romualdus Guiccioli Archiepiscopus Ravennaten.

Felix Solatius Archiepiscopus Thebarum.

Antonius Fonseca Episcopus Æsinus.

Nicolaus Michael Abbati Episcopus Scyllacii.

Nicolaus Xaverius Santamaria Episcopus Cyrenen.

Bernardus Antonius Pizzella Episcopus Constantien.

Fr. Paulus Alpheran de Bussan Episcopus Meliten.

Alexander de Abbatibus Episcopus Viterbien. et Tuscanen.

Ludovicus Antonius Valdina, olim Cremona Episcopus Hermopolitanus.

Fabricius Borgia Episcopus Ferentinus.

Nicolaus Spinelli Episcopus Aversanus.

Hippolytus e Rubeis Episcopus Senogallien.

D. Paulus Thomas Marana Episcopus Asculanus.

Fr. Silvester Merani Episcopus Porphyriensis.

Nicolaus Mancinforti Episcopus Anconitanus.

Antonius Cantoni Episcopus Faventinus.

Paulus Bonavisa Episcopus Spoletinus.

Caesar Bonajuti Episcopus Pharen.

Marius Maffei Episcopus Fulginas.

Guido Ursellus Episcopus Caesenae.

Leo Lucas Vita Episcopus Oppiden.

Ægidius Antonius Isabelli Episcopus Alliphanus.

Joannes Antonius Bachetoni Episcopus Anagninus.

Franciscus Antonius Spadea Episcopus Aquinas et Fregellarum.

Joseph Schirò Archiepiscopus Dyrrhachinus, patrio prius, deinde latino idiomate suffragium emisit.

Sergius Alexandri Armenus Archiepiscopus Caesareae Cappadociae, patrio prius, deinde latino idiomate suffragium emisit.

Stephanus Assemanus Archiepiscopus Apameae.

Bernardinus Vari Episcopus Civitatis Castellanae.

Joannes Innocentius Episcopus Fagarasiensis, patrio prius, deinde latino idiomate suffragium emisit.

Pompejus Compagnoni Episcopus Auximanus et Cingulan.

Jacobus Philippus Consoli Episcopus Amerinus.

Josephus Coppola Episcopus Aquilanus.

Joseph de Rubeis Episcopus Venafranus.

Hieronymus Lorenzi Episcopus Acernen.

Joannes Franciscus Cavallini Episcopus Alatrinus.

Nicolaus Cioffi Episcopus Soranus.

Joannes Antonius Castelli Episcopus Catharensis.

Nicolaus Maria Calcagnini Episcopus Civitatis Ducalis.

Verum cum Summus Pontifex omnium convocatorum Patrum suffragia ee concorditer collimare percepisset quo et vota sua ferebantur, ad solemnem beati Camilli de Lellis Canonizationem quam primum, et in die ab ipsa opportune indicenda paucis, et luculenter se deventurum eisdem significavit, et Actioni finem imposuit.

Sed antequam e sede consurgeret, et suffragatorum Patrum Conventum dimitteret, Procurator Generalis Reverendae Camerae Apostolicae Nos Protonotarios Consistorio interessentes rogavit, ut ad perpetuam rei memoriam de omnibus in eodem Consistorio tam a Sanctissimo Patre, quam ab Eminentissimis Cardinalibus, nec non a Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis praehabitis in Causa Canonizationis beati Camilli de Lellis, unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum vel Instrumenta conficeremus.

Cui propterea Ego Franciscus Maria Protonotarius Riccardi Protonotariorum Collegii Decanus ejusdem Collegii nomine respondi: *Conficiemus*: Et Sanctissimi Domini Nostri Familiares, et praesertim DD. Paulum Zani Bononiensem, et Josephum Mariam Puoti Neapolitanum, ab intimo Sanctitatis Suae Cubiculo ad hoc specialiter vocatos, habitos atque rogatos, in Testes adhibui his verbis: *Vobis Testibus*.

Acta sunt haec in Quirinali Palatio, die, mense, et anno, quibus supra.

In quorum omnium fidem Nos Protonotarii Apostolici de numero Participantium requisiti et rogati praesens hoc Instrumentum confecimus, subscripsimus et publicavimus, solitoque Collegii Nostri Sigillo muniri, et in nostro Archivio ad futuram Posterorum memoriam Secretario nostro perdiligenter custodiri et subscribi mandavimus. Actum ubi supra, praesentibus quibus supra Testibus ad praemissa vocatis, habitis atque rogatis.

Ita est Franciscus Maria Protonotarius Riccardi Decanus.

Loco † Signi.

Franciscus Dominicus Clementi ejusdem Collegii Secret.

Sequuntur suffragia eorum, qui aliquo impedimento detenti, sacro huic non adfuere Consessui.

THOMAS Episcopus Ostiensis et Veliternensis Sacri Collegii Decanus, Vice-Cancellarius Cardinalis Rufus.

Ubi primum beatus Camillus de Lellis, dextera Domini faciente virtutem, e fluminibus Babylonis emersit, novus homo omnis justitiae Fonti constanter adhaesit, prioris aevi lapsus diuturnis cruciamentis lacrymisque vindicavit, et omnium in eo illuxerunt documenta virtutum. Ab ipsius eximia in Deum charitate gliscens altera in animarum salutem flamma, in Xenodochiis robustior evasit. Intra horum tamen septa contineri spiritus ardor non valens, dilatavit Camilli gressus; qui proinde in procurando spirituali potissimum Proximorum bono jam tarda molimina nesciens, duabus quasi assumptis alis, excelsa nimirum fide et alta humilitate, in aliorum etiam ubicunque decumbentium, pauperum in primis ministeria involavit: Nullibi, aut ullo deterritus labore, aut foediore spectaculo, aut quantumvis pestilenti morbo, cessavit aliquandiu; sed praesto miseris semper erat, advigilabatque, tanquam ei, qui dignatur Infirmus in Infirmis esse: Hos propterea Dominos, et Christos suos vocabat, imo ab his ipsis, velut ab offenso a se Numine, peccatorum suorum veniam postulabat. Ne vero tantae virtuti sui similes victimae defuturae aliquando essent, Religiosissimam Familiam instituit, obstrinxitque novo charitatis voto. Hunc profecto misericordiae Virum, qui fideliter Altissimo reddidit omnia vota sua, viresque omnes, et vitam perenni heroicarum virtutum exercitatione exhausit, assertum Caelo esse, Caelum etiam ipsum admirandis editis supra naturam signis demonstravit. Gloriae igitur Omnipotentis Dei, et universi Fidelium Coetus utilitati censeo apprime conducere, caelestes Camillo in terris honores a SANCTITATE VESTRA, jam per Beatificationem indultos ab eadem per solemnem ipsius Canonizationem definitive decerni.

ANNIBAL Episcopus Portuensis Cardinalis Albanus S. Clementis nuncupatus.

In beato Camillo de Lellis Theatinae Dioecesis et Neapolitani Regni ornamento, BEATISSIME PATER, illae omnes dotes animi atque praeclara ornamenta eluxerunt, quae Deus Optimus Maximus peculiaris suae providentiae ac supernae largitatis beneficio iis impertiri solet, quos ad magna evocat. His Camillus proludens, naviter aversatus vitia, quibus adolescens foedatus fuerat, viribus totis in christianam perfectionem incubuit. Jam tum a conversionis exordio rudimentum consummatae virtutis praebuit, quae adeo in dies est aucta, ut Sanctus ipse aliorum etiam salutem cum magno multorum bono avidissime ac studiosissime procuraverit. Ab se instituta utilissima Ecclesiae toti Religiosorum Clericorum Familia, quae aegrotantibus et morientibus spiritalia auxilia opemque opportune praestat, flagrantissimam ipsius charitatem magis magisque commendat. Tot alia eximia opera et egregia facta, quibus dum viveret, Camillus Dei gloriam provexit, longe lateque illustriorem ipsum efficiunt. Quoniam vero pluribus etiam apertis et comprobatis Apostolicae Sedis judicio miraculis heroicam

tanti Viri sanctitatem Deus palam facere dignatus est, aequum justumque censeo, ejus nomine gloriosos Sanctorum Fastos augeri: ut Orthodoxa Ecclesia ampliore cumulata decore, novum apud Deum Patronum habeat, et ritu sacro pro meritis colat.

VINCENTIUS Episcopus Praenestinus Cardinalis Petra Major Poenitentiarius.

Si heroicarum virtutum ornamenta vehemensque inprimis erga Deum et Proximum amor ac studium praeclara sunt sanctitatis eximiae argumenta, uti sunt revera, non est cur quisquam dubitet, quin beatus Camillus de Lellis merito Sanctorum Albo sit adscribendus. Nam posteaquam ope *dexterae Excelsi* e liberiori vitae Instituto in bonam se frugem recepit, assiduae orationi, humilitati, singulari patientiae, Infirmorum saluti procurandae, omnibusque pietatis operibus se consecravit. Sed cum zelo salutis animarum flagraret, videretque ab aliis Patriarchis religiosorum Ordinum vitae integrae, sancteque ducendae satis esse prospectum, novum Institutum, consilio sancti Philippi Nerii, quo praeceptore uti solebat, in Ecclesiam introduxit, cujus Alumnis hoc onus incumberet, ut Infirmis ministrarent, extremoque vitae discrimine laborantibus presto essent, curarentque hortatu, consilio, continuaque opera, ut ne pereant, sed habeant vitam aeternam. Quare Virum optimum sanctimoniae miraculorumque gloria fulgentem judico decorari iis honoribus oportere, quibus a nobis qui sunt ab Ecclesia declarati, Sancti coluntur.

JOSEPH Episcopus Tusculanus Cardinalis Accorambonus.

Eximia beati Camilli humilitas, qua cum bene de omnibus mereretur, de se dumtaxat abiecte sentiebat: Singularisque in Proximos charitas, quam omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret, cum ferventissimo amore Dei copulavit, amplissimum sane praebent ejusdem sanctitatis testimonium.

Cum igitur D. O. M. ejusdem, qua in Caelis fruitur, gloriam multis testari miraculis non destiterit, in divini cultus incrementum, Ecclesiae decus atque Ordinis Ministrantium Infirmis a B. Camillo instituti profectum versurum fore censeo, si Sanctorum Fastis adscribatur.

VINCENTIUS Episcopus Sabinensis Cardinalis Bichius.

Beatus Camillus de Lellis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundator eximio Proximi amore flagrans, nec satis de suo tantum opere factus in assistendis et serviendis pauperibus infirmis, et moribundis, pestifera etiam lue infectis, cum solus pluribus congruum officium praebere non valeret, cogitavit de nova erigenda Congregatione Virorum ad haec pia opera explenda, Divinoque fretus auxilio, nec non sanctissimi Crucifixi voce imperatus: *Inceptum opus prosequere!* Novam Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Religionem fundavit, cujus Instituti praecipua promissio et obligatio est: *Perpetuo servire Pauperibus Infirmis, quos etiam pestis incesserit;* qua in nova, et Deo inspirante a se instituta Religione vitam admirabili sanctitate traduxit, et sanctissimo conclusit exitu, pluribus miraculis post mortem ad ejus intercessionem patratis illustratam. Quantum huic eximii amoris erga Proximum Inventori et Propagatori debeant Pauperes, Infirmi et Moribundi oculata testis est Urbs ipsa Roma, quae primitias, media, beatumque finem tanti Servi Dei gloriatur aspexisse, continuaque beneficentia et utilitate fruitur Instituti: Verendum propterea non est per sanctam vitam obtinuisse Camillum Ecclesiae triumphantis consortium, per miracula exinde patrata tribuendum Illi videtur in Ecclesia militanti sanctitatis honorum fastigium.

NICOLAUS MARIA Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Lercarius.

Divinae profecto providentiae consentaneum est, ut qui pro gloria Dei et hominum utilitate in vinea Domini adeo laboravit, siculi amplissima in Caelis praemia recepit, ita

in terris debitum cultum adipiscatur. Mirabilis sane fuit lux illa de Caelo circumfulsa, qua B. Camillus de Lellis ab anteactae vitae ignorantiis ad meliorem frugem vocatus inter Electos designatus fuit, mirabilis ejus vivendi ratio, et mirabilius ejus apud Deum patrocinium, quod non modo pro medendis corporibus, sed pro animabus Fidelium sanandis ut firmius permaneat, sacrae Canonizationis honoribus debitus ei cultus augendus erit.

SYLVIUS Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.

Beati Camilli de Lellis Clericorum Infirmis Ministrantium Parentis exemplo discent Populi de mystica eorum salute numquam desperare, magnitudinem miserationum Dei agnoscentes, qui ut olim Paulum in Ecclesiae primordiis, sic eum nostris temporibus a seculi fraude abstractum, gratiae suae dono ad incolumem vitam revocavit. Sic enim Mundo crucifixus eximium se praebuit Crucis sectatorem, novum refovens gaudium, quo divinus Pastor de inventa ove supra nonagintanovem Evangelica veritate nobis traditur mirum in modum cumulatus. Quam sapienter igitur SANCTITAS VESTRA Virum poenitentia conspicuum solemni hac celebritate Christifidelibus, qui a recta vivendi ratione desciverant, Patronum, apud misericordiarum Patrem instituit, ut probe sciant aditum caelestis gloriae continenter reserari, quoties eorum corda supernorum beneficiorum virtuti pateant atque incremento.

RAPHAEL COSIMUS Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis de Hieronymis.

BEATISSIME PATER. Beatus Camillus de Lellis duro admodum initio usus est adolescentiae, et laxiorem vivendi rationem a principio inivit; at cum primum divina operante virtute aggressus est revocare se et compescere, magnae profecto sanctitatis exhibere specimen coepit. Totus igitur ad Deum conversus et postquam variis pietatis operibus se exercuerat, Clericali insuper militiae addictus, ac Sacerdotio insignitus, illam praeteris vivendi rationem assumpsit, qua animarum simul et corporum saluti prospiceret, fidelibusque aegrotantibus usque ad supremum vitae spiritum spiritualia suppeterent auxilia. Id ipse per se, et alios quos interim ejusdem Instituti Socios assumpserat, charitate in dies ferventiori in Urbe continuavit. Illius merita, et novum ejus Ordinis Institutum, quam Deus accepto tulerit, signa edocent, quae dum in carne mortali viveret, et postquam de praesenti seculo est assumptus, omnipotens Dominus ad illius invocationem dignatus est operari. Glorificandum igitur eum censeo a SANCTITATE VESTRA, et debitis praeconiis venerandum in terris, sicut Dominus per suam gratiam clarificavit in Caelis.

CAROLUS Tit. S. Mariae de Ara-Caeli Presbyter Cardinalis Calcagninus.

Buclanici quod oppidum est Theatinae Dioecesis in Regno Neapolitano ortum habuit B. Camillus de Lellis; ejus mater gravida sibi visa est Puerum peperisse gestantem Crucem in pectore, quem ut Ducem sequebatur magna turba Puerorum eadem Cruce condecorata. Quae visio certe praeludium fuit illius immensae charitatis, quam tempore suae vitae erga Infirmos exequi debebat. Quae charitas ut semper perduratura esset, nova prole Ecclesiam foecundavit Virorum Infirmis praeclaro animarum profectu inservientium; tota Italia ejus amorem experta est, sed praecipue Roma dum dirissima grassabatur pestis, qua aliquot hominum millia consumpta sunt; ipse eo morbo laborantes continuo invisens, paterno reficiebat affectu, et Ecclesiae Sacramenta propriis manibus administrans mirum in modum solabatur. Orationis cultor fuit assiduus, humilitatis eximius professor ceterarumque virtutum insignis amator, ut ex Decreto felic. record. Benedicti XIII. constare de Camilli virtutibus in gradu heroico declaratum est: In quarum testimonium adjecit Deus praeclara miracula, a quibus permota SANCTITAS VESTRA illum in Beatorum numerum retulit; et quia virtus Divina ejus sanctitatem aliis miraculis confirmavit post Beatificationem, sic jure merito adscribendum arbitror coetui Sanctorum, et

in Caelo Regnantium colendum proponi cunctis Christifidelibus, ut sit illius in exemplar et patrocinium.

PHILIPPUS MARIA Tit. S. Agnetis extra Moenia Presbyter Cardinalis de Montibus.

Opus dexterae Excelsi nobis admirandum proponitur in B. Camillo de Lellis. Hic a laxiori perditionis via revocatus, quam in juvenili aetate calcaverat, arctam mandatorum Dei semitam quae ducit ad vitam, arripuit, progressus est, ac feliciter consummavit. Nullis unquam laboribus pro sua ac Proximorum salute fatigatus in Nosocomiis, etiam posthabito vitae mortalis discrimine, aedibus privatis, imo et viis publicis videbatur aegrotantium vel mulcere angores vel ulcera manibus attrectare, ac in extremo agone constitutos spiritualibus subsidiis adjuvare, nova instructa sub salutifero Crucis signo Religiosorum familia, quae solemni voto mancipata hisce muneribus ad aegrotorum solatium obeundis incumberet. Quamobrem censeo B. Camillum, qui charitate dirigente introivit in potentias Domini, Sanctorum Fastis per SANCTITATEM VESTRAM tandem esse adscribendum, ut laudes ejus nuntiet Ecclesia, sciantque fideles Populi in eo situm esse calamitatum praesidium expressamque ardentissimae charitatis imaginem.

HIERONYMUS S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.

Quoties mihi Beati Camilli de Lellis memoria succurrit, BEATISSIME PATER, toties mecum cogitatione repeto virum illum, qui Davidico testimonio Beatus est appellatus, quod intelligeret *super Egenum et pauperem.* Egeni sane et Pauperes ii sunt, quos premit ultima imminentis mortis aegritudo, et in *Domum aeternitatis* jam jam ituros vexat praeteritorum memoria, et futurorum metus anceps, ac dubius exitus. Super hos intellexit Camilli de Lellis charitas, non quaerens quae sua sunt, sed quae Jesu Christi, incredibiles labores ultro suscipiens, quo et aegrorum corpora subsidiis opportune recrearet, et animos purgaret a vitiis, dignisque christiano nomine virtutibus informaret. In hac sanctissima charitatis militia optimum hunc Virum non militem tantummodo strenuum, sed ut Isaiae verbis utar, *Ducem* ac *Praeceptorem Gentibus* indulsit Deus, ut novo excitato religioso Ordine, insurgeret ad defendendos *Egenos ac Pauperes*, quibus in hora exitus sui colluctatio est adversus *spiritualia nequitiae Mundi Rectores, ac Tenebrarum Principes.* Exemplo atque Institutis suis B. Camillus perfecit, ne deessent in Dei Ecclesia, qui Christifideles in extremo agone constitutos docerent, *sumere scutum Fidei, in quo possent ignea tela nequissimi extinguere.* Quapropter beatum hunc Virum de universa Dei Ecclesia optime meritum, charitate ac misericordia insignem, novi Religiosi Ordinis institutione celeberrimum, Sanctorum cultu dignissimum censeo, ut qui Romae, dum olim pestilentia crudelissima Urbs haec Orbis Princeps laboraret, tanta tamque inclyta virtutum omnium documenta praestitit, eadem in Urbe meritos laboribus suis honores assequatur.

Fr. ANTONIUS Camarda Episcopus Reatinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Ostendit Deus divitias gloriae suae in vasa misericordiae, cum B. Camillum de Lellis a via iniquitatis amovit, et per viam justificationum suarum deduxit, atque exercuit in mirabilibus suis, ipsum assumendo ad maximum charitatis opus exercendum in Infirmorum administratione, in qua revera Infirmus cum infirmantibus effectus, valde placuit ei, qui Electos suos vocaturus ad gloriam, dicturus est illis: Infirmus eram, et visitastis me; maxime dignus est igitur, ut a SANCTITATE VESTRA inter illos solemniter connumeretur, qui in die retributionis audient vocem benedictionis Filii Dei: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi.

NICOLAUS Simoni Episcopus Marcianen. Assistens.

Camillus de Lellis Excelsi dextera mutatus induit loricam fidei et charitatis, quam

nunquam deinde exuit ad mortem usque. Pauperum ac languentium turmae semper immixtus sese demisit ad omne genus officiosae ac operosae pietatis. Os suum quod sapientiae aperuit, inquinamento et sordibus admovere non refugit. Nauseam tamen, quam non horruit, abunde compensatam certo nobis persuademus torrente voluptatis, quae uti laetificat civitatem Dei regnantem in Caelis, ita laetificabit militantem in terris, si illi Apostolica auctoritate celestes honores decernantur.

Fr. PLACIDUS Pezzancheri Episcopus Tiburtinus Assistens.

Beatus Camillus de Lellis, etsi aliquandiu a recto tramite adhuc Juvenis aberravit; postea tamen vigesimo quinto aetatis suae anno deductus in semitam mandatorum Domini, emendato quod olim peccaverat, posterioribusque virtutibus abunde compensato, sublimissimum Evangelicae perfectionis attigit gradum; et factus Sacerdos urgente eum charitate Christi, in curanda omni modo Proximi salute totus fuit, atque Ordinem Religiosum instituit, cujus praecipuum munus est, illis, qui in extrema lucta versantur, opitulari, ut piam christianamque oppetant mortem. Porro cum crebris ante et post mortem hic Beatus claruerit, atque in dies clareat miraculis, jure et merito in Sanctorum Confessorum numerum referendus videtur.

MARCUS ANTONIUS Amalphitanus Episcopus Ortonen. et Camplen. Assistens.

BEATISSIME PATER. Admirabilis Deus, qui dives est in misericordia, beatum Camillum de Lellis Fundatorem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis singulari providentiae suae beneficio a laxiori vivendi ratione revocavit, vitaeque sanctimonia perlucere fecit: Audita enim interius voce Domini invitantis, Crucem tollens, abnegavit nedum sua, verum etiam seipsum, et sequutus est Dominum; sicque ubi abundavit malitia, superbundavit et gratia. In eo charitas erga Deum, quae est virtutum Regina, principem habuit locum; verum quia qui Deum diligit, et Proximum diligere debet, ut nedum corporis, sed aeternam Proximorum salutem permaxime curaret, nullis laboribus nullisque pepercit periculis. Promptus animus ad ardua quaeque et abjecta pro utilitate Proximi suscipienda, ac invicta in laboribus patientia. In bello cum humani generis hoste et secum ipso gerendo, fortitudo inexpugnabilis. Admirabili solertia ac tolerantia usus est, ut omnes Christo lucrifaceret; unde speciali Dei instinctu Religiosorum hominum Congregationem instituit, addito tribus votis quarto solemni inserviendi Infirmis omnibus, etiam peste infectis, eisque spiritualium opem ferre, eo praesertim tempore, quo in mortis agone pugnam cum antiquo serpente sustinere debent, quae omnia ipse mirum in modum raro exemplo explevit. Prophetiae dono fuit illustris, et in animorum sensibus penetrandis, aeque ac sanctus Philippus Nerius, cujus nutu pendebat, et consilio regebatur, mirifice enituit. Angelici Spiritus ad ipsius obsequia saepissime descenderunt, eumque dum in maximo vitae periculo versaretur, non semel incolumem reddidere. Cumque Deus iis aliisque prodigiis innumeris, ac insignibus beneficiis Servum suum in vita et post obitum mirificaverit, dignus propterea est, ut in Sanctorum Confessorum numero adscribatur, si SANCTITATI VESTRAE videbitur.

HYACINTHUS de Silvestris Episcopus Nepesinus et Sutrinus Assistens.

Beatus Camillus de Lellis, quem (a) *nox* antea *praecessit*; quum primum *et dies appropinquavit*, *abjecit opera tenebrarum*, *induit arma lucis*, *et sicut in die honeste ambulavit. Signa* (b) ipsius sanctitatis *facta sunt super nos in omni patientia*, *insignis et prodigiis et virtutibus.* Itaque, quod veteri Romanae Ecclesiae more jamdiu receptum, ut eorum qui supra ceteros homines heroicis virtutibus sese extulere, solemni ritu memoria veluti conservaretur; id, BEATISSIME PATER, ad majorem Dei laudem et ad chri-

(a) *Pauli ad Rom. Cap.* 13. 12. (b) *Pauli* 2. *ad Corinthios Cap.* 12. 12.

stianae perfectionis incitamentum in tali tantoque Viro censeo servandum.

LUDOVICUS Savageri Episcopus Tempensis.

Habes in B. Camillo de Lellis Virum, qui Dei gratia e mundanis curis ad salutis semitam vocatus, corde contrito et humiliato singulare poenitentibus evasit exemplum, qui incredibili labore, quo pauperes levare, erigere oppressos, Infirmosque juvare studuit, eximiam misericordiam patefecit, qui demum summo illo, quo Dei tenebatur amore, atque ardentissima in Proximum charitate, Virorum Ordinem instituit, in quibus perpetuo Deo servire, spirituali Infirmorum saluti occurrere, ac contagioso morbo infectis assistere videretur. Eximium hunc Virum, BEATISSIME PATER, Angelorum quoque in terris consuetudine clarum, atque tot tantisque miraculis condecoratum, suprema auctoritate tua Sanctorum nunc Albo adscribi optant illius amantissimi Filii, instant Principes, expectant Fideles, atque Roma finitimique ei loci volunt et clamant. Horum votis mea sententia est, esse indulgendum.

ANTONIUS Franci Episcopus Crasseti.

Beatus Camillus de Lellis Fundator Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, misericordiam a Deo consecutus, ut in melius emendaret, quae ignoranter peccaverat, ita ad aratrum manum admovit, ut numquam respexerit retro, ne levia quidem in posterum peccata negligendo, et cum omnem adhibuisset diligentiam, ut perfectus Christi imitator evaderet, brevi se praebuit verum christianae Religionis et perfectae charitatis exemplar: Romam tantum testem appello, ubi durissima grassante peste, plenis languentium Nosocomiis, Compitis, Foris morientium gemitibus resonantibus, Camillus omnibus omnia factus, praesentissimo vitae discrimine, aegrotos mortis faucibus eripiebat, jacentes recreabat, migrantesque ex hac vita animas sacrificiis precibusque Deo commendabat. Post innumeros tandem pro salute Fidelium susceptos labores, meruit cum Christo regnare in Caelis, qui pro Christi amore tanta in terra passus fuit: Quapropter cum SANCTITATIS VESTRÆ ineluctabili Decreto Servum Dei beatum Camillum de Lellis Albo Sanctorum rite adscribi posse firmum ratumque sit, hoc ipsum fieri expedire censerem, si SANCTITATIS TUÆ nutus accedat. Et ita etc.

THOMAS ALEXIUS Rossi Episcopus Aprutinus.

Cum una simus in Domino sub Nostri Sanctissimi Patris et Pontificis Maximi auspiciis, omnes non diffiteor, sine mei humillimi Episcopi sententia in beati Camilli de Lellis Canonizationem asserendo concurrere.

Id unum est dicere, integrum esse virtutibus theologicis fidei (scire licet) Religiosissimi Viri, spei, et charitatis: Prodigiis etiam, quibus clare in Ecclesia fulget. Ut eapropter veneretur in terris, qui ad praesens, et in aevum regnat in Caelis.

Brevi me expediam. Illam etenim erga se male habentes mirabilem charitatem, illud laboriosissimum vitae genus morientium pientissimi Sospitis, et jugi labore singularem sedulitatem amplexatus, sat specimina dedit in vita sancti Spiritus charismata sanctae animae affluenter infusa retinuisse.

Dubitare igitur non debemus, quod Sanctissimus Pater Pontifex Maximus, et sanctae universalis Ecclesiae Magister jure quoque optimo in Album Sanctorum tantum Virum adscribere pergat, uti fere omnes humillime deprecamur.

D. INNOCENTIUS Gorgoni Episcopus Pinnensis et Hadriensis.

Cum in Sanctorum Canonizatione heroicas virtutes imitandas, caelesti aeterni Regis stola condecoratos venerandos, ac Dei amicos tanquam utiles apud eum intercessores Fidelibus proponat Ecclesia, beatum Camillum de Lellis jure optimo atque merito in Sanctorum numerum suprema atque infallibili auctoritate tua referendum esse arbitror. In eo enim Fideles omnes eximium habent humilitatis, patientiae atque mirabilis in pauperes misericordiae exemplar; in

ipsius actis, atque in instituto ab ipso Ordine charitatem illam admirantur, qua factus omnibus omnia, omnes Christo enixe lucrifacere studuit, et Angelorum, qua quondam usus perhibetur in terris, consuetudo, ac miracula, quibus in vita, post mortem, et nostris quoque diebus Romae finitimisque locis Deus ipsum glorificavit, in Caelis cum Christo regnare invicte demonstrant.

Paulo post, Consistorium tertium semipublicum postero die Sabbati habendum Apostolici Cursores denuntiarunt singulis Eminentissimis DD. Cardinalibus ac Praesulibus; relicta in uniuscujusque Domo sequenti Schedula.

INTIMATIO

Per Cursores facienda etiam Domi dimissa copia.

Sabbato *die* 11. *Junii Sanctissimus Dominus noster tertium habebit semipublicum Consistorium* hora decimatertia *in designata Palatii Apostolici Quirinalis Aula pro excipiendis suffragiis ab Eminentissimis DD. Cardinalibus, necnon Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis in Causa futurae Canonizationis beati Petri Regalati Confessoris Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, eadem penitus servando, quae pro consimilibus duobus aliis Consistoriis jam indicta fuere.*

Certiores itaque reddantur omnes et singuli Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales, necnon Reverendissimi DD. Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi in Urbe praesentes, ac Domini Protonotarii Apostolici, duo antiquiores Rotae Auditores, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, Promotor Fidei, et Procurator Fiscalis Camerae Apostolicae.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae.

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

Major fuit quam pridie et nudius quartus eorum frequentia, qui in praeparatis Aulae subselliis assederant: Antistitum enim numerus aliis supervenientibus quotidie augebatur. Ad eos, qui una cum Cardinalibus Sanctissimi adventum praestolabantur, constituta hora prodiit Papa eo vestitu ac comitatu, quo ad superiora Consistoria prius accesserat. Cum sedens aliquantisper quievisset; donec emitterentur ii, quibus locus in Aula non erat, ita dicere exorsus est.

Venerabiles Fratres. In praecedenti Consistorio vobis expendendam proposuimus Causam beati Camilli de Lellis Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis. Agendum est hodierna die de Causa beati Petri Regalati, qui sane Institutor appellari nequit, sed aut Restaurator, aut praecipuus Minister, cujus opera ac labore Reformatio Ordinis Fratrum Minorum in Hispania statuta est. Equidem Ordines Regulares inter splendidiora Ecclesiae ornameta recensentur: Leges autem, quae illis praescribuntur, Sanctitati maxime accommodatae, et consentaneae judicantur; qui tamen haud permittuntur, juxta disciplinam ab Alexandro III. Praedecessore nostro constitutam, nisi prius ab hac Sancta Sede Apostolica post accuratissimum examen comprobentur. Cum tamen Regularium Ordines hominum copia, non Angelorum, conflentur, ideo non semel ob frequentes atque inveteratas legum ipsarum violationes factum est, ut Pontifices Praedecessores nostri Ordines aliquos Regularium jampridem fundatos de medio tollendos duxerint, etiamsi Leges sanctissimas profiterentur; plerumque vero evellere coacti fuerint zizaniam frumento admixtam, opera, studioque praestantium Sanctitate Viro-

rum, qui remissos Ordines ad pristinum splendorem restituerent, et charitatis ardorem pene extinctum rursum accenderent, Regulares Ordines ad primum institutum ac normam revocantes, quam illorum Professores aliqua ex parte deseruerant. Itaque, sicut haec Sancta Apostolica Sedes animum proclivem semper ostendit, ut Fundatores Ordinum Regularium solemni ritu Sanctorum Catalogo adscriberet, quod in praecedenti Consistorio pluribus exemplis declaravimus, si tamen cumulus reliquarum virtutum ad hunc titulum simul adjungeretur, eandem rationem habuit pro Restauratoribus Ordinum Regularium, vel eorum, qui plurimum adjumenti, laborisque contulerunt ad statuendas Reformationes, non temere, et inconsulto excogitatas, sed Romanorum Pontificum auctoritate praescriptas, non solum tentatas, sed executioni demandatas, quas postremo ipsi Restauratores non modo suscipiendas aliis proposuerunt, sed ipsi prius exemplo suo integre servarunt, non ulla ducti specie utilitatis aut humanae gloriae, sed unice pro Dei gloria propaganda. Petrus de Alcantara Ordinis Minorum Restaurator fuit, et a Clemente IX. Praedecessore nostro inter Sanctos adnumeratus. Sed antea Gregorius XV. in Canonem Sanctorum retulerat Teresiam, quae singulari cum gloria restauravit Ordinem Carmelitarum, quem tum Viri, tum Mulieres profitebantur. Neque sane multum temporis praeteriit, ex quo Benedictus XIII. de Nobis optime meritus, Sanctorum Catalogo nomen addidit Joannis a Cruce, qui plurimum adjuvit sanctam Teresiam in Reformatione Carmelitani Ordinis, quam ipsa susceperat. Ex scriptis documentis, quae vobis tradita fuerunt, jam clare deprehendistis quantum laboris atque operae Petrus Regalatus impenderit ad constituendam Reformationem Ordinis Minorum, quam Apostolica Sedes praeceperat; quo studio, qua prudentia, quam magna Ordinis sui utilitate gravissimum hoc negotium administraverit. Satis etiam cognovistis morum innocentiam, quam ab adolescentia ad finem usque vitae integram conservavit, virtutum summe praestantium assiduam exercitationem dona supernaturalia, quibus a Deo cumulatus fuit, dum inter mortales ageret, pretiosam ipsius mortem, et praeclara miracula, quae ante et post illam contigerunt, ut ejus Sanctitas palam omnibus innotesceret. Quare nihil aliud superest, quam ut sententias vestras de Canonizatione ipsius indicenda Nobis declaretis.

Post Sanctitatem Suam DD. Cardinales et Praesules omnes ex ordine de ejusdem B. Petri Regalati Causa sententiam dixerunt.

PETRUS ALOYSIUS Episcopus Albanensis Cardinalis Carafa.

Si quis unquam in se compleverit, quod Jeremias dixit (a): *Bonum est Viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se;* is est profecto beatus Petrus Regalatus, qui assuetus ab infantia pietatem colere, et suavissimum divinae legis jugum sine ulla contradictione subire, *solitarius sedit*, hoc est, ab omni rerum terrenarum strepitu solutus, in seraphicam solitudinem se abdidit, atque

(a) *Thren. cap.* 3. *v.* 27. *et* 28.

ibidem *tacuit;* quia nempe a seculi perturbationibus liber, ac unius cellulae contentus angustiis, soli rerum caelestium contemplationi vacabat, ac sola Paradisi gaudia meditabatur: Quamobrem *levavit super se;* quatenus jugum divinae legis gestienti laetitia ferens, eamdem legem insigni humilitate, heroica obedientia atque admiranda tolerantia complevit. Qui itaque jugum Domini tam bona voluntate super se tulit, ac tanta alacritate ad sexaginta et amplius annos sustinuit, quod repromissam a Christo requiem (a) sit consecutus, a Christi Vicario, pluribus miraculis id exigentibus, ut decernatur quammaxime convenit.

FRANCISCUS Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Cardinalis Burghesius.

Petrus Regalatus Sacerdos Familiae Minorum S. Francisci, qui veterem severiorem disciplinam restituit inter suos: quique vitae sociam virtutem eximiam semper habuit; mortis autem comitem, illustrem gloriam famamque Sanctitatis; cuique dum viveret (ut alia praeteream) datum a Deo sicco pede super aquas incedere, cumque jam mortuus esset reviviscere, apertoque Sepulchro panem porrigere mendico; dignus ipse quidem mea sententia est, quem tu, PATER BEATISSIME, nunc tandem ornes ex ejus maximis clarissimisque virtutibus riteque consecratum in Divos referas. Atque ita ea de re censeo.

ANTONIUS XAVERIUS Tit. S. Stephani in Monte Caelio Presbyter Cardinalis Gentili.

Si Christianorum moribus in deterius collapsis magnum praesidium sensit Ecclesia Dei in beato Francisco, non modicum certe subsidium habuit in beato Petro Regalato Ordinis ejusdem S. Francisci Restauratore: Nihil enim eorum, quae miramur in Patre, desideramus in Filio; obtinuit ipse beatissimi Patriarchae spiritum duplicem, quo et virtutes ejus imitaretur, et regularem disciplinam in suis asseclis primaevo splendori restitueret; et si juxta verba scripturae, gloria Patris est Filius sapiens, duplici praerogativa fulget Petrus, et quod heroicis virtutibus insignitus Francisci Patris sui auxerit gloriam, et quod eamdem Patris gloriam sibi promeruerit in filiis suis, quos verbo et exemplo instituens Deo peperit, et quorum aliqui ab hac Sancta Sede jam diu Sanctorum Fastis sunt adscripti. Quare cum ad ejus Sanctitatem comprobandam miracula etiam accesserint, illum dignissimum censeo, qui a SANCTITATE VESTRA solemni pompa inter Sanctos cooptetur.

Fr. JOANNES ANTONIUS Tit. SS. Silvestri et Martini ad Montes Presbyter Cardinalis Guadagni.

Beatum Petrum Regalatum in Sanctorum Albo merito adscribendum plura, eaque praeclara Sanctitatis argumenta suadent. Ab ineunte enim aetate, ut excelsum Sanctitatis aedificium erigeret, de fundamento prius cogitavit humilitatis, ac avita generis nobilitate contempta, solemnibusque votis Deo nuncupatis in sacra Minorum sancti Francisci Familia, tum Proximorum saluti, tum eorum subsidio, qui vinculis carnis exoluti anhelant ad Regnum filiorum Dei, se totum mancipavit, ut vel Aegrotos in Nosocomiis, carceris squallore confectos, barbarorum captivitate detentos, eleemosynis, consiliis, obtenta libertate sublevaret: vel Defunctorum animas sibi charitate conjunctas orationibus, jugibus lacrymis, jejuniis, aliisque proprii corporis cruciatibus a piacularibus flammis expiaret. Haec et aliae virtutes miraculis coelitus illustratae postulant, BEATISSIME PATER, ut qui se humiliavit in terris, in terris quoque per SANCTITATEM VESTRAM exaltetur, et qui tamdiu seminavit in lacrymis, metat tandem in exultatione proventum, coronam scilicet auream expressam signo sanctitatis et gloria honoris.

DOMINICUS Tit. SS. XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis Riviera.

Sicuti Divina Providentia constitutum arbitror, ut iis quorum laus esse debet in Ec-

(a) *Matth. cap. 11. v. 29.*

clesia Sanctorum, post certum quemdam ac praefinitum diem caelestes in terris honores tribuantur, ita non sine manifesto Dei consilio in tua tempora reservatum puto, BEATISSIME PATER, quod tuo Decreto post plura secula de beato Petro Regalato inter Sanctos referendo sit actum. Tales enim tantaeque virtutes, quibus arctioris inter Francisci Alumnos observantiae vindex in Hispaniis emicuit, humilitas in primis, castigatio corporis, abstinentia singularis, altissima rerum divinarum contemplatio, mira in pauperes sollicitudo, *quae fortasse dixerim Petro ab Alcantara ad ejus sectanda vestigia magno postmodum fuisse exemplo*: praeterea signa quamplura ac prodigia, praesertim vero nuperrime edita, demonstrare aperte videntur, noluisse Deum hominis sanctitatem diutius latere sub modio, sed quod posita super candelabrum luceat omnibus, qui in domo sunt.

JOANNES BAPTISTA Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis Spinula.

Beatissime Pater. Beatus Petrus Regalatus puer adhuc decennis se Deo devovit, et in Fratrum Minorum Coenobium secedens soli Deo famulaturus, ea omnia heroice, fortiter, perfecteque aggressus fuit, quibus eam, quam Deus diligentibus se promisit, immarcescibilem coronam promeruit. Ipse enim Deus ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Testatus propterea est omnipotentiae suae divitiis Servi sui sanctitatem, patratis ab eo insignibus miraculis adhuc vitam agente, simulque post obitum, quibus ejus gloriam omnibus manifestare voluit. Nihil itaque superest nisi, ut meritissime per supremum SANCTITATIS VESTRÆ judicium Sanctorum Catalogo hic Servus Dei adscribatur.

RAYNERIUS Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.

Quod olim de S. Petro Apostolorum Principe apposite pronunciavit S. Bernardus, id plane de B. Petro Regalato ipse usurpaverim. (a) *Fidelem ille sermonem, et omni acceptione dignum colloquium* appellavit, quo beatus Apostolus Christo Domino dixerat (b): *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*. Fidelem et ipse eam vocem asseruerim, qua B. Petrus Regalatus cum esset decennis mundo, opibus ac nobili cognationi suae vale dicere a matre vidua enixe flagitavit, et in patrio Franciscanae Familiae Coenobio puerulus adhuc, et impubes se adscripsit, fremente humani generis hoste, qui ut olim scripsit D. Hieronymus, *cernebat se vinci a puero, et prius ab eo calcatum fuisse, quam per aetatem calcare potuisset*. In hoc autem susceptae vitae Instituto ad summum Evangelicae perfectionis culmen contendens, humilitate, odio sui, paupertatis amore, orationis Divinaeque gloriae studio, ceterisque vitae religiosae virtutibus adeo excelluit, ut Seraphici sui Patriarchae Francisci, quam simillimam imaginem per omnem aetatem retulerit, et suo exemplo quamplura per Hispaniam Coenobia ad veterem sanctimoniam et religiosam observantiam revocarit.

Quanta vero et quam sublimis B. Petri Regalati Sanctitas fuit, miracula, quibus a Deo mirificari obtinuit abunde testantur, quae tum numero, tum magnitudine a SANCTITATE VESTRA, et a Sacra Rituum Congregatione plusquam satis judicata fuerunt ad supplendam de heroicitate virtutum alias necessariam probationem.

Quare in ea prorsus sententia sum, quod indicentur a BEATITUDINE VESTRA publici et universales hujusmodi Beato honores, ut juxta Ecclesiastici monitum, sapientiam ipsius enarrent Populi, et laudem ejus nunciet Ecclesia.

DOMINICUS Tit. S. Bernardi Presbyter Cardinalis Passioneus.

Neminem fore arbitror, BEATISSIME PATER, qui magnanimos alicujus Reipublicae conditores debitis laudibus afficiens, pari honore prosequi nollet eos, qui eandem Rempublicam pene cadentem, studio et labore fulcire contenderent. Hinc per omnem aeta-

(a) *Tract. de contempt. Mund. cap.* 1. (b) *Matth.* 19.

tem et omnium linguis celebrari fortissimum Esdram accepimus, qui excelsa atque incredibili virtute corruptam legem correxit, et summa animi magnitudine dirutum Templum instauravit. Quamobrem cum Petrus Regalatus sancti Francisci Familiam, cui ab ineunte aetate nomen dederat in Hispaniarum Regnis, hominum et temporum vitio collapsam, ad veterem Institutoris normam, auctoritate et exemplo revocare studuerit, censeo, BEATISSIME PATER, adeo invictum Claustralis disciplinae Restitutorem, veluti Familiae suae alterum Esdram, in Caelitum numero post haec ingentia facta posse reponi, ut qui pro instauranda Fratrum salute in tot laboribus, vigiliis et lacrymis seminavit, portans nunc ante thronum Dei manipulos suos in Caelis, metat palmas, et agat per Te, BEATISSIME PATER, in terris de tot hostibus devictis cum exultatione triumphum.

SYLVIUS Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.

Religiosa Hominum Instituta, quorum speciosa varietate Romana praefulget Ecclesia, eo praesertim approbatione et admiratione nos provocant, quia a purioribus Evangelici praeceptoris consiliis primam atque unicam morum regulam sibi adsciscunt, qua studia et officia adeo supra naturae vires se extollunt, ut praecox quaedam inter terrarum orbem, et Caelum societas iniri et coalescere videatur.

Vestigiis clarissimorum Virorum de tanta agendi sublimitate emeritorum inhaerens beatus Petrus Regalatus, non sine maximis contentionibus et laboribus labefactum jam hoc portenti genus in Hispania instauravit. Dignus sane, BEATISSIME PATER, quod singulari colatur veneratione inter militaris Ecclesiae pugiles, qui triumphali in Patria donatus est corona.

Fr. JOACHIMUS Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Portocarrero.

Ex foecundissimo Seraphicae Religionis agro prodit en alterum, BEATISSIME PATER, Sanctitatis germen beatus Petrus Regalatus. Ab ineunte hic aetate intelligens se in sortem Domini vocatum, ut se a cupiditatibus seculi immaculatum custodiret, in sanctitate et justitia ad humilem Crucis sequelam animum contulit, et Franciscanae Familiae nomine dato, asperrimam vivendi rationem sibi constituens, tanta cordis contentione Evangelicae perfectionis stadium cucurrit, ut sanctissimos mores, mirabiles virtutes omnes beatissimi Patriarchae Francisci in se ipso mirifice expresserit, et absolutissimum evaserit exemplar. Congruum est itaque, ut qui Sanctorum merita per virtutes et prodigia, ejus nomine patrata, tam laudabiliter adaequavit, debita a militanti Ecclesia Sanctis praemia, Vestrae vocis Oraculo consequatur.

CAMILLUS Tit. SS. Joannis et Pauli Presbyter Cardinalis Paulutius.

BEATISSIME PATER. Perfectam ac undique sanctitate refulgentem vitae rationem a beato Petro Regalato peractam mihi animo menteque recolenti, tot tantaque ejus heroicae virtutis sese offerunt argumenta, ut ipsum procul ab omni dubio Sanctorum dignum honoribus justissime existimem: Verum quia non vacat ea nunc singillatim referre, ideo omissis vel maxima illa austeritate, qua suum corpus continue excruciabat, vel assidua caelestium contemplatione, qua spiritum reficiebat, vel sublimi illa humilitate, qua sui contemptum in deliciis semper habuit, sat est animum convertere ad restitutam Franciscanae Familiae suo consilio, opera atque exemplo veteris Instituti observantiam, ex quo sane ab ipso feliciter absoluto opere ejus enixum in religiosi virtutibus colendis studium, ejusque vitae sanctitas haud obscure depromitur. Cumque insuper Altissimo placuerit anteactam ejusdem vitam prodigiis comprobare, lubeat quaeso etiam SANCTITATIS VESTRÆ huic Beato Sanctorum Heroum cultum in terris decernere.

CAROLUS ALBERTUS Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Cardinalis Guidobonus Cavalchini.

Odorem suavitatis dederunt, BEATISSIME PATER, felices illae dapum reliquiae in

gratissimos rosarum flores repente conversae, quibus eximia Petri Regalati in Pauperes charitas fuit ab improvidis ejus obtrectatoribus mirabiliter vindicata. Sed longe melior et suavior Christi odor fuit ipse Petrus, quum Seraphicae Familiae hortum a primigenio Evangelicae perfectionis flore deficientem, tanquam lilium in dumeto foecundissime germinans, perenni virtutum omnium fragrantia recreavit roboravitque. Decet jamvero, BEATISSIME PATER, strenuum hunc severioris religiosae disciplinae Restauratorem communibus universae Ecclesiae laudibus celebrari, ut unusquisque Fidelium ejus exemplo atque praesidio fulcitus, tanquam flos terrae fructificantis Deo, vividior semper effloreat in sanctificationem suam.

FRIDERICUS Tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Lantes.

Inter tot, quos amplissimum Hispaniarum Regnum, veluti uberem pietatis segetem, omni aevo tulit conspicuos Sanctitate Viros, insignem certe locum jure obtinet B. Petrus Regalatus strictioris ibi disciplinae in Franciscana Familia Authbor eximius. Quamquam enim oculatis Testibus, prout moris est, ipsius heroicae virtutes ob temporis antiquitatem minime probari queant, floruit enim seculo XV., Ipsius tamen perpetua quidem ac constans fama Sanctitatis longe lateque per Hispaniam universam, tam dum viveret, quam post ejus obitum omnium sermone hominum pervagata, ac certissimis fide monumentis per manus veluti tradita, longaevus insuper in eum Hispanorum cultus, signa etiam ipsius meritis a Deo ac patrata prodigia omnino efflagitare videntur, BEATISSIME PATER, illum inter Sanctos rite esse connumerandum.

FRANCISCUS Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Cardinalis Riccius.

BEATISSIME PATER. B. Petrus Regalatus consummatissimae christianae perfectionis argumenta in ipso claustralis Ordinis S. Francisci Tirocinio omnibus patefecit. De excelso etenim misit Dominus ignem in ossibus ejus, et erudivit eum. Nil mirum igitur quod ipsius praeclarissimas Virtutes, Fidei, Spei et Charitatis cumulaverit Dominus tot insignibus donis et miraculis, ipsa rerum natura famulante fideli ac prudenti Servo, qui ardentissimo amore et puro corde ejus auctorem toto vitae curriculo intensissime coluit. Quae cum ita sint, tuum erit BEATISSIME PATER, Virum istum tantis meritis et prodigiis coruscantem Sanctorum Fastis adscribere, ut novum Christifidelibus sit virtutum exemplar, qui in omnibus se praebuit factorem bonorum operum.

ANTONIUS Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.

Beatus Petrus Regalati viam mandatorum Dei cucurrit, cum Dominus ab adolescentia dilatavit cor ejus. Viam hujusmodi ingressus incepit, perfecit, consummavitque innocenter. Impuber adhuc Franciscanae Familiae nomen dedit, atque hac nova in semita exultavit ut gigas ad currendam perfectionis viam. Ut enim ostenderet quod viveret ipse, jam non ipse, sed viveret in eo Christus Jesus: si quod arduum humilitatis, patientiae, austeritatis, flagrantisve charitatis argumentum est, in se ipso cumulatissime complevit; hancque Crucifixi imaginem jam in eo efformatam, ut in alios per imitationem transferret, et studium et operam impendit, ut Seraphica regula exactissime servaretur: Quinimmo sancti Francisci spiritum aemulando, solitudini a florenti aetate se addixit, atque solitarii recessus jam pridem in Ordine Minorum instituti extitit Promotor insignis. Tam operosis virtutibus ornatus ad culmen perfectionis et charitatis in Deum et Proximum pervenit, ut vel mortuus et jam sepultus nullo mortalium moliente, sepulchrum illico apertum est, et manum suam aperuit inopi petenti, et palmas suas extendit ad pauperem. In votis ergo omnium est, BEATISSIME PATER, ut per sacrum et publicum cultum a Te decretum fiat in praesentis seculi calamitatibus omnium adjutor fortis, qui prodigium factus est multis.

D. FORTUNATUS Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis Tamburinus.

Quae christianarum virtutum ornamenta sanctos Regularium Ordinum Institutores clarissimos reddidere, ea ipsa efficiunt, ut pietate insignes homines, qui eorundem Ordinum collapsam disciplinam restituerunt, celebrentur justissimis laudibus. Hos inter maxime elucet Petrus Regalati Sacerdos Professus Ordinis Minorum, novus Regularis observantiae apud Hispanos Restitutor, qui ejus nominis gloriam cum heroicarum virtutum laude apprime conjunxit. Nam ab ineunte aetate amore Dei usque ad contemptum sui flagrans elegit abjectus esse inter S. Francisci Filios, ut sancti Parentis demissam humilitatem ac pauperrimae vitae rationem imitaretur, et sanctissime retineret. Quarum virtutum praesidio munitus ad eam Sanctitatem pervenit, quam Deus corona justitiae donaret in Caelis; et quam signis ac prodigiis, quibus Servum suum et vivum et mortuum illustravit, terris illucere voluit. Nihil ergo jam restat aliud, nisi ut Tu, BEATISSIME PATER, tanti Viri nomen in Sanctorum Catalogo describi jubeas, quo tanquam verae Sanctitatis imaginem ipsum intueamur, et pio ac debito cultu atque honore prosequamur.

D. JOACHIM Tit. S. Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis Ekeutius.

Cum facere et pati fortia Sanctorum sit; idque praestiterit B. Petrus Regalatus non solum in exercenda, verum etiam in renovanda veteri illa asperrimaque vivendi norma, quam suis S. Franciscus de Assisio indixerat; illamque ad integritatem splendoremque pristinum innumeris difficultatibus superatis, seu melius dixerim devoratis, revocaverit: Cumque hujus Beati heroicas virtutes Caelum ipsum miraculis contestatum fuerit, ego volens libensque caeleste per prodigia judicium pie complector, illudque SANCTITATIS VESTRÆ quod Mundus expectat, venerabundus expostulo, atque suscipiam.

CAROLUS S. Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis Marinus.

Quemadmodum ardentissimae illae caelestium desideriorum flammae in beati Petri Regalati corde succensae in adeo magnum charitatis incendium excreverunt, ut perfectiora semper in mente habens, indeque usitatam licet piissimam Franciscanae Familiae vivendi methodum parvifaciens, novum in deserto loco Coenobium a se extructum, ita initialis asperrimi beatissimi Francisci Instituti rigidissimis regulis pro se et asseclis communivit, ut ipse ibi prae ceteris assidua heroicarum omnium virtutum exercitatione supremum sanctimoniae culmen attigerit.

Dextera Domini in retribuendo non parcior praesto fuit, nedum enim insignissimis illis prodigiis florescentiae panis fragmentorum in rosas, interjecti fluminis (extenso Pallio cymbam supplente) transvadationis, exanimisque ejus brachii ad impartiendam egeno stipem, non fracto sepulchri marmore mirabilis extensionis; tuto altaribus inseri, et praeclaro Beati nomine insigniri posse indicavit.

Sed binis etiam aliis aeque obstrepentibus post hunc cultum miraculis a SANCTITATE VESTRA (aeque maximo in his rebus Doctore ac Judice) late approbatis, gratissimum sibi fore solemniorem illius cultum, Deus ipse unicus miraculorum auctor hac ultima signorum voce explicavit.

Haec autem ipsa superni illius beneplaciti certitudo, juxta inconcussam hujus Apostolicae Sedis praxim, merito de se sola causare debet, ut eadem SANCTITAS VESTRA illo eodem obsequenti et libenti animo, quo semper illius placita exequitur, hoc etiam modo exequatur.

ALEXANDER S. Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Albanus.

Inter quamplurimos, quos Caelo dedit Hispania celeberrimos sanctimonia Viros, e Franciscanorum Familia foecunda Sanctorum Matre prodiit beatus Petrus Regalatus adhuc impuber religiosum professus Institutum, paupertatis amantissimus, et severioris di-

sciplinae Instaurator. Ejus charitas in sodales et exteros diffusa omnem impendit operam ad spiritalem cunctorum salutem, nec Infirmis, egenis et captivis in gravibus eorum necessitatibus defuit, et non modica, ut Petrus Apostolorum Princeps, sed firmissima fretus fide, eximiam virtutem elementis ipsis testantibus, saepius aquas sicco pede trajecit. Quam igitur etiam post beati Viri obitum Deus signis ac miraculis confirmavit Sanctitatem solemni Fidelium veneratione censeo jure celebrandam.

NERIUS S. Eustachii Diaconus Cardinalis Corsinus.

Tanta fuit virtus et Sanctitas, qua praeditus fuerat B. Petrus Regalatus, atque eadem tam perfecta tamque heroica et excellens, ut ejus odor post quatuor ferme seculorum intervallum perseveraverit, ac etiamsi illa in oblivionem venisset, tot miraculis fuerit confirmata, ut sane credam, BEATISSIME PATER, tuto posse procedi ad eum in Sanctorum Fastos adsciscendum.

AGAPITUS S. Agathae Gothorum Diaconus Cardinalis Mosca.

Repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, dum aquae fluiditatem convertit Dominus veluti in petrae soliditatem, ut Petrus Regalatus Durii aquas non semel ad incolumitatem, sed de more ad commoditatem sicco pede trajiceret. Magnificavit sane Dominus facere nobiscum: Si enim virente Synagoga convertit petram in stagna aquarum, nunc ubi sterilis peperit plurimos, atque ex Gentium vocatione Ecclesia nostra coaluit, aquam ipsam quasi in petram convertit Dominus, ut potentiam suam in Ecclesiae decus exerendo, Servi sui Sanctitatem contestaretur. Petrus ergo Regalatus, qui membrorum legem rigore poenitentiae devicerat, et cuncta sensibilia bona paupertatis amore despexerat, ita ivit de virtute in virtutem, et ascensiones in corde suo ita disposuit, ut accedere contenderit ad Deum factorem suum; qui sicuti ponit nubem ascensum suum, et ambulat super pennas ventorum, ita Servo suo dedit sicco vestigio super aquas incedere, aliisque signis coruscare. Haec porro omnia, BEATISSIME PATER, expostulant, ut Petrum Regalatum inter Sanctos recensere non dedigneris.

CAROLUS MARIA S. Mariae in Portico Diaconus Cardinalis Saeripantes.

Beatus Petrus Regalatus, qui suam animam odit in hoc mundo, ut in vitam aeternam custodiret illam, tanto aestuavit charitatis ardore erga Proximos, ut in Pauperibus sublevandis, Infirmis reficiendis, Peccatoribus ad poenitentiam revocandis manus Dei cum illo esset, per quam miracula non defuere, quae Viri Sanctitatem et cum Christo consuetudinem testarentur. Humilitatis, poenitentiae, ac innocentiae ceterarumque virtutum omnium eximium exemplar pro severiori sui Ordinis disciplina strenue decertavit, et totam Ecclesiam suis meritis exornavit. Jure igitur Sanctorum Fastis adscribendum censeo Seraphicum Virum, qui nobis gloriosa vestigia imitanda reliquit.

MARIUS SS. Cosmae et Damiani Diaconus Cardinalis Bolognettus.

Sicut lilium inter spinas servatur, ita Petrus Regalatus inter angusta paupertatis confinia et rigidas poenitentiae leges innocentiae candorem custodivit. Dignus propterea factus est, ut qui cuncta temporalia bona paupertate despexerat, et sensuum illecebras poenitentia devicerat, omnia sub ejus pedibus subjicerentur. Hinc ut Servi sui Sanctitatem Deus admirabili etiam signo contestaretur (a): *Convertit aquas in siccitatem*, ut Durium fluvium sicco vestigio Petrus de more trajiceret. Cum itaque virtutes virtutibus Petrus Regalatus vitam agendo cumulaverit, plurimisque deinceps signis inclaruerit, nihil omnino desideratur in Petro (b) *quod utile est in recipiendo Sanctificationem ejus*, quam enixis votis, BEATISSIME PATER, praestolamur.

(a) *Ecclesiast. cap.* 39. *vers.* 29. (b) *Apostolus ad Hebraeos cap.* 12. *vers.* 10.

PROSPER S. Georgii Diaconus Cardinalis Columna de Sciarra.

Heroicas virtutes B. Petri Regalati non aliter probatas scimus et veluti confirmatas, quam testimonio Divino quatuor miraculorum per quae virtutum probationem, Testibus oculatis destitutam, satis superque suppleri haec Sancta Sedes olim autumavit. Hisce quatuor miraculis nuper accesserunt alia duo, quae post indultam B. Petro venerationem facta fuisse ferebantur, quaeque ad examen revocata approbari meruerunt. Habes ergo, BEATISSIME PATER, satis superque sufficientia testimonia veritatis, quibus ad sanctarum legum praescriptum virtutes heroicae Servi Dei contestatae remanent, et via satis tuta aperitur ad decernendam B. Petro sacram solemnemque sanctificationem. Non aliis legibus Majores tui solemnes sanctificationes Beati decreverunt, neque aliter Deus Beatorum Sanctorumque virtutes testatas voluit. Eja ergo indutus virtute ex alto, et infallibili tuo judicio cultum illum B. Petro decerne, qui mirabili vivendi genere PP. Franciscanis exemplo fuit, et Fidelibus omnibus admirationem attulit, quique sic glorificari meruit post labores plurimos pro Regulari Disciplina instauranda, pro Dei gloria et pro hominum salute fortiter exantlatos.

ALEXANDER S. Mariae in Aquiro Diaconus Cardinalis Tanarius.

BEATISSIME PATER. Decet maxime, ut praestantissimi Viri, qui heroicis virtutibus dum viverent, excelluerunt, atque post mortem insigni miraculorum splendore claruerunt, infallibili Apostolicae Sanctaeque Sedis judicio in Sanctorum numerum referantur. Quare cum beatus Petrus Regalatus Evangelicae perfectionis viam a pueritia ingressus, et sanctissimum divi Francisci Institutum diligentissime ad mortem usque professus, laudatis virtutibus eminuerit; ardentissimaeque in Deum et Proximum charitatis prodigium in hac mortali vita factus sit cunctis; indeque immortalem adeptus, luculentissima miraculorum luce ab eo ornatus fuerit, qui facit mirabilia solus; Quid aliud restat, nisi ut SANCTITATIS TUÆ sententia, Eum solemnius regnare in Caelis intelligamus, eumdemque in terra alacrius imitari et ferventius venerari possimus.

HIERONYMUS S. Adriani Diaconus Cardinalis de Bardis.

Tantum abfuit ut (a) fascinatio nugacitatis mentem B. Petri Regalati obscuraret, et incostantia concupiscientiae sensum transverteret, ut a prima ipsa aetate (b) exultavit sicut gigas, et Sanctitatis viam currere visus fuit. Id autem maxime patuit cum in Seraphicum Ordinem cooptatus partim exemplo, partim opera ac studio ad sanctissimi Patriarchae Francisci (c) legem vitae et disciplinae restituendam tam diligenter incubuit. Quare cum (d) Justi hujus semita usque ad perfectam diem processerit, et quasi (e) lux splendens pluribus miraculis luxerit, rem Ecclesiae perutilem SANCTITATEM VESTRAM facturam esse censeo, si eundem Sanctorum Fastis adscribat, ut quas (f) firmamenti splendor et quasi stella in perpetuas effulgeat aeternitates.

DOMINICUS SS. Viti et Modesti Diaconus Cardinalis Ursinus.

BEATISSIME PATER. Eximia sanctimoniae luce usque ab ineunte aetate coruscavit Petrus Regalatus: Majora praetulit postquam avitis honoribus Mundique illecebris heroice pessundatis Religioni nomen dedit: Tunc enim exultans ut gigas ad currendam perfectionis viam, regulari observantia inter Hispanos restituta virtutes omnes, praesertim humilitatis, abstinentiae, paupertatis, patientiae et charitatis, adeo solus ipse complexus est, ut vix ceteri singulas: Quare sicut in diebus suis placuit Deo, et inventus est Justus, ideo magnificavit eum insignium donatione charismatum: Quibus rite comprobatis, dignum propterea est, ut caelestibus ille prosequatur honoribus, qui terrenos de-

(a) *Sap.* 4. (b) *Psal.* 18. (c) *Eccles.* 45. (d) *Prov.* 4. (e) *Matth.* 5. (f) *Dan.* 12.

spexit: et velut Sanctitatis speculum universae Ecclesiae proponatur.

MUNDILLUS Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Charitas ut Apostolus docet, est vinculum perfectionis, et plenitudo legis est dilectio. Proinde si quis est, qui beati Petri Regalati virtutes inter se colligatas uno intuitu comprehendere velit, in ejus singularem erga Deum et Proximos charitatem intueatur. Quanto fervore animi raperetur in Deum ex his perspici facile potest: Quod pene puer perfectionis iter arripiens contemplatione defigeretur in eum, quem per aetatem nosse vix poterat: Quod decennis unicum Deum sitiens paternae domus honores divitiasque contempserit, atque ut pauperrimum sancti Francisci Institutum amplecti sibi liceret flagrantissimis precibus a Matre postulaverit ac demum obtinuerit: Quod ut Deo conjunctis adhaereret, atque in dies placeret magis, ejusdem Instituti disciplinam ad veterem integritatem revocaverit: Denique quod ceteris severiorem illam vivendi formam profitentibus omni asperitatum genere omnique virtutum exercitio longe antecesserit. Dilectionem vero ejus erga Proximum tria potissimum luculenter testantur. Testatur pietas in aegrotos eo usque heroica, ut eorum ulcera lambere non perhorresceret. Testatur indefessus in lucrandis animis labor; praesertim vero sollicitudo ut Proximi diligerent alterutrum, et mutuam in semetipsis charitatem haberent. Testantur demum immanes illi cruciatus, quibus in se ipsum saeviens animas in Purgatorio detentas ab iis ignibus quam celerrime eripere satagebat. Æquum igitur est, ut talem Virum, qui dum viveret semper in charitate mansit, nunc in Deo manere, et Deum in eo, SANCTITAS VESTRA infallibili sua definitione pronunciet.

ANTONIUS MARIA Pallavicinus Patriarcha Antiochenus Assistens.

Seraphici Patris imitator egregius Petrus Regalatus antiquam sui Ordinis disciplinam restituit: Cum asperrima vivendi ratione ac jugi divinarum rerum contemplatione, pietatis Officia et in Proximum charitatem conjungens perfectiorem utriusque vitae formam omnium admirationi exhibuit. Inaudita miraculorum novitate ac magnitudine adeo effulsit, ut inter Sanctos recenseri et apud homines exaltari mereatur.

THOMAS Cervini Patriarcha Hierosolymitanus Assistens.

Dicente Christo Domino: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus;* beatus Petrus Regalatus, ut hanc sibi perfectionem compararet, Matrem a prima aetate deseruit, generis splendorem ac seculi divitias contempsit, ut pauperrimum sancti Francisci Institutum amplecteretur; quod cum ad pristinam paupertatem revocasset, magnisque virtutibus et signis conspicuus effulsisset, sanctissime obiit. Quid igitur amplius ut inter spectatissimos Christi discipulos cooptetur?

GABRIEL Eva Syrus Maronita Archiepiscopus Cypri Assistens.

Beatus Petrus Regalatus non modo videtur mihi Regularem Ordinis Minorum inter Hispanos observantiam restituisse; sed etiam sancti Petri Apostolorum Principis super maris undas ad Christum Dominum ambulantis miracula renovasse. Quotiescumque enim flumen Durium superaturo navicula in promptu non esset, pallio super undas extenso trans fluvium gradiebatur. Ita sanctissimi Petri et nomen et virtutem induerat. Quum igitur et vivens Petrum virtutibus retulerit, et post obitum iis miraculis claruerit, quae a Sacra Rituum Congregatione sunt comprobata, hoc unum superest, ut SANCTITAS VESTRA quae Petri Cathedrae est heres, Petro in sancta Petri Æde Sanctorum nomen et cultum Apostolica auctoritate decernat.

ALEXANDER Borgia Archiepiscopus Firmanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Minoritica divi Francisci Familia in hac luce temporum profert

de thesauro suo nova et vetera. Siquidem non solum beatos viros Fidelem a Sigmaringa, et Josephum a Leonissa tanquam superioris seculi Alumnos suos Tibi offert supremis Sanctorum titulis decorandos, verum etiam Petrum Regalatum Hispanum a tribus post ejus excessum seculis perpetuo Regum ac Populorum cultu, accedente etiam Apostolicae Sedis approbatione donatum: Virum sane mirae sanctimoniae, et apud Fratres suos priscae ac severioris disciplinae exemplo magis quam verbo Instauratorem, cujus adhuc vivi imperio omnipotens Deus elementa subjecit, a quo defunto praestari voluit ea, quae vivus praestitit: Quapropter censeo tutissimum fore judicium, quo illi amplior titulus, solemnior cultus a Te, SANCTISSIME PATER, decernatur; si enim in his judiciis Ecclesia consuevit testimonia hominum accipere, nonne testimonium trium seculorum majus est? Rursus si testimoniis hominum Ecclesia non acquiescit, at divini etiam testimonii signa et prodigia requirit, nonne transmissa sicco pede flumina, confectum una tantum hora ad quadraginta millia passuum iter, conversa in flores panis et carnis fragmenta, porrectus e sepulchro mortua manu mendico panis sanctimoniam et gloriam tanti Viri abunde testantur ac praedicant?

MICHAEL de Palma Archiepiscopus Theatinus Assistens.

Invicto martyri, ac Fundatori egregio succedit in Ordine, SANCTISSIME PATER, B. Petrus Regalatus, cujus insigne meritum in eo resplendet quod inexplicabilibus exantlatis laboribus, ad primaevi fervoris gloriam, suae Familiae observantiam revocaverit, auxerit, instauraverit, cui proinde, aeque ac aliis, Reformatoris eximii elogium grande haud incongrue adscriberetur.

De Viri hujus percelebri Sanctitate abunde suademur, ex quo itinera vitae suae duplici gressu mire confecerit, innocentia videlicet morum ac ardore pietatis: Seraphico Ordini adhuc impuber adscriptus alacriter *ivit de virtute in virtutem*, assiduoque earum exercitamento cuncto Populo sese conspicuum reddidit atque mirabilem.

Sanctitati vitae robur addidere ac testimonium signa atque prodigia, quibus in Ecclesia Christi vivens mortuusque praefulsit.

Omnia haec, PATER BEATISSIME, sive virtutes, sive miracula voces de Caelo sunt, quae in B. Petro Regalato *enarrant gloriam Dei*. Teque summum Vicarium ejus excitant in terris, ut tandem aliquando irreformabili Oraculo de Sanctitate ejus (veluti supplicamus) pronuncies, ac pro eo pares praecipias honores, queis ceteri Sancti in Ecclesia venerantur.

STANISLAUS Polidstri Archiepiscopus Rossanus Assistens.

Ex clarissima Regalatorum Familia, Valisoleti in Castellae Hispaniarum Regno celeberrima Urbe, beati Petri venerabile nomen, biscentum ab hinc annis inter coelites adscribendum: Summa tandem animi alacritate, summa aeque pariter mentis admiratione, ex ore vestro, SANCTISSIME PATER, tandem prodire divina indulsit Providentia. Ejusque luculentissima merita et heroicas virtutes assiduis miraculis illustratas, tamdiu oculatis testibus destitutas, nunc demum nimio SANCTITATIS VESTRÆ labore, non minus ac longissima diligentia et laboriosissimo studio exagitatas, ac ea praesertim qua omnes antecellis suavitate dicendi, divinarum rerum peritia et eloquentia, recenseri audit aetas nostra et exultat. Quinimmo inter tot annorum invidiosa certamina, optatissimum Virum atque omni laude dignissimum, divinae vocis oraculo inter Sanctos relatum, congaudet excipere in gremio. Quid igitur pro ingenii mei paupertate post talem ac tantum laudatorem eximium adjicere possum! Quidnam de tanto Sanctitatis Heroe, de quo memoria traditum est, quod inter ceteras christiano nomine dignas animi dotes, adeo effusa in Deum aestuarent divini amoris incendia; ad eo exardescens erga genus humanum caelestis flamma charitatis urgeret; adeo in sanctissimam sui Ordinis disciplinam ex humana fragilitate collapsam, reparandam ardens desiderium commendaret, ut BENEDICTUM Optimum Maximum Pontificem hujus nominis XIV. meruerit habere praeconem

egregium, tradere valeam! Ni ea tantum profecto, quae ad nostram imbecillitatem sublevandam, quaeque ad nostram tuto comparandam felicitatem utilia magis ac necessaria videntur! Sanctorum enim exempla et facinora gloriosa ideo nobis proponuntur in terris, ut per ea, quasi per viam tritam ac bene paratam, per arduum salutis iter facili negotio unusquisque arripere, eoque arrepto in perfectionis stadio reddatur alacrior, et in currendo, non quasi in incerto, sed Sanctorum vestigia sectando sic currat ut comprehendere animetur. Relatis igitur pro modulo meo SANCTITATI VESTRÆ gratiarum actionibus, dum Petrum Regalatum Virum rectum, humilem, hospitalem, prudentem, liberalem, fidelem, poenitentiae spectaculum, charitatis splendorem, Sanctitatis oraculum, perfectionis vexillum, virtutum omnium Magistrum, auctoritate suprema dictante proponit, totisque conatibus, ut sequamur, inflammare contendit. Dum igitur inter caelites adscribitur, hoc unum pro mea sententia et voto vehementer etiam atque etiam rogare non desino, ut imitari non pigeat, quem laudare delectat.

FERDINANDUS MARIA de Rubeis Archiepiscopus Tarsi Assistens.

Beatissime Pater. Inter tot tantasque virtutes, quibus B. Petrus emicuit, illa certe eminentior fuit, misericordia in Pauperes, quos (etiam mortuus) juvare non destitit. Videant itaque pauperes et laetentur. Videant beatum Virum, qui intellexit super egenum et pauperum, in Sanctorum Canonem relatum; et quem jam tam eis beneficum experti sunt, praestantissimum habeant in Caelis patronum.

JOANNES ANDREAS Tria Archiepiscopus Tyri Assistens.

Petrum Regalatum animam bonam a Domino sortitum fuisse plura habemus testimonia: Hic enim pubertate nondum exacta, ut perfectionis iter arriperet, in Franciscana Familia votis solemnibus Deo se mancipavit, et studio renovandi antiquum vivendi asperum genus, quod suis Patriarcha Franciscus indixerat, facultate ab Ordinarii Praefecto impetrata, una cum Villacretio, Viro ejusdem Ordinis clarissimo, in solitudinem secessit, ibique alii tum ex Minorum Familia, tum Presbyteri seculares suae virtutis fama allecti, una cum ipsis convenerunt, et Ordine interposita felicis recordationis Martini V. auctoritate instaurato, quidquid reliquum a domesticis curis temporis erat, id omne in Proximorum salutem impendebat, in eos praesertim, qui vel in Nosocomiis gravi aliquo morbo affligerentur, vel in Carceribus, vel in Turcarum vinculis inedia et squalore conficerentur; et misericors Deus Petri Regalati Sanctitatem pluribus donis et miraculis comprobavit: Inter alia iter plurium dierum unius horae spatio confecit, panis et carnis frusta ex communi mensa collecta, ad occultandum charitatis testimonium in flores convertit, aquas sicco pede trajecit, eo mortuo corpus flexibile redditum, suavissimum odorem redolebat, stipem languenti pauperi sua propria manu, e quam sepulchro exeruit, tradidit.

Quo factum est, ut probato plurium seculorum cultu, Venerabilis Servus Dei Innocentius XI. Officium et Missam in ipsius honorem quotannis celebrari permiserit. Superest modo, ut Decretum per SANCTITATEM VESTRAM latum pro ejus Canonizatione executioni demandetur, prout ad id tuto deveniri posse demisse censeo.

MICHAEL MARIA Vincentini Archiepiscopus Theodosiae Assistens.

Beatissime Pater. Beatum Petrum Regalatum, quem paupertate, jejuniis, vigiliisque conspicuum, in Deum ac Proximum charitate ferventem, ceterisque praestantissimum virtutibus inspexere anteacta secula, tot ac tanta sequuta sunt praeter ordinem Sanctitatis opera et prodigia, ut divino afflata spiritu SANCTITAS VESTRA de veneratione, Arisque tanto Viro praestandis sapientissime excogitaverit.

SIMON Gritti Archiepiscopus Tyanensis Assistens.

Beatissime pater. Beati Petri Regalati, quam ipse ab incunabulis sortitus est animam

ibidem *tacuit;* quia nempe a seculi perturbationibus liber, ac unius cellulae contentus angustiis, soli rerum caelestium contemplationi vacabat, ac sola Paradisi gaudia meditabatur: Quamobrem *levavit super se;* quatenus jugum divinae legis gestienti laetitia ferens, eamdem legem insigni humilitate, heroica obedientia atque admiranda tolerantia complevit. Qui itaque jugum Domini tam bona voluntate super se tulit, ac tanta alacritate ad sexaginta et amplius annos sustinuit, quod repromissam a Christo requiem (a) sit consecutus, a Christi Vicario, pluribus miraculis id exigentibus, ut decernatur quammaxime convenit.

FRANCISCUS Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Cardinalis Burghesius.

Petrus Regalatus Sacerdos Familiae Minorum S. Francisci, qui veterem severiorem disciplinam restituit inter suos: quique vitae sociam virtutem eximiam semper habuit; mortis autem comitem, illustrem gloriam famamque Sanctitatis; cuique dum viveret (ut alia praeteream) datum a Deo sicco pede super aquas incedere, cumque jam mortuus esset reviviscere, apertoque Sepulchro panem porrigere mendico; dignus ipse quidem mea sententia est, quem tu, PATER BEATISSIME, nunc tandem ornes ex ejus maximis clarissimisque virtutibus riteque consecratum in Divos referas. Atque ita ea de re censeo.

ANTONIUS XAVERIUS Tit. S. Stephani in Monte Caelio Presbyter Cardinalis Gentili.

Si Christianorum moribus in deterius collapsis magnum praesidium sensit Ecclesia Dei in beato Francisco, non modicum certe subsidium habuit in beato Petro Regalato Ordinis ejusdem S. Francisci Restauratore: Nihil enim eorum, quae miramur in Patre, desideramus in Filio; obtinuit ipse beatissimi Patriarchae spiritum duplicem, quo et virtutes ejus imitaretur, et regularem disciplinam in suis asseclis primaevo splendori restitueret; et si juxta verba scripturae, gloria Patris est Filius sapiens, duplici praerogativa fulget Petrus, et quod heroicis virtutibus insignitus Francisci Patris sui auxerit gloriam, et quod eamdem Patris gloriam sibi promeruerit in filiis suis, quos verbo et exemplo instituens Deo peperit, et quorum aliqui ab hac Sancta Sede jam diu Sanctorum Fastis sunt adscripti. Quare cum ad ejus Sanctitatem comprobandam miracula etiam accesserint, illum dignissimum censeo, qui a SANCTITATE VESTRA solemni pompa inter Sanctos cooptetur.

Fr. JOANNES ANTONIUS Tit. SS. Silvestri et Martini ad Montes Presbyter Cardinalis Guadagni.

Beatum Petrum Regalatum in Sanctorum Albo merito adscribendum plura, eaque praeclara Sanctitatis argumenta suadent. Ab ineunte enim aetate, ut excelsum Sanctitatis aedificium erigeret, de fundamento prius cogitavit humilitatis, ac avita generis nobilitate contempta, solemnibusque votis Deo nuncupatis in sacra Minorum sancti Francisci Familia, tum Proximorum saluti, tum eorum subsidio, qui vinculis carnis exoluti anhelant ad Regnum filiorum Dei, se totum mancipavit, ut vel Aegrotos in Nosocomiis, carceris squallore confectos, barbarorum captivitate detentos, eleemosynis, consiliis, obtenta libertate sublevaret: vel Defunctorum animas sibi charitate conjunctas orationibus, jugibus lacrymis, jejuniis, aliisque proprii corporis cruciatibus a piacularibus flammis expiaret. Haec et aliae virtutes miraculis coelitus illustratae postulant, BEATISSIME PATER, ut qui se humiliavit in terris, in terris quoque per SANCTITATEM VESTRAM exaltetur, et qui tamdiu seminavit in lacrymis, metat tandem in exultatione proventum, coronam scilicet auream expressam signo sanctitatis et gloria honoris.

DOMINICUS Tit. SS. XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis Riviera.

Sicuti Divina Providentia constitutum arbitror, ut iis quorum laus esse debet in Ec-

(a) *Matth. cap. 11. v. 29.*

clesia Sanctorum, post certum quemdam ac praefinitum diem caelestes in terris honores tribuantur, ita non sine manifesto Dei consilio in tua tempora reservatum puto, BEATISSIME PATER, quod tuo Decreto post plura secula de beato Petro Regalato inter Sanctos referendo sit actum. Tales enim tantaeque virtutes, quibus arctioris inter Francisci Alumnos observantiae vindex in Hispaniis emicuit, humilitas in primis, castigatio corporis, abstinentia singularis, altissima rerum divinarum contemplatio, mira in pauperes sollicitudo, *quae fortasse dixerim Petro ab Alcantara ad ejus sectanda vestigia magno postmodum fuisse exemplo*: praeterea signa quamplura ac prodigia, praesertim vero nuperrime edita, demonstrare aperte videntur, noluisse Deum hominis sanctitatem diutius latere sub modio, sed quod posita super candelabrum luceat omnibus, qui in domo sunt.

JOANNES BAPTISTA Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis Spinula.

Beatissime Pater. Beatus Petrus Regalatus puer adhuc decennis se Deo devovit, et in Fratrum Minorum Coenobium secedens soli Deo famulaturus, ea omnia heroice, fortiter, perfecteque aggressus fuit, quibus eam, quam Deus diligentibus se promisit, immarcescibilem coronam promeruit. Ipse enim Deus ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Testatus propterea est omnipotentiae suae divitiis Servi sui sanctitatem, patratis ab eo insignibus miraculis adhuc vitam agente, simulque post obitum, quibus ejus gloriam omnibus manifestare voluit. Nihil itaque superest nisi, ut meritissime per supremum SANCTITATIS VESTRÆ judicium Sanctorum Catalogo hic Servus Dei adscribatur.

RAYNERIUS Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.

Quod olim de S. Petro Apostolorum Principe apposite pronunciavit S. Bernardus, id plane de B. Petro Regalato ipse usurpaverim. (a) *Fidelem ille sermonem, et omni acceptione dignum colloquium* appellavit, quo beatus Apostolus Christo Domino dixerat (b): *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*. Fidelem et ipse eam vocem asseruerim, qua B. Petrus Regalatus cum esset decennis mundo, opibus ac nobili cognationi suae vale dicere a matre vidua enixe flagitavit, et in patrio Franciscanae Familiae Coenobio puerulus adhuc, et impubes se adscripsit, fremente humani generis hoste, qui ut olim scripsit D. Hieronymus, *cernebat se vinci a puero, et prius ab eo calcatum fuisse, quam per aetatem calcare potuisset*. In hoc autem susceptae vitae Instituto ad summum Evangelicae perfectionis culmen contendens, humilitate, odio sui, paupertatis amore, orationis Divinaeque gloriae studio, ceterisque vitae religiosae virtutibus adeo excelluit, ut Seraphici sui Patriarchae Francisci, quam simillimam imaginem per omnem aetatem retulerit, et suo exemplo quamplura per Hispaniam Coenobia ad veterem sanctimoniam et religiosam observantiam revocarit.

Quanta vero et quam sublimis B. Petri Regalati Sanctitas fuit, miracula, quibus a Deo mirificari obtinuit abunde testantur, quae tum numero, tum magnitudine a SANCTITATE VESTRA, et a Sacra Rituum Congregatione plusquam satis judicata fuerunt ad supplendam de heroicitate virtutum alias necessariam probationem.

Quare in ea prorsus sententia sum, quod indicentur a BEATITUDINE VESTRA publici et universales hujusmodi Beato honores, ut juxta Ecclesiastici monitum, sapientiam ipsius enarrent Populi, et laudem ejus nunciet Ecclesia.

DOMINICUS Tit. S. Bernardi Presbyter Cardinalis Passioneus.

Neminem fore arbitror, BEATISSIME PATER, qui magnanimos alicujus Reipublicae conditores debitis laudibus afficiens, pari honore prosequi nollet eos, qui eandem Rempublicam pene cadentem, studio et labore fulcire contenderent. Hinc per omnem aeta-

(a) *Tract. de contempt. Mund. cap.* 1. (b) *Matth.* 19.

tem et omnium linguis celebrari fortissimum Esdram accepimus, qui excelsa atque incredibili virtute corruptam legem correxit, et summa animi magnitudine dirutum Templum instauravit. Quamobrem cum Petrus Regalatus sancti Francisci Familiam, cui ab ineunte aetate nomen dederat in Hispaniarum Regnis, hominum et temporum vitio collapsam, ad veterem Institutoris normam, auctoritate et exemplo revocare studuerit, censeo, BEATISSIME PATER, adeo invictum Claustralis disciplinae Restitutorem, veluti Familiae suae alterum Esdram, in Caelitum numero post haec ingentia facta posse reponi, ut qui pro instauranda Fratrum salute in tot laboribus, vigiliis et lacrymis seminavit, portans nunc ante thronum Dei manipulos suos in Caelis, metat palmas, et agat per Te, BEATISSIME PATER, in terris de tot hostibus devictis cum exultatione triumphum.

SYLVIUS Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.

Religiosa Hominum Instituta, quorum speciosa varietate Romana praefulget Ecclesia, eo praesertim approbatione et admiratione nos provocant, quia a purioribus Evangelici praeceptoris consiliis primam atque unicam morum regulam sibi adsciscunt, qua studia et officia adeo supra naturae vires se extollunt, ut praecox quaedam inter terrarum orbem, et Caelum societas iniri et coalescere videatur.

Vestigiis clarissimorum Virorum de tanta agendi sublimitate emeritorum inhaerens beatus Petrus Regalatus, non sine maximis contentionibus et laboribus labefactum jam hoc portenti genus in Hispania instauravit. Dignus sane, BEATISSIME PATER, quod singulari colatur veneratione inter militaris Ecclesiae pugiles, qui triumphali in Patria donatus est corona.

Fr. JOACHIMUS Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Portocarrero.

Ex foecundissimo Seraphicae Religionis agro prodit en alterum, BEATISSIME PATER, Sanctitatis germen beatus Petrus Regalatus. Ab ineunte hic aetate intelligens se in sortem Domini vocatum, ut se a cupiditatibus seculi immaculatum custodiret, in sanctitate et justitia ad humilem Crucis sequelam animum contulit, et Franciscanae Familiae nomine dato, asperrimam vivendi rationem sibi constituens, tanta cordis contentione Evangelicae perfectionis stadium cucurrit, ut sanctissimos mores, mirabiles virtutes omnes beatissimi Patriarchae Francisci in se ipso mirifice expresserit, et absolutissimum evaserit exemplar. Congruum est itaque, ut qui Sanctorum merita per virtutes et prodigia, ejus nomine patrata, tam laudabiliter adaequavit, debita a militanti Ecclesia Sanctis praemia, Vestrae vocis Oraculo consequatur.

CAMILLUS Tit. SS. Joannis et Pauli Presbyter Cardinalis Paulutius.

BEATISSIME PATER. Perfectam ac undique sanctitate refulgentem vitae rationem a beato Petro Regalato peractam mihi animo menteque recolenti, tot tantaque ejus heroicae virtutis sese offerunt argumenta, ut ipsum procul ab omni dubio Sanctorum dignum honoribus justissime existimem: Verum quia non vacat ea nunc singillatim referre, ideo omissis vel maxima illa austeritate, qua suum corpus continue excruciabat, vel assidua caelestium contemplatione, qua spiritum reficiebat, vel sublimi illa humilitate, qua sui contemptum in deliciis semper habuit, sat est animum convertere ad restitutam Franciscanae Familiae suo consilio, opera atque exemplo veteris Instituti observantiam, ex quo sane ab ipso feliciter absoluto opere ejus enixum in religiosi virtutibus colendis studium, ejusque vitae sanctitas haud obscure depromitur. Cumque insuper Altissimo placuerit anteactam ejusdem vitam prodigiis comprobare, lubeat quaeso etiam SANCTITATIS VESTRÆ huic Beato Sanctorum Heroum cultum in terris decernere.

CAROLUS ALBERTUS Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Cardinalis Guidobonus Cavalchini.

Odorem suavitatis dederunt, BEATISSIME PATER, felices illae dapum reliquiae in

gratissimos rosarum flores repente conversae, quibus eximia Petri Regalati in Pauperes charitas fuit ab improvidis ejus obtrectatoribus mirabiliter vindicata. Sed longe melior et suavior Christi odor fuit ipse Petrus, quum Seraphicae Familiae hortum a primigenio Evangelicae perfectionis flore deficientem, tanquam lilium in dumeto foecundissime germinans, perenni virtutum omnium fragrantia recreavit roboravitque. Decet jamvero, BEATISSIME PATER, strenuum hunc severioris religiosae disciplinae Restauratorem communibus universae Ecclesiae laudibus celebrari, ut unusquisque Fidelium ejus exemplo atque praesidio fulcitus, tanquam flos terrae fructificantis Deo, vividior semper effloreat in sanctificationem suam.

***FRIDERICUS** Tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Lantes.*

Inter tot, quos amplissimum Hispaniarum Regnum, veluti uberem pietatis segetem, omni aevo tulit conspicuos Sanctitate Viros, insignem certe locum jure obtinet B. Petrus Regalatus strictioris ibi disciplinae in Franciscana Familia Author eximius. Quamquam enim oculatis Testibus, prout moris est, ipsius heroicae virtutes ob temporis antiquitatem minime probari queant, floruit enim seculo XV., Ipsius tamen perpetua quidem ac constans fama Sanctitatis longe lateque per Hispaniam universam, tam dum viveret, quam post ejus obitum omnium sermone hominum pervagata, ac certissimis fide monumentis per manus veluti tradita, longaevus insuper in eum Hispanorum cultus, signa etiam ipsius meritis a Deo ac patrata prodigia omnino efflagitare videntur, BEATISSIME PATER, illum inter Sanctos rite esse connumerandum.

***FRANCISCUS** Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Cardinalis Riccius.*

BEATISSIME PATER. B. Petrus Regalatus consummatissimae christianae perfectionis argumenta in ipso claustralis Ordinis S. Francisci Tirocinio omnibus patefecit. De excelso etenim misit Dominus ignem in ossibus ejus, et erudivit eum. Nil mirum igitur quod ipsius praeclarissimas Virtutes, Fidei, Spei et Charitatis cumulaverit Dominus tot insignibus donis et miraculis, ipsa rerum natura famulante fideli ac prudenti Servo, qui ardentissimo amore et puro corde ejus auctorem toto vitae curriculo intensissime coluit. Quae cum ita sint, tuum erit BEATISSIME PATER, Virum istum tantis meritis et prodigiis coruscantem Sanctorum Fastis adscribere, ut novum Christifidelibus sit virtutum exemplar, qui in omnibus se praebuit factorem bonorum operum.

***ANTONIUS** Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.*

Beatus Petrus Regalati viam mandatorum Dei cucurrit, cum Dominus ab adolescentia dilatavit cor ejus. Viam hujusmodi ingressus incepit, perfecit, consummavitque innocenter. Impuber adhuc Franciscanae Familiae nomen dedit, atque hac nova in semita exultavit ut gigas ad currendam perfectionis viam. Ut enim ostenderet quod viveret ipse, jam non ipse, sed viveret in eo Christus Jesus: si quod arduum humilitatis, patientiae, austeritatis, flagrantisve charitatis argumentum est, in se ipso cumulatissime complevit; hancque Crucifixi imaginem jam in eo efformatam, ut in alios per imitationem transferret, et studium et operam impendit, ut Seraphica regula exactissime servaretur: Quinimmo sancti Francisci spiritum aemulando, solitudini a florenti aetate se addixit, atque solitarii recessus jam pridem in Ordine Minorum instituti extitit Promotor insignis. Tam operosis virtutibus ornatus ad culmen perfectionis et charitatis in Deum et Proximum pervenit, ut vel mortuus et jam sepultus nullo mortalium moliente, sepulchrum illico apertum est, et manum suam aperuit inopi petenti, et palmas suas extendit ad pauperem. In votis ergo omnium est, BEATISSIME PATER, ut per sacrum et publicum cultum a Te decretum fiat in praesentis seculi calamitatibus omnium adjutor fortis, qui prodigium factus est multis.

D. FORTUNATUS Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis Tamburinus.

Quae christianarum virtutum ornamenta sanctos Regularium Ordinum Institutores clarissimos reddidere, ea ipsa efficiunt, ut pietate insignes homines, qui eorumdem Ordinum collapsam disciplinam restituerunt, celebrentur justissimis laudibus. Hos inter maxime elucet Petrus Regalati Sacerdos Professus Ordinis Minorum, novus Regularis observantiae apud Hispanos Restitutor, qui ejus nominis gloriam cum heroicarum virtutum laude apprime conjunxit. Nam ab ineunte aetate amore Dei usque ad contemptum sui flagrans elegit abjectus esse inter S. Francisci Filios, ut sancti Parentis demissam humilitatem ac pauperrimae vitae rationem imitaretur, et sanctissime retineret. Quarum virtutum praesidio munitus ad eam Sanctitatem pervenit, quam Deus corona justitiae donaret in Caelis; et quam signis ac prodigiis, quibus Servum suum et vivum et mortuum illustravit, terris illucere voluit. Nihil ergo jam restat aliud, nisi ut Tu, BEATISSIME PATER, tanti Viri nomen in Sanctorum Catalogo describi jubeas, quo tanquam verae Sanctitatis imaginem ipsum intueamur, et pio ac debito cultu atque honore prosequamur.

D. JOACHIM Tit. S. Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis Asquinius.

Cum facere et pati fortia Sanctorum sit; idque praestiterit B. Petrus Regalatus non solum in exercenda, verum etiam in renovanda veteri illa asperrimaque vivendi norma, quam suis S. Franciscus de Assisio indixerat; illamque ad integritatem splendoremque pristinum innumeris difficultatibus superatis, seu melius dixerim devoratis, revocaverit: Cumque hujus Beati heroicas virtutes Caelum ipsum miraculis contestatum fuerit, ego volens libensque caeleste per prodigia judicium pie complector, illudque SANCTITATIS VESTRÆ quod Mundus expectat, venerabundus expostulo, atque suscipiam.

CAROLUS S. Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis Marinus.

Quemadmodum ardentissimae illae caelestium desideriorum flammae in beati Petri Regalati corde succensae in adeo magnum charitatis incendium excreverunt, ut perfectiora semper in mente habens, indeque usitatam licet piissimam Franciscanae Familiae vivendi methodum parvifaciens, novum in deserto loco Coenobium a se extructum, ita initialis asperrimi beatissimi Francisci Instituti rigidissimis regulis pro se et asseclis communivit, ut ipse ibi prae ceteris assidua heroicarum omnium virtutum exercitatione supremum sanctimoniae culmen attigerit.

Dextera Domini in retribuendo non parcior praesto fuit, nedum enim insignissimis illis prodigiis florescentiae panis fragmentorum in rosas, interjecti fluminis (extenso Pallio cymbam supplente) transvadationis, exanimisque ejus brachii ad impartiendam egeno stipem, non fracto sepulchri marmore mirabilis extensionis; tuto altaribus inseri, et praeclaro Beati nomine insigniri posse indicavit.

Sed binis etiam aliis aeque obstrepentibus post hunc cultum miraculis a SANCTITATE VESTRA (aeque maximo in his rebus Doctore ac Judice) late approbatis, gratissimum sibi fore solemniorem illius cultum, Deus ipse unicus miraculorum auctor hac ultima signorum voce explicavit.

Haec autem ipsa superni illius beneplaciti certitudo, juxta inconcussam hujus Apostolicae Sedis praxim, merito de se sola causare debet, ut eadem SANCTITAS VESTRA illo eodem obsequenti et libenti animo, quo semper illius placita exequitur, hoc etiam modo exequatur.

ALEXANDER S. Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Albanus.

Inter quamplurimos, quos Caelo dedit Hispania celeberrimos sanctimonia Viros, e Franciscanorum Familia foecunda Sanctorum Matre prodiit beatus Petrus Regalatus adhuc impuber religiosum professus Institutum, paupertatis amantissimus, et severioris di-

sciplinae Instaurator. Ejus charitas, in sodales et exteros diffusa omnem impendit operam ad spiritalem cunctorum salutem, nec Infirmis, egenis et captivis in gravibus eorum necessitatibus defuit, et non modica, ut Petrus Apostolorum Princeps, sed firmissima fretus fide, eximiam virtutem elementis ipsis testantibus, saepius aquas sicco pede trajecit. Quam igitur etiam post beati Viri obitum Deus signis ac miraculis confirmavit Sanctitatem solemni Fidelium veneratione censeo jure celebrandam.

NERIUS S. Eustachii Diaconus Cardinalis Corsinus.

Tanta fuit virtus et Sanctitas, qua praeditus fuerat B. Petrus Regalatus, atque eadem tam perfecta tamque heroica et excellens, ut ejus odor post quatuor ferme seculorum intervallum perseveraverit, ac etiamsi illa in oblivionem venisset, tot miraculis fuerit confirmata, ut sane credam, BEATISSIME PATER, tuto posse procedi ad eum in Sanctorum Fastos adsciscendum.

AGAPITUS S. Agathae Gothorum Diaconus Cardinalis Mosca.

Repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, dum aquae fluiditatem convertit Dominus veluti in petrae soliditatem, ut Petrus Regalatus Durii aquas non semel ad incolumitatem, sed de more ad commoditatem sicco pede trajiceret. Magnificavit sane Dominus facere nobiscum: Si enim virente Synagoga convertit petram in stagna aquarum, nunc ubi sterilis peperit plurimos, atque ex Gentium vocatione Ecclesia nostra coaluit, aquam ipsam quasi in petram convertit Dominus, ut potentiam suam in Ecclesiae decus exerendo, Servi sui Sanctitatem contestaretur. Petrus ergo Regalatus, qui membrorum legem rigore poenitentiae deviceerat, et cuncta sensibilia bona paupertatis amore despexerat, ita ivit de virtute in virtutem, et ascensiones in corde suo ita disposuit, ut accedere contenderit ad Deum factorem suum; qui sicuti ponit nubem ascensum suum, et ambulat super pennas ventorum, ita Servo suo dedit sicco vestigio super aquas incedere, aliisque signis coruscare. Haec porro omnia, BEATISSIME PATER, expostulant, ut Petrum Regalatum inter Sanctos recensere non dedigneris.

CAROLUS MARIA S. Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis Sacripantes.

Beatus Petrus Regalatus, qui suam animam odit in hoc mundo, ut in vitam aeternam custodiret illam, tanto aestuavit charitatis ardore erga Proximos, ut in Pauperibus sublevandis, Infirmis reficiendis, Peccatoribus ad poenitentiam revocandis manus Dei cum illo esset, per quam miracula non defuere, quae Viri Sanctitatem et cum Christo consuetudinem testarentur. Humilitatis, poenitentiae, ac innocentiae ceterarumque virtutum omnium eximium exemplar pro severiori sui Ordinis disciplina strenue decertavit, et totam Ecclesiam suis meritis exornavit. Jure igitur Sanctorum Fastis adscribendum censeo Seraphicum Virum, qui nobis gloriosa vestigia imitanda reliquit.

MARIUS SS. Cosmae et Damiani Diaconus Cardinalis Bolognettus.

Sicut lilium inter spinas servatur, ita Petrus Regalatus inter angusta paupertatis confinia et rigidas poenitentiae leges innocentiae candorem custodivit. Dignus propterea factus est, ut qui cuncta temporalia bona paupertate despexerat, et sensuum illecebras poenitentia deviceral, omnia sub ejus pedibus subjicerentur. Hinc ut Servi sui Sanctitatem Deus admirabili etiam signo contestaretur (a): *Convertit aquas in siccitatem*, ut Durium fluvium sicco vestigio Petrus de more trajiceret. Cum itaque virtutes virtutibus Petrus Regalatus vitam agendo cumulaverit, plurimisque deinceps signis inclaruerit, nihil omnino desideratur in Petro (b) *quod utile est in recipiendo Sanctificationem ejus*, quam enixis votis, BEATISSIME PATER, praestolamur.

(a) *Ecclesiast. cap.* 39. *vers.* 29. (b) *Apostolus ad Hebraeos cap.* 12. *vers.* 10.

PROSPER S. Georgii Diaconus Cardinalis Columna de Sciarra.

Heroicas virtutes B. Petri Regalati non aliter probatas scimus et veluti confirmatas, quam testimonio Divino quatuor miraculorum per quae virtutum probationem, Testibus oculatis destitutam, satis superque suppleri haec Sancta Sedes olim autumavit. Hisce quatuor miraculis nuper accesserunt alia duo, quae post indultam B. Petro venerationem facta fuisse ferebantur, quaeque ad examen revocata approbari meruerunt. Habes ergo, BEATISSIME PATER, satis superque sufficientia testimonia veritatis, quibus ad sanctarum legum praescriptum virtutes heroicae Servi Dei contestatae remanent, et via satis tuta aperitur ad decernendam B. Petro sacram solemnemque sanctificationem. Non aliis legibus Majores tui solemnes sanctificationes Beati decreverunt, neque aliter Deus Beatorum Sanctorumque virtutes testatas voluit. Eja ergo indutus virtute ex alto, et infallibili tuo judicio cultum illum B. Petro decerne, qui mirabili vivendi genere PP. Franciscanis exemplo fuit, et Fidelibus omnibus admirationem attulit, quique sic glorificari meruit post labores plurimos pro Regulari Disciplina instauranda, pro Dei gloria et pro hominum salute fortiter exantlatos.

ALEXANDER S. Mariae in Aquiro Diaconus Cardinalis Tanarius.

BEATISSIME PATER. Decet maxime, ut praestantissimi Viri, qui heroicis virtutibus dum viverent, excelluerunt, atque post mortem insigni miraculorum splendore claruerunt, infallibili Apostolicae Sanctaeque Sedis judicio in Sanctorum numerum referantur. Quare cum beatus Petrus Regalatus Evangelicae perfectionis viam a pueritia ingressus, et sanctissimum divi Francisci Institutum diligentissime ad mortem usque professus, laudatis virtutibus eminuerit; ardentissimaeque in Deum et Proximum charitatis prodigium in hac mortali vita factus sit cunctis; indeque immortalem adeptus, luculentissima miraculorum luce ab eo ornatus fuerit, qui facit mirabilia solus; Quid aliud restat, nisi ut SANCTITATIS TUÆ sententia, Eum solemnius regnare in Caelis intelligamus, eumdemque in terra alacrius imitari et ferventius venerari possimus.

HIERONYMUS S. Adriani Diaconus Cardinalis de Bardis.

Tantum abfuit ut (a) fascinatio nugacitatis mentem B. Petri Regalati obscuraret, et incostantia concupiscientiae sensum transverteret, ut a prima ipsa aetate (b) exultavit sicut gigas, et Sanctitatis viam currere visus fuit. Id autem maxime patuit cum in Seraphicum Ordinem cooptatus partim exemplo, partim opera ac studio ad sanctissimi Patriarchae Francisci (c) legem vitae et disciplinae restituendam tam diligenter incubuit. Quare cum (d) Justi hujus semita usque ad perfectam diem processerit, et quasi (e) lux splendens pluribus miraculis luxerit, rem Ecclesiae perutilem SANCTITATEM VESTRAM facturam esse censeo, si eundem Sanctorum Fastis adscribat, ut quas (f) firmamenti splendor et quasi stella in perpetuas effulgeat aeternitates.

DOMINICUS SS. Viti et Modesti Diaconus Cardinalis Ursinus.

BEATISSIME PATER. Eximia sanctimoniae luce usque ab ineunte aetate coruscavit Petrus Regalatus: Majora praetulit postquam avitis honoribus Mundique illecebris heroice pessundatis Religioni nomen dedit: Tunc enim exultans ut gigas ad currendam perfectionis viam, regulari observantia inter Hispanos restituta virtutes omnes, praesertim humilitatis, abstinentiae, paupertatis, patientiae et charitatis, adeo solus ipse complexus est, ut vix ceteri singulas: Quare sicut in diebus suis placuit Deo, et inventus est Justus, ideo magnificavit eum insignium donatione charismatum: Quibus rite comprobatis, dignum propterea est, ut caelestibus ille prosequatur honoribus, qui terrenos de-

(a) *Sap.* 4. (b) *Psal.* 18. (c) *Eccles.* 45. (d) *Prov.* 4. (e) *Matth.* 5. (f) *Dan.* 12.

spexit: et velut Sanctitatis speculum universae Ecclesiae proponatur.

MUNDILLUS Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Charitas ut Apostolus docet, est vinculum perfectionis, et plenitudo legis est dilectio. Proinde si quis est, qui beati Petri Regalati virtutes inter se colligatas uno intuitu comprehendere velit, in ejus singularem erga Deum et Proximos charitatem intueatur. Quanto fervore animi raperetur in Deum ex his perspici facile potest: Quod pene puer perfectionis iter arripiens contemplatione defigeretur in eum, quem per aetatem nosse vix poterat: Quod decennis unicum Deum sitiens paternae domus honores divitiasque contempserit, atque ut pauperrimum sancti Francisci Institutum amplecti sibi liceret flagrantissimis precibus a Matre postulaverit ac demum obtinuerit: Quod ut Deo conjunctis adhaereret, atque in dies placeret magis, ejusdem Instituti disciplinam ad veterem integritatem revocaverit: Denique quod ceteris severiorem illam vivendi formam profitentibus omni asperitatum genere omnique virtutum exercitio longe antecesserit. Dilectionem vero ejus erga Proximum tria potissimum luculenter testantur. Testatur pietas in aegrotos eo usque heroica, ut eorum ulcera lambere non perhorresceret. Testatur indefessus in lucrandis animis labor; praesertim vero sollicitudo ut Proximi diligerent alterutrum, et mutuam in semetipsis charitatem haberent. Testantur demum immanes illi cruciatus, quibus in se ipsum saeviens animas in Purgatorio detentas ab iis ignibus quam celerrime eripere satagebat. Æquum igitur est, ut talem Virum, qui dum viveret semper in charitate mansit, nunc in Deo manere, et Deum in eo, SANCTITAS VESTRA infallibili sua definitione pronunciet.

ANTONIUS MARIA Pallavicinus Patriarcha Antiochenus Assistens.

Seraphici Patris imitator egregius Petrus Regalatus antiquam sui Ordinis disciplinam restituit: Cum asperrima vivendi ratione ac jugi divinarum rerum contemplatione, pietatis Officia et in Proximum charitatem conjungens perfectiorem utriusque vitae formam omnium admirationi exhibuit. Inaudita miraculorum novitate ac magnitudine adeo effulsit, ut inter Sanctos recenseri et apud homines exaltari mereatur.

THOMAS Cervini Patriarcha Hierosolymitanus Assistens.

Dicente Christo Domino: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus*; beatus Petrus Regalatus, ut hanc sibi perfectionem compararet, Matrem a prima aetate deseruit, generis splendorem ac seculi divitias contempsit, ut pauperrimum sancti Francisci Institutum amplecteretur; quod cum ad pristinam paupertatem revocasset, magnisque virtutibus et signis conspicuus effulsisset, sanctissime obiit. Quid igitur amplius ut inter spectatissimos Christi discipulos cooptetur?

GABRIEL Eva Syrus Maronita Archiepiscopus Cypri Assistens.

Beatus Petrus Regalatus non modo videtur mihi Regularem Ordinis Minorum inter Hispanos observantiam restituisse; sed etiam sancti Petri Apostolorum Principis super maris undas ad Christum Dominum ambulantis miracula renovasse. Quotiescumque enim flumen Durium superaturo navicula in promptu non esset, pallio super undas extenso trans fluvium gradiebatur. Ita sanctissimi Petri et nomen et virtutem induerat. Quum igitur et vivens Petrum virtutibus retulerit, et post obitum iis miraculis claruerit, quae a Sacra Rituum Congregatione sunt comprobata, hoc unum superest, ut SANCTITAS VESTRA quae Petri Cathedrae est heres, Petro in sancta Petri Æde Sanctorum nomen et cultum Apostolica auctoritate decernat.

ALEXANDER Borgia Archiepiscopus Firmanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Minoritica divi Francisci Familia in hac luce temporum profert

de thesauro suo nova et vetera. Siquidem non solum beatos viros Fidelem a Sigmaringa, et Josephum a Leonissa tanquam superioris seculi Alumnos suos Tibi offert supremis Sanctorum titulis decorandos, verum etiam Petrum Regalatum Hispanum a tribus post ejus excessum seculis perpetuo Regum ac Populorum cultu, accedente etiam Apostolicae Sedis approbatione donatum: Virum sane mirae sanctimoniae, et apud Fratres suos priscae ac severioris disciplinae exemplo magis quam verbo Instauratorem, cujus adhuc vivi imperio omnipotens Deus elementa subjecit, a quo defunto praestari voluit ea, quae vivus praestitit: Quapropter censeo tutissimum fore judicium, quo illi amplior titulus, solemnior cultus a Te, SANCTISSIME PATER, decernatur; si enim in his judiciis Ecclesia consuevit testimonia hominum accipere, nonne testimonium trium seculorum majus est? Rursus si testimoniis hominum Ecclesia non acquiescit, at divini etiam testimonii signa et prodigia requirit, nonne transmissa sicco pede flumina, confectum una tantum hora ad quadraginta millia passuum iter, conversa in flores panis et carnis fragmenta, porrectus e sepulchro mortua manu mendico panis sanctimoniam et gloriam tanti Viri abunde testantur ac praedicant?

MICHAEL de Palma Archiepiscopus Theatinus Assistens.

Invicto martyri, ac Fundatori egregio succedit in Ordine, SANCTISSIME PATER, B. Petrus Regalatus, cujus insigne meritum in eo resplendet quod inexplicabilibus exantlatis laboribus, ad primaevi fervoris gloriam, suae Familiae observantiam revocaverit, auxerit, instauraverit, cui proinde, aeque ac aliis, Reformatoris eximii elogium grande haud incongrue adscriberetur.

De Viri hujus percelebri Sanctitate abunde suademur, ex quo itinera vitae suae duplici gressu mire confecerit, innocentia videlicet morum ac ardore pietatis: Seraphico Ordini adhuc impuber adscriptus alacriter *ivit de virtute in virtutem*, assiduoque earum exercitamento cuncto Populo sese conspicuum reddidit atque mirabilem.

Sanctitati vitae robur addidere ac testimonium signa atque prodigia, quibus in Ecclesia Christi vivens mortuusque praefulsit.

Omnia haec, PATER BEATISSIME, sive virtutes, sive miracula voces de Caelo sunt, quae in B. Petro Regalato *enarrant gloriam Dei*. Teque summum Vicarium ejus excitant in terris, ut tandem aliquando irreformabili Oraculo de Sanctitate ejus (veluti supplicamus) pronuncies, ac pro eo pares praecipias honores, queis ceteri Sancti in Ecclesia venerantur.

STANISLAUS Polidstri Archiepiscopus Rossanus Assistens.

Ex clarissima Regalatorum Familia, Vallisoleti in Castellae Hispaniarum Regno celeberrima Urbe, beati Petri venerabile nomen, bisceutum ab hinc annis inter coelites adscribendum: Summa tandem animi alacritate, summa aeque pariter mentis admiratione, ex ore vestro, SANCTISSIME PATER, tandem prodire divina indulsit Providentia. Ejusque luculentissima merita et heroicas virtutes assiduis miraculis illustratas, tamdiu oculatis testibus destitutas, nunc demum nimio SANCTITATIS VESTRÆ labore, non minus ac longissima diligentia et laboriosissimo studio exagitatas, ac ea praesertim qua omnes antecellis suavitate dicendi, divinarum rerum peritia et eloquentia, recenseri audit aetas nostra et exultat: Quinimmo inter tot annorum invidiosa certamina, optatissimum Virum atque omni laude dignissimum, divinae vocis oraculo inter Sanctos relatum, congaudet excipere in gremio. Quid igitur pro ingenii mei paupertate post talem ac tantum laudatorem eximium adjicere possum! Quidnam de tanto Sanctitatis Heroe, de quo memoria traditum est, quod inter ceteras christiano nomine dignas animi dotes, adeo effusa in Deum aestuarent divini amoris incendia; ad eo exardescens erga genus humanum caelestis flamma charitatis urgeret; adeo in sanctissimam sui Ordinis disciplinam ex humana fragilitate collapsam, reparandam ardens desiderium commendaret, ut BENEDICTUM Optimum Maximum Pontificem hujus nominis XIV. meruerit habere praeconem

egregium, tradere valeam! Ni ea tantum profecto, quae ad nostram imbecillitatem sublevandam, quaeque ad nostram tuto comparandam felicitatem utilia magis ac necessaria videntur! Sanctorum enim exempla et facinora gloriosa ideo nobis proponuntur in terris, ut per ea, quasi per viam tritam ac bene paratam, per arduum salutis iter facili negotio unusquisque arripere, eoque arrepto in perfectionis stadio reddatur alacrior, et in currendo, non quasi in incerto, sed Sanctorum vestigia sectando sic currat ut comprehendere animetur. Relatis igitur pro modulo meo SANCTITATI VESTRÆ gratiarum actionibus, dum Petrum Regalatum Virum rectum, humilem, hospitalem, prudentem, liberalem, fidelem, poenitentiae spectaculum, charitatis splendorem, Sanctitatis oraculum, perfectionis vexillum, virtutum omnium Magistrum, auctoritate suprema dictante proponit, totisque conatibus, ut sequamur, inflammare contendit. Dum igitur inter caelites adscribitur, hoc unum pro mea sententia et voto vehementer etiam atque etiam rogare non desino, ut imitari non pigeat, quem laudare delectat.

FERDINANDUS MARIA de Rubeis Archiepiscopus Tarsi Assistens.

Beatissime Pater. Inter tot tantasque virtutes, quibus B. Petrus emicuit, illa certe eminentior fuit, misericordia in Pauperes, quos (etiam mortuus) juvare non destitit. Videant itaque pauperes et laetentur. Videant beatum Virum, qui intellexit super egenum et pauperum, in Sanctorum Canonem relatum; et quem jam tam eis beneficum experti sunt, praestantissimum habeant in Caelis patronum.

JOANNES ANDREAS Tria Archiepiscopus Tyri Assistens.

Petrum Regalatum animam bonam a Domino sortitum fuisse plura habemus testimonia: Hic enim pubertate nondum exacta, ut perfectionis iter arriperet, in Franciscana Familia votis solemnibus Deo se mancipavit, et studio renovandi antiquum vivendi asperum genus, quod suis Patriarcha Franciscus indixerat, facultate ab Ordinarii Praefecto impetrata, una cum Villacretio, Viro ejusdem Ordinis clarissimo, in solitudinem secessit, ibique alii tum ex Minorum Familia, tum Presbyteri seculares suae virtutis fama allecti, una cum ipsis convenerunt, et Ordine interposita felicis recordationis Martini V. auctoritate instaurato, quidquid reliquum a domesticis curis temporis erat, id omne in Proximorum salutem impendebat, in eos praesertim, qui vel in Nosocomiis gravi aliquo morbo afflictarentur, vel in Carceribus, vel in Turcarum vinculis inedia et squalore conficerentur; et misericors Deus Petri Regalati Sanctitatem pluribus donis et miraculis comprobavit: Inter alia iter plurium dierum unius horae spatio confecit, panis et carnis frusta ex communi mensa collecta, ad occultandum charitatis testimonium in flores convertit, aquas sicco pede trajecit, eo mortuo corpus flexibile redditum, suavissimum odorem redolebat, stipem languenti pauperi sua propria manu, e quam sepulchro exeruit, tradidit.

Quo factum est, ut probato plurium seculorum cultu, Venerabilis Servus Dei Innocentius XI. Officium et Missam in ipsius honorem quotannis celebrari permiserit. Superest modo, ut Decretum per SANCTITATEM VESTRAM latum pro ejus Canonizatione executioni demandetur, prout ad id tuto deveniri posse demisse censeo.

MICHAEL MARIA Vincentini Archiepiscopus Theodosiae Assistens.

Beatissime Pater. Beatum Petrum Regalatum, quem paupertate, jejuniis, vigiliisque conspicuum, in Deum ac Proximum charitate ferventem, ceterisque praestantissimum virtutibus inspexere anteacta secula, tot ac tanta sequuta sunt praeter ordinem Sanctitatis opera et prodigia, ut divino afflata spiritu SANCTITAS VESTRA de veneratione, Arisque tanto Viro praestandis sapientissime excogitaverit.

SIMON Gritti Archiepiscopus Tyanensis Assistens.

Beatissime pater. Beati Petri Regalati, quam ipse ab incunabulis sortitus est animam

bonam, haud absimilem enarrarunt per totum vitae cursum mirabilia producta gesta, arctiori jugiter disciplinae, ac assiduo de die in diem poenitentiae intenta studio, flagrantissimam ejus in Deum ac Proximum palam facienti charitatem, spiritualis (juxta Augustini phrasim) tectum ac culmen aedificii, quod sibi adhuc vivens praeparavit in Caelestibus. Id plane illius intercessione a Deo patrata, atque intime rigidissimo de more discussa scrutinio, reserant, ac veluti ob oculos ponunt miracula, ut propterea tutissime quidem SANCTITAS VESTRA vicaria Christi voce coronam gloriae, qua Petrus in Caelis est coronatus, universae catholicae Ecclesiae de suo ubertim gestienti Athleta, per infallibile Decretum nunciare queat in terris.

JOSEPH MARIA Rufus Archiepiscopus Capuanus Assistens.

Si mortalium quis fuerit, qui amictus fortitudine Christianas virtutes omnes fuerit sectatus; seculique corruptelas vitare in animo constituerit, cordisque innocentiam cum poenitentiae ac abstinentiae virtute conjunxerit; id pro virili, radiante Dei gratia, praestitit Servus Dei beatus Petrus Regalatus: Huic siquidem familiares jugiter fuerunt caelestium contemplationes, jejuniorumque austeritates: Huic corporis et spiritus paupertas: Hic sanctissimam Fratrum Minorum S. Francisci disciplinam ex humanae naturae imbecillitate collapsam ad pristinam integritatem splendoremque pristinum revocare studuit, omnemque in id cogitationem, conatus omnes sedulo impendit: Quo factum est, ut paupertatis et humilitatis admirandum imitandumque praebuerit exemplum; laboribus vero et jejuniis fractus post Evangelici Stadii cursum, meruit abscondere vitam in Domino placidissima Justorum morte: Proinde cum Sanctitas Vestra edixerit beatum Petrum Regalatum Sanctorum Fastis publice adscribi; hoc exequi posse censeo, si BEATITUDINIS TUÆ nutus accesserit. Et ita etc.

NICOLAUS Carafa Archiepiscopus Philippensis Assistens.

Omnipotentia Dei non minus in rerum creatione quam conservatione refulgens altissimae Sanctitatis argumentum aequaliter praebet tam in iis, qui novae Religionis in Ecclesia sua Fundatores extitere, quam ceteris, qui temporum injuria collapsam ad pristinam observantiam revocarunt. Si ergo divus Franciscus hunc supremum inter Divos gradum meruit obtinere a Gregorio IX. felicis recordationis, utpote Seraphici Ordinis Auctor egregius, sicut in tua sapientissima allocutione, perpetuisque monumentis nos docuisti, BEATISSIME PATER, eundem a Te expectat beatus Petrus, qui ipsius non modo Restaurator extitit, sed Parentis sui signa sequutus Crucem Domini a pueritia usque ad extremam senectutem in corde bajulans, in ipsa totam vitae suae rationem instituit. Unde merito omnium judicio, qui ejusdem virtutum senserunt odorem, Sanctus nuncupatus est; quod mirifice Deus post consummationem miraculis comprobavit. Haec sententia mea est, quam supremo SANCTITATIS TUÆ judicio submitto.

D. FERDINANDUS ROMUALDUS Guiccioli Archiepiscopus Ravennae Assistens.

Restitutas decimoquarto et decimoquinto Ecclesiae seculis antiquas Nitriae ac Thebaidum solitudines legimus et admiramur, SANCTISSIME PATER, in actis beati Petri Regalati, et renovata ejus opera pristinorum solitariorum exempla. Beatus enim vir iste austera et sanctissima Patriarchae sui Francisci vestigia proterens, atque arctissimam vitae illius rationem in se ipso prius amplexatus, tot in solitudinibus nova germina Sanctitatis felicissime plantavit, quot e mundi sequela ereptos asseclas, eosque innumeros bonis omnibus, parentibus, sibi ipsius vale dicere jussit, atque intra montium nemorumque silentia comite solummodo paupertate ad Christi sequelam deduxit. Ipse autem Sanctitati maturus usque a teneris unguiculis, sui ipsius abjectione, poenitentia, humilitate, charitate pene incredibili, omnibus exemplar fuit,

omnibus omnia factus, ita ut difficillima illa regulae strictioris ratio, facilis et suavis ejus exemplo Sociis redderetur. Laboribus, jejuniis, angustiis, itineribus pro Domino suo Jesu, pro fratribus et Proximo incessanter etiam provecta aetate susceptis consumptus est, et Deo dilectus et hominibus, qualis vixerat, diem obiit extremum. Prodigia plurima viventis Sanctitatem, defuncti Gloriam indicarunt. Quare inter caelites a Sanctitate Vestra, BEATISSIME PATER, adnumerari suo ipse jure postulare videtur: Id heroicae illius virtutes exigunt, Ecclesia petit, vota omnia praestolantur.

FELIX Solatius Archiepiscopus Thebarum Assistens.

Heroicae virtuti et miraculorum claritati semper in Ecclesia Dei Religiosus Sanctorum cultus praescriptus fuit; in beato autem Petro Regalato fervens charitas erga Deum et Proximum, profunda humilitas, Evangelica paupertas, sui regularis Instituti exacta observantia, invicta fortitudo in continuis orationibus, jejuniis, asperrimisque cruciatibus tolerandis adeo emicuit, ut verae Sanctitatis imago in ipsius vitae curriculo, in terris expressa inspiceretur. Merito igitur, BEATISSIME PATER, Virum tam eximium et admirabilem, primaevae regulae Seraphici Ordinis Restitutorem, virtutibus omnibus in gradu heroico ornatum et miraculis clarum, ut ex Actis, quacumque haesitatione remota inter Sanctos recensendum solemni Canonizationis Ritu existimarem.

ANTONIUS Fonseca Episcopus Æsinus Assistens.

Inter Pauperes spiritu, quorum est Regnum Caelorum, BEATISSIME PATER, beatus Petrus Regalatus in Seraphico Ordine maxime enituit; pauper ipse vindex paupertatis, pauperum Pater. Contemptus Mundi, rerumque omnium abdicatio pauperem praedicant; rigor disciplinae, solitarii recessus, nudi rudesque parietes vindicem paupertatis commonstrant; eleemosynarum copia, conversus in flores panis, porrecta cum ipso è tumulo dextera pauperum patrem ostendunt. Hunc propterea Dominus cum principibus populi sui collocavit; per hunc in supplices gratiarum divitias effundit; et huic Sanctorum cultum deferendum firmissime censeo.

Fr. PLACIDUS Pezzancheri Episcopus Tiburtinus Assistens.

Beatus Petrus Regalatus ab ipsa pueritia christianae austeraeque vitae praejactis fundamentis, adolescens sacrae militiae in Religiosis Castris Minorum Observantium nomen dedit; ubi tum animi affectionibus, tum corporis sensibus juge ac durius intulit bellum, et Seraphici sui Patris egregius aemulator asperrimam vivendi rationem, quam ne integritatis flos elangueret aut marcesceret, amplexus fuerat, aliquot in Coenobiis stabilivit. Quia vero omnipotens et misericors Deus hunc Servum suum caelestibus donis; atque inter cetera illo lacrymarum, quibus praesertim diffluebat, dum operabatur Sacris, ditavit ac prodigiis decoravit, eidem sanctorum Confessorum honores solemni ritu decernendos arbitror.

NICOLAUS XAVERIUS Santamaria Episcopus Cyrenensis Assistens.

Beatus Petrus Regalatus in adolescentia cor gessit senile, fallaces Mundi illecebras et vanitates provide declinando. Vitae deinde semitam eligens tutiorem Minorum Ordini nomen dedit, in quo se totum divinis obsequiis mancipando de virtute in virtutem profecit, in oratione assiduus, in corporis afflictione austerus, in eleemosynarum largitione ad miraculum usque profusus. Arctiorem Regulae observantiam apud Hispanos promovit divino fretus auxilio, Pontificia munitus auctoritate, ut apostolicam sui Patris Francisci vitam renovaret; quod severioris disciplinae studium, seraphicum zelum ceterasque eximias virtutes Deus ipse miris in vita et post mortem prodigiis comprobavit. Hunc igitur tantum virum de christiana Republica et Franciscana Familia optime meritum par est gloriose sanctorum Confessorum Canoni adscribere, ne glorificatus

a Domino diutius humana devotione et cultu privetur.

NICOLAUS MICHAEL Abbati Episcopus Scyllacii Assistens.

Altissimae paupertatis ac Fratrum Minorum Regulae a Seraphico Parente demandatae verus Reparator beatus Petrus Regalatus, humilitatis ceterarumque virtutum in gradu heroico Cultor eximius, ac miraculorum dono in vita et post mortem a Deo, qui est mirabilis in Sanctis suis, glorificatus, quae omnia fuerunt rite ac recte probata, trium seculorum vota postulant, BEATISSIME PATER, Sanctorum Fastis adscribere, si Sanctitati Vestrae placuerit, ipsum beatum Petrum pro quo enixe et humillime precor ad majorem Dei gloriam, militantis Ecclesiae decorem atque regularis disciplinae observantiam.

BERNARDUS ANTONIUS Pizzella Episcopus Constantiae Assistens.

Praeclara virtutum merita ac miraculorum insignia solidis innixa argumentis, quae beatum Petrum Regalatum Ordinis Minorum sancti Francisci Sacerdotem commendant, ea sunt, quae eumdem in sanctorum censum solemni ritu referri, merito postulant. Ut enim virtutum Theologicarum potissimum, ad quas suos mores comparavit, laudabiles exercitationes praeteream, illud nolim omittere, eximio in Religionem, cui nomen dederat, exarsisse studio atque zelo, quibus Religionem eamdem nedum collabentem restituit, sed et novis austerioris vitae legibus propositis illam nobilitavit: Congruit igitur, ut Operarium Ecclesiae utilem, suis providum, ea quae Sanctos decet gloria et honore dignum esse, infallibili SANCTITATIS TUÆ judicio decernatur.

Fr. PAULUS Alpheran de Bussan Episcopus Melitensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Antiquissimam Canonizationis causam beati Petri Regalati, tribus fere elapsis seculis SANCTITAS VESTRA mira et incredibili qua pollet hujusce rei sacrae cognitione instituendam esse pronuntiavit. Petrus Regalatus adhuc puer Evangelicae perfectionis iter arripuit, et ut Franciscanae Familiae nomen dedit, perfectissimum religiosarum virtutum se praebuit exemplar, cogitationem omnem dein contulit, ut sancti Francisci asperrimum vivendi genus renovaret, quod re ipsa et exemplo suo ipse perfecit. Incredibile dictu quod in vita et post mortem operatus est! Sed manus Domini erat cum illo; idcirco censeo strenuum regularis observantiae Restitutorem a SANCTITATE VESTRA Fastis Sanctorum esse adscribendum.

ALEXANDER de Abbatibus Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis Assistens.

Quae super heroicis B. Petri Regalati virtutibus passim circumferebantur, tametsi viderentur oculatis testibus haudquaquam suffulta, Caelo nihilominus teste sese prodiderunt. Non enim cum eodem jacuit sepulta Sanctitas, quin e recluso ad naturae stuporem tumulo manum exerceret liberalem in pauperem extrema fame tabescentem. Sic nimirum de loco suo pullularunt ossa, mortuumque prophetavit corpus ejus, in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est. Illud praeterea singulare privilegium adjungitur causae B. Petri, quod primus Bullae satisfecerit editae a SANCTITATE VESTRA, dum tot post mortem comprobantur per ipsum patrata miracula, quot eadem requirit Bulla ad supplendum oculatorum de virtutibus testium auctoritatem. Jure itaque merito supplices efflagitant fideles, ut inconcusso VESTRÆ SANCTITATIS oraculo, B. Petrus Regalati numerum augeat Sanctorum Altaribus.

NICOLAUS FRANCISCUS de Bonhome Episcopus Carpasiensis Assistens.

Sicut arbor bona bonos fructus facit, sic boni parentes bonos interdum filios generant, quod verificatur in beato Petro Regalato Sacerdote Professo Ordinis Minorum, Regularis Observantiae in Hispania Restitutore, qui

ab optimis parentibus ortus, ac pie et sancte educatus a pueritia, usque ad ultimum vitae spiritum Deum mirifice timuit et amavit, virtutesque christianas et religiosas in gradu excellentissimo indesinenter coluit et exercuit, ac inter alias opus summopere arduum et innumeris difficultatibus ac persecutionibus plenum, nempe abusus in Ordine suo introductos tollere, Regularemque observantiam restituere aggressus est impavide, prosecutus est constantissime, atque felicissime perfecit, erudiens multos regulam et justitiam Instituti sui primaevam exacte observare et fideliter tueri: Unde mercedem erudientibus multos destinatam, scilicet quod qui ad justitiam erudierunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates, esse in Caelis consecutum et adeptum multis mirabilibus ac singularibus prodigiis benigne revelavit justus et misericors Dominus, ita ut Is jam ab immemorabili veneratus sit uti Sanctus in plurimis Hispaniae locis, qualis veneratio ut infallibili S. Sedis Apostolicae oraculo confirmetur, et ad totam Ecclesiam extendatur per solemnem Decreti de ejus Canonizatione executionem videtur expedire, ut sic praefatus beatus Petrus omnibus fidelibus in exemplum proponatur pro abusibus improbandis et corrigendis, nec non in intercessorem, ut qualescumque abusus tollantur, ac necessarius ordo et debitus primaevus status ubicumque restituantur; et ita sub judicio SANCTITATIS VESTRÆ sentio.

LUDOVICUS ANTONIUS Valdina olim Cremona Episcopus Hermopolitanus Assistens.

Sanctorum honoribus dignissimum esse censeo beatum Petrum Regalati; qui enim Sanctorum praeclarissimorum virtutes et egregia facta est imitatus, simili quoque cultu ab Ecclesia cum illis est prosequendus. Quam a Christo Domino sanctus Franciscus Evangelicam accepit regulam ad literam, prout ipse Dominus servari edixerat, Petrus servavit semper, et collapsam restauravit in pluribus Hispanorum Coenobiis ejusdem observantiam, factus forma Gregis ex animo, humilitatis, paupertatis et reliquarum omnium exercitatione virtutum. Singularem Petri in Pauperes liberalitatem et in Deum fiduciam testari dignatus est Dominus, vertendo in flores, quae ille in sacciperio egenis gerebat fercula, et jubendo, ut alter Petrus non modicae Fidei super aquas ambularet. Egressum ergo de fructibus seculi in aeternae salutis portum proponat SANCTITAS VESTRA toti Ecclesiae floribus Sanctitatis laureatum.

FABRICIUS Borgia Episcopus Ferentinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Christus Jesus ut in Ecclesiam novum quoddam caelestis vitae genus induceret, coepit facere prius quam docere; quod cum probe intelligeret B. Petrus Regalatus, et sanctius illud Patriarchae Francisci Institutum inter Fratres Ordinis sui renovare cuperet, perfectam illius in se speciem et normam primus exhibuit, ut una ipsius vita lex foret, vividius expressa moribus, quam literis consignata. Quid ergo exequar congeminatos jejunio dies, indefessum orandi studium, acerrimum sui odium atque contemptum? Imaginem in eo Christi multiplicem adumbratam cerneres; cum modo patientem patiens ac pene moriens; modo resurgentem gaudens et pene gloriae socius contemplaretur. Charitatem porro erga Proximos satis Deus ipse praeclaro illo miraculo commendavit, cum ciborum reliquias Pauperibus destinatas in rosas convertens ratum fecit, quod ille divino afflatus spiritu, interroganti responderat. Erit igitur novum religiosi Ordinis decus et fidelium omnium incitamentum, BEATISSIME PATER, si caelestem hunc Virum veluti Sanctum jusseris invocari.

NICOLAUS Spinellus Episcopus Aversanus Assistens.

Solidae christianaeque virtutes, quibus beatum Petrum Regalatum admirandum in modum enituisse, severissimo praemisso examine rite recteque probatum est, et liberalitas in pauperes, quibus sublevandis proprio quodam naturae et gratiae munere factus esse videbatur, id apertissime evincunt,

ut haud dubie, si ita SANCTITATI TUÆ visum fuerit, in Sanctorum numerum sit cooptandus, publicaeque populi christiani venerationi proponendus, quod et ego sentio.

HIPPOLYTUS e Rubeis Sancti Secundi Episcopus Senogalliensis Assistens.

Beatus Petrus Regalatus parentum quidem nobilitate, eorum autem christiana virtute clarior huc omnia sua retulit consilia, ut ad evangelicam perfectionem sese et alios componeret: Eapropter abnegans semetipsum arctiore professione sub regula S. Patris Francisci Dominum secutus, atque collapsam Ordinis disciplinam una cum Villacretio instauraturus, supellectilem universam, de qua secum asportanda unice cogitavit, Breviarium fuit atque flagellum. Quis autem illo pauperior, quis sibi vilior, in se crudelior, quis erga Proximum miseratione plenior, quis erga Deum charitate ferventior? Miracula proinde, quibus omnipotens Deus testatam voluit Servi sui Sanctitatem, ea sunt quae splendidiora esse nequeunt: Quadraginta scilicet millia passuum unius horae spatio conficere, panis et carnis frusta tempore non suo in rosas conversa, Durii fluminis aquae extenso super eas Pallio sicco pede trajectae, supplici et conquerenti ad ejus sepulchrum mendico sponte sua revolvi lapidem, Regalatum palam exerere manum, et pane dato retrahere; ne alia prope ejusdem generis aeque illustria et recentiora commemorem; unde ex merito causae facturam arbitror SANCTITATEM VESTRAM, Beatum hunc Thaumaturgum in Sanctorum Album referendo.

D. PAULUS THOMAS Marana Episcopus Asculanus Assistens.

Beatissime Pater. Superna illa dona ab Apostolo enumerata, quae tamen sine charitate inutilem reddunt possessorem, in beato Petro Regalato cum illa mirum in modum copulantur: Ea enim enituit fidei firmitate, ut siccis pedibus flumina transnataret, ea indutus misericordiae viscera, ut in sepulchro degens in pauperem visus est piam manum extendere, eam denique professus abstinentiam et paupertatem, ut Deus suis arridens virtutibus, sui filiorumque necessitati miraculo non semel dignatus est occurrere. Fons autem omnium charitas tanta cor ejus plenitudine occupavit, ut pluries ejusdem repagula et cubiculi angustias detrectans ignitas suas flammas supra eminentia Coenobii tecta emiserit. Tot ergo suae Sanctitatis signis et testibus illucescentibus quid prohibet solemni ritu Sanctum vocari nomen ejus?

Fr. SILVESTER Merani Episcopus Porphyrien. Assistens.

Æterna ac plane indefectibilis est illorum Domini Nostri verborum veritas: Qui se humiliat exaltabitur. B. Petrus Regalatus sui Patris Francisci morem per omnia sequutus humiliavit se in rerum mundanarum contemptu, in exquisita corporis mortificatione, in perpetua sui abnegatione, in perfecta Christi sequela. Idque non solum ab humano, sed etiam a divino quod majus est, accepimus testimonio, nempe ab illius miraculorum etiam dum viveret, tum magnitudine, tum frequentia. Illud ergo superest, et aequitati maxime congruit, ut sententiam illam quae suam obtinet firmitatem a Petri Cathedra, quam SANCTITAS VESTRA omnimodis implet, audiat universa Ecclesia hunc virtute provectum et excelsum Virum humilitatis suae merito maximi esse loci apud eum, qui in altis habitat et humilia respicit in Caelo et in terra.

NICOLAUS Mancinforti Episcopus Anconitanus Assistens.

In beato Petro Regalato Christifideles quod mirentur habent, habeat quod imitentur. Miranda quidem prodigia, quibus *Deus se mirabilem reddidit in Sancto suo*: Imitandae virtutes, quibus ille tanquam *Fidelis Servus et prudens constitutus super Familiam suam*, verbo et exemplo ita se gessit, ut Regularis Observantiae Restitutoris nomen jure promeruerit. Deo itaque permaxime acceptum, hominibus charum, ac SANCTITATI VESTRÆ gloriosum fore censeo, si ipsa selectissimum Virum, miraculorum serie pro-

beatissimum, de Ordine suo, de catholica Religione, de Ecclesia tota benemeritum inter Sanctos statuat recolendum.

ANTONIUS Cantoni Episcopus Faventinus Assistens.

Heroica B. Petri Regalati virtus a propositi sibi operis sublimitate, Regularis nimirum disciplinae restauratione satis ample commendatur. Ejus vitae sanctissima gesta, quamvis ob temporis vetustatem minime potuerint ad juris rigorem coaevorum testium examine probari, satis tamen et a constanti trium ferme seculorum veneratione, et ab ipsius laborum fructu, et a miraculorum praestantia et numero comprobantur. Quare nil obstare videtur, quominus optatae Reformationis Auctor a SANCTITATE VESTRA solemni ritu inter Sanctos recenseatur.

PAULUS Bonavisa Episcopus Spoletinus Assistens.

Religiosissimus Sacerdos Petrus Regalatus, abjectis omnibus rebus humanis, excussoque pulvere mundano, pauperem Christum in summa paupertate sequi voluit, et amore Christi crucifixi succensus toto tempore vitae suae crucem ejus bajulavit: In suprema vitae austeritate mortificationem Crucis Christi in corpore suo semper circumtulit, et in eminenti contemplationis apice ita exarsit in amorem Christi, ut vere dicere potest, non vivo ego, sed vivit in me Christus: Unde illae admirabiles virtutes christianae perfectionis, quibus irradiabat, et effusa charitas erga Proximos praesertim pauperes profluxere: Itaque vivens in Christo filius lucis effectus, vocatus ad recipiendam mercedem suam a Jesu in illam lucem inaccessibilem et immensam divinae majestatis se immersit, ubi consors et particeps divinae naturae transmittit in terras radios suae gloriae miraculorum signis, quibus instruamur esse ipsum uti Sanctum venerandum in terris, cum jam inter Sanctos a Christo sit adscriptus in Caelis. Si tamen ita SANCTITATI VESTRÆ visum fuerit.

CÆSAR Bonajuti Episcopus Pharensis Assistens.

Prodest universae Ecclesiae, Beatissime Pater, ut quae B. Petrus Regalatus praebuit virtututum exempla, publico praeconio celebrentur in Mundo. Habent enim in ipso quem imitentur Fideles omnes, et praecipue Religiosi Viri regularis observantiae.

Is enim cum pietate erga Deum, cum corporis maceratione, cum observantia erga parentes, cum morum innocentia atque candore, toto vitae suae curriculo futurae sanctitatis specimen exhibuit. Hinc Altissimus sanctam ejus vitam miraculis confirmavit, quibus etiam clarissimam ejus mortem reddidit.

Quamobrem summa perfusus laetitia propter hoc Omnipotentis munus SANCTITATEM VESTRAM enixe deprecor, ut B. Petrum Regalatum virtutibus et miraculis coruscantem Sanctorum numero adscribere non dedignetur.

MARIUS Maffei Episcopus Fulginas Assistens.

Gaude (a) *innocentia et exulta. Gaude, inquam, quia in Petro Regalato ubique illaesa es, ubique secura. Si tentaris proficis, si humiliaris erigeris ..... Te Potentes honorant, suspiciunt Principes, Magnates exquirunt.* Non aliunde vero tantam innocentiae securitatem Petrus Regalatus conscivit, quam legem membrorum compescendo, et spiritu facta carnis mortificando. Noverat plane Regalatus innocentiam in Eden quam citissime periisse, atque in Gethsemani sanguinei sudoris pretio fuisse redemptam. Quamobrem ut quam nascendo amiserat, renascendo recuperaret innocentiam, recuperatamque servaret, jugem adjecit mortificationem, asperum vitae genus deligendo, quo non in alio gloriaretur, quam in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem illi Mundus crucifixus erat, et ipse Mundo. Hoc porro innocentiae lilium inter tot spinas poenitentiae a Petro Regalato servatum Potentes, Principes Magnatesque magno in pretio habuisse, testantur hinc elegans loculamentum ejus corpori ab Elisabetha Castellae Regina excitatum, inde Caroli

(a) *Smaragdus, vel Ardo Abbas in Diademate Monachorum cap.* 89.

II. Hispaniarum Regis, quampluriumque Episcoporum ad Venerabilem Innocentium XI. pro cultu ipsius amplificando legationes et vota. Ipse demum Caelorum Dominus plurimorum splendore signorum Petri Regalati innocentiam illustravit. Tuum modo superest, BEATISSIME PATER, atque exoptamus oraculum, quo Sanctorum glorificationem Petro Regalato decernas.

GUIDO Urselli Episcopus Caesenae Assistens.

Petrus Regalatus jam tum ab infantia Deum timere ac revereri adeo est visus, ut nullis blandientis fortunae illecebris detineri potuerit, quominus generis nobilitate contempta in Patrio Fratrum Minorum Coenobio Religiosam seu potius caelestem vitam iniret: Sed cum plurimum de pristino illo pietatis fervore in ea familia remissum esse animadverteret, maximopere curavit ut Fratres ad severioris vitae rationem revocarentur. Quod feliciter assecutus in asperrimum locum secedens, quamplurimis ejus Sanctitatis et miraculorum fama permotis Viris novi quasi gregis forma factus, dici non potest quam multa quamque praeclara virtutum omnium, sive quae Deum, sive quae Proximum spectant exempla praebuerit: Donec plenus meritis maximisque a Deo donis cumulatus, inter uberes Fratrum ac Populorum, quos ad omnem Sanctitatem instituisset, lacrymas est mortuus. Pauperibus tamen atque indigentibus, quos in omni vita filiorum charissimorum loco habuerat, uniceque dilexerat, vivere Petrus non destitit, siquidem iis licet vita functus, manum e sepulchro porrigens in summa rerum desperatione opem praesentissimam tulit. Faxit Deus, BEATISSIME PATER, ut quemadmodum Sanctitas Vestra beato Petro supremos Caelestium honores merito deferre constituit, ita christianus orbis a diuturno gravissimoque bello ipsius ope vindicatus, pulcherrimae tandem pacis et tranquillitatis otio perfruatur.

HYACINTHUS de Silvestris Episcopus Nepesinus et Sutrinus Assistens.

Beatus Petrus Regalatus, quamquam ex illustri ortus Familia elegit tamen abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Arctioris observantiae inter Franciscanos Alumnos auctor eximius et acerrimus propugnator, mirum quantum in vinea Domini adlaborarit, et quam magnis charismatum donis cumulatus Proximum suum juverit. Illum proinde apprime virtutibus et miraculis clarum, id praecipue tota fere postulante Hispania censeo, BEATISSIME PATER, inter Superos rite esse connumerandum more institutoque majorum.

LEO LUCAS Vita Episcopus Oppidensis Assistens.

Beatissime Pater. Eae sunt virtutes et miracula, quibus beati Petri Regalati vita morsque illustratur, ut jure merito inter Sanctos referri posse censeam. Eluxit in eo profunda humilitas suique contemptus, ut proprias laudes omnino perhorresceret, et injurias nedum aequanimiter toleraret, sed summa cum voluptate exciperet. Refulsit perfecta charitas erga Pauperes, qua potuit divino afflatus spiritu panis et carnis frusta ex communi mensa collecta, ut eleemosynas celaret, in candidas purpureasque rosas convertere, eo quidem tempore quo flores omnino adesse non poterant; in hoc non absimilis sanctae Elisabeth Reginae Lusitaniae, quae pecunias Pauperibus distribuendas, ut Regem laterent, hiberno tempore pariter in rosas immutavit. Majorem autem Petrus exercuit charitatem, dum post mortem Pauperi ad ejus sepulchrum genuflexo et necessitatem aperienti panem oratori propria manu porrexit. Praecipue vero enituit Regularis disciplinae studium jam in suo Ordine collapsae et magna ex parte absoletae, ut eam in pristinum revocaret. Quibus aliisque virtutibus et miraculis clarum, BEATISSIME PATER, Sanctorum Albo ne dedigneris adscribere.

ÆGIDIUS Isabelli Episcopus Alliphanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Petrus de Regalatis *zelatus legem* Ordinis sui, atque ad Socios

conversus proclamans cum Mathathia (a): *Qui zelum habet legis, exeat post me, et aemulatores estote legis, ac date animas vestras pro testamento Patris vestri*; quantum operibus, virtutibus et exemplo adlaboraverit, ut regularem disciplinam in Seraphico S. Francisci Ordine pene collapsam ac nimium conflictatam reintegraret, suisque jussis primordiis restitueret, et quantum mirabile hoc opus, benedicente Domino, feliciter absolutum ei gratum acceptumque fuerit, tam populorum acclamationes, quam vere obstupenda miracula, quibus illustrari meruit, jam plane demonstrant. Dum ergo *ipse zelans zelum legis receptus est in Caelum*, dignus videtur, qui etiam hic in terris Sanctorum Catalogo per SANCTITATEM VESTRAM recenseatur.

***JOANNES ANTONIUS** Bachetoni Episcopus Anagniae Assistens.*

Virtutum beati Petri Regalati ex Parentibus misericordiae Viris, quorum pietates non defuerunt in semine eorum, fluxere primordia et praesertim charitatis: Haec etenim Petri viventis erga Pauperes et mire et vere floruit, corpus effecit agile, fluctusque sub pede duros; mortui vero, sepulchrum ejus fecit gloriosum: Ex quorum probata multitudine et eminentia miraculorum, alia etiam quae in gradu heroico exercuit, signantur charismata; collapsam videlicet restituendi disciplinam inter suos assiduum studium; et vitia exterminandi inter exteros inexplebilis ardor: Saevus sibi semperque infensus, at patiens et benignus infimae sortis hominibus, quorum infirmitatibus et inscitiae opportuno corporis animique medicamine et pabulo providere solemne habuit. Tantarum fulgor virtutum agnitus in se, agnitus ostensione signorum, sapienter admodum fiet, BEATISSIME PATER, si christianis populis per solemniorem ritum propius admoveatur, ut earum odore perfusi caelestia quaerere, terrena fastidire suavius addiscant.

(a) 1. *Machab.* 2.

***FRANCISCUS ANTONIUS** Spadea Episcopus Aquinas et Fregellarum Assistens.*

BEATISSIME PATER. Sancti Francisci regula utpote ex Evangelico fonte in Dei Ecclesiam derivata, et in Christi Domini vestigiis fundata, tam excelsae perfectionis est, ut sectatores vere suos deficientibus etiam miraculis ad summum elevet apicem; nam quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax Dei super illos et misericordia certissime requiescit. Quid igitur sentiendum de B. Petro Regalato, qui statuit supra petram pedes suos, et direxit gressus suos, non solum Institutoris sui premens exactissime vias, quibus totam legem implevit, sed et collapsam sui Ordinis disciplinam immensis laboribus et solicitudinibus summo zelo ac fervore reparandam suscepit? Non minor profecto in conservandis atque instaurandis, quam in ordiendis Institutis adhibendus est labor, spiritus consilii et fortitudinis, ac ardens zelus domus Dei et in Proximum charitatis. Haec in Regalato adeo effulsere charismata, ut plurimis prodigiis testatam voluerit Dominus ejusdem Sanctitatem tam in vita quam postea, cunctis Hispaniarum Regnis exterisque pariter Regionibus celebrem; quibus rite probatis aequum est, ut SANCTITAS VESTRA tantum Virum de divi Francisci regula adeo benigne meritum, signis per cunctas christiani Orbis Provincias gloriosum, Sanctorum Fastis Canonizatione solemni dignetur adscribere.

TLUMURI PIETR' REGALAT CAA SPÆGNA,

SCIUM ILUMURI AT

Kyaenae caa, eʒe cuur isc iggyal Kak imaʒʒ sciet, saa ggiʒʒ bota, egneraesiariʒʒ, e veyae tek' ay' ty trubey, e ty luteyae po si cuur t' isctenae imaʒʒ sciet e scium i diitunae Profet. Ayò vet frataenia e scietit Frangisk, egneh, eʒe elaev don sod, e ggiʒʒ monae, se ay e caa mbaesuanae, e ndrekyunae mbae uʒae maae tae Mirae. ʒot n' i

maȝi e caa ndertorae ndae ktae yet me scium, e tae mbaeȝaa sciegne. Prae andai loyas se maendae ȝȝomi paa frik, se praeparatan ȝoti iscl gnaae imaȝȝ sciet.

Josefi Schirò Arçbiscaepu i Durrsit, e Vicar' Apostolicu i Hymarrs ndae Arbaenit.

Ejusdem Versio latina.

JOSEPHUS Schirò Archiepiscopus Dyrrhachinus olim Vicarius Apostolicus Cimarrae in Epiro.

Beatus Petrus Regalatus Hispanus, BEATISSIME PATER, meruit adhuc vivens, ut Hispanica gens, cui familiaris pietas et sincera Religio, ad ipsum undique conflueret tanquam ad insigne perfectionis exemplar et Sanctitatis oraculum. Franciscana quoque Familia cui domestica semper fuit Evangelicae perfectionis absolutissima conversatio, eundem agnoscit et praedicat ut eximium Reparatorem collapsae Regularis disciplinae, tunc maxime temporis cum celeberrimus ille Ordo sanctimonia florebat. Nonne magna ista et praeclara heroicae Sanctitatis argumenta? ad haec accedunt signa et miracula, quibus Deus Optimus Maximus voluit clarificare Servum suum etiam mortuum. Sentio proinde tuto procedi posse ad illius solemnem Canonizationem.

SERGIUS ALEXANDRI Armenus Episcopus Caesareae Cappadociae.

Qui in Sanctis suis mirabilis est Deus, non modo quum adhuc viveret beatus Petrus Regalatus, ad testandam ejus Sanctitatem in terris omnipotentiae suae divitiis eum abundantissime cumulavit; sed etiam postquam ex hac luce migravit, ad ejus gloriam manifestandam in caelis miraculis eum mirificare dignatus est. Verus ille fuit Francisci sectator et filius evangelica rerum omnium terrenarum abdicatione, asperrimis carnis afflictationibus, jejuniis rigidissimis, ac fere perpetuis vigiliis, jugi meditationis studio et assidua oratione, insigni denique miraculorum fulgore, quibus eum et viventem et post obitum Altissimus decoravit. Haec igitur omnia in solitis Congregationibus probe riteque discussa et comprobata jure postulant, ut caelestes in terris honores a SANCTITATE VESTRA ei decernantur, qui mira animi demissione terrena contemsit.

STEPHANUS Evodius Assemanus Archiepiscopus Apameae.

Beatus Petrus Regalatus (a) *bonam sortitus animam*, BEATISSIME PATER, (b) aperuit os suum et adtraxit spiritum, qui ejus pene collacteam immatura in aetate maturans integritatem, (c) sensu implevit cor illius, consilium et disciplinam direxit. Antecedente autem ista sapientia magnanimus Ordinis Minorum Regularis Observantiae inter Hispanos Restitutor Confratrum suorum remissum vitae genus adoritur, (d) opportune et importune obtestans quam turpi lapsu (e) charitatem primam reliquissent, obsecrans ut memores essent unde excidissent; et instans ut prima opera facerent: Ipse vero (f) forma factus Gregis ex animo, (g) in illis quasi unus ex ipsis, veluti (h) Stella matutina in medio nebulae effulsit in Templo Dei; quasi Oliva pullulans, et Cypressus in altitudinem se extollens dilatavit gloriam Ordinis sui, et laetificavit Ecclesiam Dei in operibus suis. Eum igitur cujus instauratae sobolis foecunditate merito exultat sancta Mater Ecclesia, omnigenaque demiratur charismata, aequum ducat SANCTITAS VESTRA Sanctorum Fastis adscribere.

BERNARDINUS Vari Episcopus Civitatis Castellanae et Hortae.

BEATISSIME PATER. Beatus Petrus Regalatus nihil vel a primis annis videtur antiquius habuisse quam opere complere quod Christus edixit (i). *Qui vult venire post me*

(a) *Sap.* 8. (b) *Ps.* 116. (c) *Eccles.* 17. (d) 2. *Timoth.* 4 (e) *Apoc.* 2. (f) 1. *Petr.* 5. (g) *Eccles.* 32. (h) *Eccles.* 50. (i) *Matth. c.* 16. *vers.* 24.

abneget semetipsum et tollat Crucem suam et sequatur me. Quare rigidum S. Francisci Institutum amplexus, ut illud ad primaevum rigorem reduceret, ejusque Sectatores ad perfectam sui abnegationem informaret, jejuniis, flagellationibus, vigiliis, orationibus, diurnis nocturnisque contemplationibus perpetuo incubuit; in quibus cum ad septuaginta circiter annos Christi Crucem strenue tulisset, ad eumdem insignibus virtutibus ornatus migravit; cumque magnis miraculis ejusdem merita fuerint comprobata, congruit quammaxime; ut Sanctae Sedis quoque judicio comprobentur.

JOANNES Innocentius Episcopus Fagarasiensis.

Regius Propheta Regii Vatis filius sanctum eum beatumque praedicat, qui manum suam aperuit inopi. Quod aliis Sanctis dum viverent contigit, hoc miramur in Petro Regalato etiam post obitum. Manum enim suam Regalatus e sepulchro exeruit, et pane Supplici dato retraxit. Hoc aliisque miraculis insignem Virum, quem divina fruentem in Caelis beatitudine Antecessores Vestri dudum coli in Hispaniis permisere, ut etiam in toto terrarum orbe SANCTITAS VESTRA inter Sanctos invocandum decernat, non modo dignum censeo, sed etiam supplex rogo.

POMPEJUS Compagnoni Episcopus Auximanus et Cingulanus.

Quod in sacris hodie lectionibus dictum audivimus a Spiritu sancto: *Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos;* id simili quadam ratione in amplissima Minorum divi Francisci Familia ante annos fere trecentos factum videmus. Segregavit enim sibi Spiritus sanctus electos Viros, atque in his praecipuum B. Petrum Regalatum, in eximium illius Ordinis reformandi opus, ad quod assumpsit eos. Porro quisquis de Franciscano Instituto per Ecclesiam universam saluberrime diffuso aequa mente judicare voluerit, is facile animadvertet quanti interesset puram illam et antiquam vivendi regulam, quam Franciscus praescripserat, retinere. Quum itaque et maxima hujusce operis laus Regalato debeatur, et perpetuum vitae tenorem is gesserit asperrimae Reformationi consentaneum, et heroicis ejus virtutibus gloria etiam accesserit miraculorum; nihil desiderari video quominus illius nomen secundum ea quae proponuntur, Sanctorum Fastis sit adscribendum.

JACOBUS PHILIPPUS Consoli Episcopus Amerinus.

Beatus Petrus Regalatus, PATER SANCTISSIME, jugum Domini, quod suave et leve esse jam noverat, ab adolescentia sua cum portaverit, mirabiles divina operante gratia ascensiones ad Deum in corde suo disposuit. Is enim sacrae divi Francisci militiae vix adscriptus religiosis excolendis virtutibus adeo incubuit et enituit, ut tanquam perfectissimum eorum exemplar admirati sint omnes; corpus suum ne adversus spiritum concupisceret, huc usque castigatum perpetuo exhibuit, ut in laboribus, vigiliis, jejuniis, orationibus, paupertate, frigore et nuditate tantum Domino deserviverit; charitate erga Deum et Proximum adeo quoque refulsit, ut quoties aliqua de ipso, Christi passione et caelesti Regno meditaretur, sive languens in terra permanere, sive in Atria domus Dei quodammodo elevari videretur; ceterum difficile dictu, quo studio ac solertia omnibus omnia factus omne hominum genus, vel in Nosocomiis, vel in Carceribus, ac etiam Turcarum vinculis inedia, et squalore confectos singula singulis impertiendo officia pietatis, sublevaverit, quod cunctis, qui adhuc in hoc Mundo peregrinabantur a Patria, opem et operam praestando, ceteros fere omnes Evangelii Operarios aemulatus est.

His adeo virtutibus Deo charus effectus, quot et qualia sint ex Alto ob ejus merita patrata miracula, jam novit Hispania, et quidem tu cognovisti, BEATISSIME PATER, cum ex ejus miraculorum numero sub legis per te latae dispositione praesentem hanc Petri Canonizationis causam nequaquam comprehendi amplissime declaraveris. Talia igitur haec sunt, ut quemadmodum Caeli enarraverunt gloriam ejus, sic tuo nunc tandem infallibili

Decreto, PATER SANCTISSIME, beatum hunc Confessorem, virtute insignem, prodigiis illustrem, Regularis observantiae humanae naturae infirmitate collapsae Restitutorem in terris quoque venerandum inter Sanctos adscribere digneris.

JOSEPH Coppola Episcopus Aquilanus.

Te Judice tandem, te Praeside, quae ad B. Petri Regalati Sanctitatem fidelibus proponendam legitimo desiderabantur jure, expleta sunt. Cum igitur (a) (juxta Textus sententiam) digna vox sit SANCTITATIS TUÆ legibus alligatum te profiteri; hoc unum restat, ut eidem B. Petro debitos Sanctitatis honores solemniter tribuas, atque ita suarum odores rosarum, quas olim Petrus charitatis prodigio in sinu mirabiliter invenit, in perenne transibunt universalis delectamentum Ecclesiae.

JOSEPH Rossi Episcopus Venafranus.

BEATISSIME PATER. Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus Te, Christo Domino dixit Princeps Apostolorum Petrus. Hoc et beatus Petrus Regalatus Apostolico zelo et perseverantia secutus est: Spretis enim Regalatae Gentis honoribus, relictis Matre ipsa et universis, quae ex Mundo sunt, Franciscanae Familiae amplexus fuit paupertatem, et sanctissimi sui Ordinis disciplinam ex humanae naturae infirmitate collapsam, cooperante Villacretio ejusdem Ordinis Viro cum vitae Sanctitate, tum rerum divinarum cognitione clarissimo ad integritatem et pristinum splendorem revocavit, ac seipsum Fratribus virtutum omnium perfectae praesertim charitatis exemplar praebuit; quarum virtutum suavissimus odor, ut late diffunderetur ad manifestandam sui Servi perfectionem Deus Optimus Maximus aliqua panis et carnis frusta, quae ex communi mensa ille collegerat ad reficiendos pauperes, statim ad interrogationem Vicarii sciscitantis: Quid deferret? in recentissimas rosas convertit. Neque haec solum dum Servus suus degebat in terris, operatus est Deus, sed postquam ad aeternam gloriam illum vocaverat, aliis illustravit prodigiis, et illud mirabile fuit, quod quidam Mendicus ad Coenobii janitorem accedens mensae reliquias accepturus, cum jam in egenos distributas invenisset, statim templum ingressus ad Regalati sepulcrum provolutus clamavit: Si tu viveres Regalate, non ego sane duriter adeo viverem, nec mihi quo pascerer, nunc deesset. Continuo sua sponte apertum est sepulchrum, et manu Regalatus estensa panem supplici Mendico dedit: Regalatus itaque qui tot prodigiis, testante Domino vitam aeternam accepit, colatur ab hominibus in terris, ut eo Protectore Panem, qui de Caelo descendit et dat vitam Mundo, digne consequantur.

HIERONYMUS Lorenzi Episcopus Acernensis.

SANCTISSIME PATER. B. Petrus Regalatus tertio decimo aetatis anno S. Francisci sectator factus, mox in Coenobiis disciplinae severioris assertor omni austeritatis genere, assidua caelestium rerum meditatione, ardentissima in Deum et Proximos charitate adeo excelluit ut in Hispania absolutissimum christianae perfectionis exemplum haberetur. Placuisse illum Deo in diebus suis, escae in flores conversae, aquae sicco pede transmissae satis demonstrant: Dedisse illi Deum coronam gloriae post mortem, lumen oculorum caeco redditum, ulcus insanabile statim curatum, aliaque miracula abunde testantur. Superest, BEATISSIME PATER, ut quoniam Servi sui Sanctitatem tam aperte Deus ostendit, velis tu quoque, qui Dei vices in terra geris, Sanctorum honores, ut enixe precor, B. Petro decernere.

JOANNES FRANCISCUS Cavallinus Episcopus Alatrinus.

Praeclarae atque heroicae virtutes, ad quas per assiduas orationes, meditationes, ac vigilias, perque crebra jejunia et summam proprii corporis castigationem pervenit beatus Petrus Regalatus Ordinis Minorum Obser-

(a) *Theod. et Valent. in l. 4. C. de Legib.*

vantiae, tot miraculis roboratae fuerunt, atque a summo Sanctitatis Vestrae judicio probatae, ut in Sanctorum numero recensendus omnino videatur. Qua quidem in re non solum libentissime adhaereo, verum etiam SANCTITATI VESTRÆ enixas demissasque preces effundo.

NICOLAUS Cioffi Episcopus Soranus.

Divina prodigia, quibus omnipotens Deus beatum Petrum Regalatum et adhuc in terris agentem et post obitum illustravit, luculentissima sunt testimonia non minus insignium christianarum religiosarumque virtutum, quibus ille divini honoris cultum, Regularis disciplinae observantiam et aeternam animarum salutem semper curavit, quam sempiternae gloriae, quam eidem in caelis donavit bonorum omnium largitor et remunerator Deus. Itaque inter Sanctos per SANCTITATEM TUAM merito referendum esse existimo.

JOANNES ANTONIUS Castelli Episcopus Catharensis.

Non est cur multis beati Petri Regalati singularia in Ecclesiam merita numerem. Testata namque res est, eum jam ab infantia ipsa tanta pietate tantoque erga Deum et Proximos amore inclaruisse, ut ad maxima quaeque natus esse videretur. Ubi autem Ordini Franciscano nomen dedit, numquam destitit, quin et orationi insisteret, et corpus jejuniis, vigilia, flagellis maceraret, et miseris, ut vires ferebant, opem intenderet. Quin etiam cum angusti ei viderentur esse austeritatis fines, quibus tum Regularis suorum disciplina continebatur, petiit, ut sibi in solitudinem cum paucis secedere liceret. Id ubi obtinuit, vix dici potest, quam severus in se, quam in alios misericors fuerit. Postremo paupertate, religione, charitate, meritis, prodigiis clarus in Caelum migravit. Quare non dubito, quin omnes, quotquot orthodoxam colunt religionem, summa animorum consensione judicent, bene a SANCTITATE VESTRA cum Ecclesia actum esse, quod Virum tantae integritatis atque virtutis iis honoribus decorare statuerit, qui Sanctis merito adhibentur.

NICOLAUS MARIA Calcagnini Episcopus Civitatis Ducalis.

Non minori commendatione dignus est, qui opus aliquod Christifidelibus proficuum instituit, quam qui Institutum restaurat: B. Petrus Regalatus, qui Fratrum Minorum Regulam a S. Francisco Assisiensi in paupertate et humilitate cordis fundatam a primaeva institutione longe aberrantem fereque collapsam in Hispaniis primus omnium ad pristinam integritatem revocavit, restitutamque servavit ipse, atque ut ab Alumnis suis servaretur verbo et exemplo assiduisque laboribus est assecutus, aequali certe ac Seraphicus Institutor honoris et laudis gloria commendari posse videtur; qui autem opera virtutis adeo laudabilia fecit et docuit, ac gratiis miraculisque ab omnipotenti Deo condecorari promeruit, dignum sane existimo, ut SANCTITAS VESTRA solemnem proferens Canonizationis sententiam illum in caelesti gloria Patronum atque in terris virtutum speculum et exemplar mortalibus exhibeat et concedat.

D. INNOCENTIUS Gorgoni Episcopus Pinnensis et Hadriensis.

Quo tempore Bernardinus Senensis, Joannes a Capistrano, et Jacobus Picenus Minoritae in Italia restaurandae pristinaeque severitati restituendae apud Sodales suos Monasticae disciplinae, atque fidelium moribus verbo et exemplo corrigendis informandisque ad pietatem, egregiam operam navarunt, beatus Petrus Regalatus utrumque in Hispania praestitit, eodem ac illi studio, pari labore, aequali miraculorum gloria et successu, atque eo amoris erga Deum, charitatis in Proximum, corporis afflictationis, aliarumque virtutum exemplo, ut Populi in ipso veram Patriarchae sui Francisci imaginem videre, admirari, et venerari viderentur. Quare cum Apostolica Sedes similibus virtutibus aequalibusque meritis pares semper decernere consueverit honores, illis, diversis licet temporibus in Sanctorum numero recensitis, infallibili quae in Te est, auctoritate beatum Petrum eorumdem nunc Albo adscribi debere

existimarem: cum expediens videatur, difficillima hac nostra aetate Ecclesiam novo praesidio, Franciscanam Familiam novo Regularis Observantiae stimulo, Fideles omnes novo virtutum omnium exemplari, ac Hispaniam novo Protectore munire.

Pauca haec verba addidit in fine Sanctitas Sua.

Venerabiles Fratres. Suffragia Vestra consensu unanimi deposcunt, ut beatum Petrum Regalatum in Catalogum Sanctorum referamus. Nos cum opus fuerit, sententiam quoque nostram declarabimus. Interea magno studio Deum precamini, ut lumen suum Nobis impertiat ad opus hoc maximum pro ipsius voluntate in terris perficiendum.

D. Toppi tanquam Apostolicae Camerae Generalis Procurator pro Instrumentorum confectione, ne Actorum series ab hominum memoria dilaberetur, Protonotariis consueta formula instituit.

Ego Johannes Philippus Toppi Sanctissimi Domini Nostri et Camerae Apostolicae Procurator Generalis rogo Vos omnes Protonotarios et Notarios Apostolicos hic praesentes, ut de sententiis, consilio, et unanimi consensu Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione et deliberatione praehabitis super solemni Canonizatione beati Petri Regalati unum vel plura, publicum seu publica conficiatis Instrumentum vel Instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Cui annuens R. P. D. Protonotariorum sub-Decanus Collegii sui nomine respondit; *Conficiemus*: Interim de genu Papam salutans atque illico erectus appellavit Testes eos, qui Pontificiae circumstabant Sedi prolatis verbis: *Vobis Testibus*: Domumque regressus in Tabulas haec omnia retulit hac methodo.

Instrumentum a Sub-Decano Protonotariorum rogatum pro tertio semipublico Consistorio.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Cum sit, quod Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Divina Providentia Papa XIV. post longam diligentemque Causae discussionem super virtutibus, meritis et miraculis, quibus beatum Petrum Regalati Ordinis Minorum Observantium sancti Francisci Altissimus illustraverat; ad ejusdem solemnem Canonizationem devenire decrevisset, divino prius lumine tum publicis, tum privatis precibus implorato: Ne quid in re tanti momenti praetermissum videri posset laudabilibus suorum Praedecessorum Ordinationibus et vestigiis inhaerens: Pro exquirendis excipiendisque Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, necnon Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum convocatorum suffragiis super peragenda ejusdem beati Petri Regalati Canonizatione, Semipublicum habuit Consistorium in Aula, quae loco Ducalis est in Quirinali Palatio Anno a Nativitate Domini Millesimo Septingentesimo Quadragesimosexto Indictione nona, Pontificatus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae Anno sexto, die vero Sabbato undecima Junii.

Consistorialis haec Actio, postquam Sanctissimus Pater ex Aula Paramentorum sacris Vestibus et simplici Mitra insignitus, inter duos Eminentissimos antiquiores Diaconos Cardinales Carolum nempe Marini, et Alexandrum Albani ad eandem Ducalem Aulam migraverat, sedemque conscenderat, suum sumpsit exordium a brevi, gravi, ornataque Oratione, qua Sanctitas Sua amplissimum Purpuratorum Senatum et venerabilem ceterorum Patrum Consessum est allocutus, eorum consilia et sententias exposcens in maxima hac et omnium profecto longe gravissima ab ipso suscipienda deliberatione.

Statim ac Summus Pontifex fecit dicendi finem, Eminentissimus Cardinalis Carafa Episcopus Albanensis, sicuti inter eos qui interant, Eminentissimos Cardinales antiquior, ita primus omnium non solum sententiam suam edixit, verum etiam, ut ne diutius Fidelium vota remorarentur, Sanctissimum Dominum pro diu exoptata beati Petri Regalati Canonizatione instantissime exoravit, eandem prorsus sententiam prosequuti sunt (consueto servato ritu) Sanctitatem suam pariter enixe rogantes reliqui Eminentissimi Patres, scilicet

Franciscus Tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Burghesius.
Antonius Xaverius Tit. S. Stephani in Monte Caelio S. R. E. Presbyter Cardinalis de Gentilibus.
Fr. Joannes Antonius Tit. SS. Silvestri et Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Cardinalis Guadagni.
Dominicus Tit. SS. XII. Apostolorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Riviera.
Joannes Baptista Tit. S. Mariae Angelorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Spinola.
Raynerius Tit. S. Sabinae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Ilcio.
Dominicus Tit. S. Bernardi S. R. E. Presbyter Cardinalis Passionei.
Silvius Tit. S. Priscae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Valentibus.
Fr. Joachimus Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Portocarrero.
Camillus Tit. SS. Joannis et Pauli S. R. E. Presbyter Cardinalis Paulutius.
Carolus Albertus Guidobonus Tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyter Cardinalis Cavalchini.
Fridericus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Lantes.
Franciscus Tit. S. Mariae de Populo S. R. E. Presbyter Cardinalis Riccius.
Antonius Tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter Cardinalis Rufus.
D. Fortunatus Tit. S. Matthaei in Merulana S. R. E. Presbyter Cardinalis Tamburinus.
D. Joachimus Tit. S. Crucis in Hierusalem S. R. E. Presbyter Cardinalis Besutius.
Carolus Tit. S. Mariae in Via Lata Diaconus S. R. E. Cardinalis Marini.
Alexander Tit. S. Mariae ad Martyres Diaconus S. R. E. Cardinalis Albanus.
Nereus Tit. S. Eustachii Diaconus S. R. E. Cardinalis Corsinus.
Agapitus Tit. S. Agathae in Suburra Diaconus S. R. E. Cardinalis Mosca.
Carolus Maria Tit. S. Mariae in Porticu Diaconus S. R. E. Cardinalis Sacripantes.
Marius Tit. SS. Cosmae et Damiani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bolognettus.
Prosper Tit. S. Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Columna de Sciarra.
Alexander Tit. S. Mariae in Aquiro Diaconus S. R. E. Cardinalis Tanarius.
Hieronymus Tit. S. Adriani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bardi.
Dominicus Tit. SS. Viti et Modesti Diaconus S. R. E. Cardinalis Ursinus.

Silentibus Eminentissimis Cardinalibus, protinus proprium laturi judicium surrexerunt Reverendissimi Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, nimirum

Mundillus Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus.
Antonius Maria Pallavicinus Patriarcha Antiochenus.
Thomas Cervini Patriarcha Hierosolymitanus.
Gabriel Eva Archiepiscopus Cypri Syrus, patria prius, deinde latina lingua suffragium emisit.
Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanus.
Michael Palma Archiepiscopus Theatinus.
Stanislaus Poliastri Archiepiscopus Rossanensis.
Ferdinandus Maria de Rubeis Archiepiscopus Tarsensis.
Joannes Andreas Tria Archiepiscopus Tyri.
Michael Maria Vincentini Archiepiscopus Theodosiae.
Simon Gritti Archiepiscopus Tyanen.
Josephus Rufus Archiepiscopus Capuanus.

Nicolaus Carafa Archiepiscopus Philippensis.

D. Ferdinandus Romualdus Guiccioli Archiepiscopus Ravennaten.

Felix Solatius Archiepiscopus Thebarum.

Antonius Fonseca Episcopus Æsinus.

D. Placidus Pezzancheri Episcopus Tyburtinus.

Nicolaus Xaverius Santamaria Episcopus Cyrenen.

Nicolaus Michael Abbati Episcopus Scyllacii.

Bernardus Antonius Pizzella Episcopus Constantien.

Fr. Paulus Alpheran de Bussan Episcopus Meliten.

Alexander de Abbatibus Episcopus Viterbien. et Tuscanen.

Nicolaus Franciscus de Bonhome Episcopus Carpasien.

Ludovicus Antonius Valdina, olim Cremona Episcopus Hermopolitanus.

Fabricius Borgia Episcopus Ferentinus.

Nicolaus Spinelli Episcopus Aversanus.

Hippolytus e Rubeis Episcopus Senogallien.

D. Paulus Thomas Marana Episcopus Asculanus.

Fr. Silvester Merani Episcopus Porphyriensis.

Nicolaus Mancinforti Episcopus Anconitanus.

Antonius Cantoni Episcopus Faventinus.

Paulus Bonavisa Episcopus Spoletinus.

Caesar Bonajuti Episcopus Faren.

Marius Maffei Episcopus Fulginaten.

Guido Ursellus Episcopus Caesenae.

Hyacinthus de Silvestris Episcopus Nepesinus et Sutrinus.

Leo Lucas Vita Episcopus Oppiden.

Ægidius Antonius Isabelli Episcopus Alliphanus.

Joannes Antonius Bachetoni Episcopus Anagninus.

Franciscus Antonius Spadea Episcopus Aquinas et Fregellarum.

Joseph Schirò Archiepiscopus Dyrrhachinus, patrio prius, deinde latino idiomate suffragium emisit.

Sergius Alexandri Armenus Archiepiscopus Caesareae Cappadociae, patrio prius, deinde latino idiomate suffragium emisit.

Stephanus Assemanus Archiepiscopus Apameae.

Bernardinus Vari Episcopus Civitatis Castellanae.

Joannes Innocentius Episcopus Fagarasiensis, patrio prius, deinde latino idiomate suffragium emisit.

Pompejus Compagnoni Episcopus Auximanus et Cingulan.

Jacobus Philippus Consoli Episcopus Amerinus.

Josephus Coppola Episcopus Aquilanus.

Joseph de Rubeis Episcopus Venafranus.

Hieronymus Lorenzi Episcopus Acernen.

Joannes Franciscus Cavallini Episcopus Alatrinus.

Nicolaus Cioffi Episcopus Soranus.

Joannes Antonius Castelli Episcopus Catharensis.

Nicolaus Maria Calcagnini Episcopus Civitatis Ducalis.

Innocentius Gorgonius Episcopus Pinnen.

Cum autem nullus alius ex sacro convocatorum Patrum Conventu suffragaturus superesset; Sanctissimus Dominus summopere laetatus, quod omnium Suffragatorum sententiae votis suis concorditer responderent; brevi altera Allocutione non minus animi sui laetitiam, quam ad beati Petri Canonizationis solemnia quamprimum deveniendi promptitudinem luculenter ostendit, finemque fecit Actionis.

Priusquam tamen Sanctitas Sua consurgeret, et Patrum Consessus dissolveretur, Procurator Generalis Reverendae Camerae Apostolicae ad nos Protonotarios interessentes conversus, ut de omnibus praehabitis, de Sanctissimi Domini Nostri videlicet Allocutionibus, deque consilio, assensu et concordibus Eminentissimorum Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum suffragiis unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum vel Instrumenta perenni Posterorum memoriae demandandum vel demandanda conficeremus, de more rogavit.

Quapropter ego Antonius Maria Protonotarius Erba inter Protonotarios qui aderant antiquior; Collegii mei nomine respondi: *Conficemus*: Sanctissimi Domini Nostri Familiaribus illic adstantibus his verbis in Testes adhibitis: *Vobis Testibus*: Et praesertim Illustrissimis DD. Paulo Zani Bononiensi, et Josepho Maria Puoti Neapolitano Testibus ad hoc specialiter vocatis, habitis atque rogatis.

Acta sunt haec in Quirinali Palatio, die, mense, et anno, quibus supra.

In quorum fidem Nos Protonotarii Apostolici de numero Participantium requisiti et rogati praesens hoc Instrumentum confecimus, subscripsimus, et publicavimus, solitoque Collegii Nostri Sigillo muniri, et in nostro Archivio ut futuris temporibus horum omnium perenne semper extet documentum Secretario nostro perdiligenter asservari et subscribi mandavimus. Actum ubi supra, praesentibus quibus supra Testibus ad praemissa vocatis, habitis atque rogatis.

Antonius Maria Protonotarius Erba Sub-Decanus.

Loco † Signi.

Franciscus Dominicus Clementi ejusdem Collegii Secret.

Accensentur hic suffragia Absentium a Consistorio, etsi Romae praesentium:

THOMAS Episcopus Ostiensis et Veliternensis Sacri Collegii Decanus, Vice-Cancellarius Cardinalis Rufus.

Proseminata in animo beati Petri Regalati e Caelo virtus cum ipso flore aetatis statim floruit. Illuxere scilicet maturae in puero pietatis indicia, amor praesertim aeternorum, et fastidium eorum, quae de Mundo sunt. Vix ingressus adolescentiae limen, quanta contentione admitti inter Assisiensis Patriarchae Alumnos postulaverit, et quanta sui alacritate adscriptus Familiae fuerit, ardor ille eximius, quo in praeclara sanctissimi Parentis vestigia illico totus incumbere, hisque subinde constanter insistere visus fuit, liquido demonstrat. Arctissimae paupertatis, altae humilitatis, admirabilis poenitentiae, eximii revocandae Minoriticae Disciplinae, quae jam a sua origine deflectere cernebatur, inconcussi zeli, invictae fortitudinis in promovenda Dei gloria et animarum salute, atque ceterarum virtutum odore longe lateque diffuso plurimos ad se traxit socios, quos erudivit sicut semetipsum. Sed et crevisse Petrum in virum usquequaque perfectum, aperte pariter declarant manifesta divini in ipsum amoris indicia, quibus Altissimus coruscare hunc Servum suum voluit et viventem et secum jam feliciter in Caelis regnantem. Æquum est itaque, BEATISSIME PATER, et christiano Populo proficuum, ut beatus Petrus Regalatus a Sanctitate Vestra in Sanctorum Canonem referatur, ut sit ipse suis Cultoribus in exemplum simul et patrocinium.

ANNIBAL Episcopus Portuensis Cardinalis Albanus S. Clementis nuncupatus.

Inter tot Sanctos homines, qui Hispanam Nationem ac Religiosum Minorum Ordinem illustrant, jure meritoque accensendus est Petrus Regalatus. Is a prima aetate pietati studens mirifice christiana virtute profecit. Minorum adscriptus Familiae tam naviter in perfectionem Religiosam et exactiorem suscepti Instituti disciplinam incubuit, ut brevi absolutissimum Sanctitatis exemplum evaserit: Nec venerationi tantum esset, verum etiam admirationi. Propriae non contentus animae bono, alios quoque ad christianae vitae perfectionem attraxit. Severiores Religiosi Instituti leges prescripsit, et Franciscanae regulae disciplinam exemplo et monitis promovit. Heroicarum virtutum merito vivus mortuusque a Populis celebratus et cultus multis etiam miraculis a Deo est illustratus. His autem nominibus non Hispaniis tantum, sed et in aliis christiani orbis Regionibus egregie spectatus et clarus, dignissimus habetur, qui a SANCTITATE VESTRA in Sanctorum numerum referatur, ut uno tempore B. Petri merito divinae voluntati tot modis

patefactae, nec non Populorum atque virorum Principum piis votis fiat satis.

VINCENTIUS Episcopus Praenestinus Cardinalis Petra Major Poenitentiarius.

Etsi opes atque hujus vitae commoda plerisque esse soleant impedimento, quo minus in se rigidi severique esse velint, novit tamen beatus Petrus Regalatus Ordinis Minorum Observantium decus et ornamentum quanti illa essent habenda: quocirca et dum in seculo erat, ea ipsa neglexit cessitque, ut poterat, pauperibus, et ubi per aetatem licuit, pauperrimo Instituto nomen dedit, quo corpus suum nuditate, laboribus, vigiliis omnique austeritate in servitutem redigeret. Quin etiam cum his finibus tam angustis, ut ei quidem videbatur, ejus virtus contineri non posset, asperius vitae genus quaesivit, Superiorumque facultate in solitudinem una cum paucis sociis concessit, ubi antiquam Ordinis S. Francisci disciplinam renovavit et coluit. Vix dici potest, quot ibi virtutum et miraculorum laude inclaruerit. Diutissimis meditationibus, operibus pietatis, saluti animarum diligentissimam navavit operam. Postremo meritis onustus vitam hanc fluxam atque mortalem cum sempiterna eaque beata commutavit. Quamobrem censeo tempus advenisse, quo illi decretos a Sancta Sede honores adhibere oporteat.

JOSEPH Episcopus Tusculanus Cardinalis Accorambonus.

Quem Evangelicae perfectionis stadium, quod cum summa animi contentione B. Petrus percurrit, totisque conatibus in aliis excitare non destitit, Deus Optimus Maximus in Sanctis suis vere mirabilis non modo cum adhuc viveret omnipotentiae suae divitiis abundantissime cumulaverit, sed postquam obiit ad ejus gloriam manifestandam in Caelis, miraculis etiam mirificare dignatus sit: Dignum proinde SANCTITATIS VESTRÆ zelo futurum existimo, si ad augendum Ecclesiae catholicae decus et Franciscani Ordinis incrementum Servum Dei ad Divorum cultum solemni pompa promoveat.

VINCENTIUS Episcopus Sabinensis Cardinalis Bichius.

Ut Sanctorum adscribantur Albo exigunt merita illorum, qui Religiosas Familias jam virtute florentes ad severiorem revocarunt disciplinam, et ad strictioris studium Instituti ab excelsa virtute commendati invitarunt. Et qui cum in vita, tum post mortem quamplurimis miraculis claruerunt, ut eorum Sanctitatem testaretur Deus. Profecto haec omnia de beato Petro Regalato Sacerdote Professo Ordinis Minorum sancti Francisci et Regularis Observantiae in Hispania Restitutore probata ac verificata noscuntur, dum beatus Petrus addictus Religioni sub strictissima paupertate viventi, ita de sua paupertate exultavit continuo, ut videretur renovasse verba Apostoli ad Timotheum, *habentes quibus tegamur, his contenti sumus*. In Regulari Observantia restituenda eaque sub strictiori Instituto confirmanda et stabilienda maximo cum fructu et progressu adlaboravit usque ad obitum. Charitate in Proximum et in Pauperes continuo ardenti studio flagravit: Et inventus Justus coram Deo quamplurimis miraculis etiam usque ad haec tempora claruit; unde tutus patet aditus ad sacros Sanctitatis honores eidem beato Petro deferendos.

NICOLAUS MARIA Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Lercarius.

Deus Optimus Maximus, qui in Sanctis mirabilis semper fuit, cum adhuc viveret B. Petrus Regalatus Regularis Observantiae inter Minores Restaurator, ad testandam ejus Sanctitatem in terris omnipotentiae suae signis eum abundantissime cumulavit; sed magis post obitum ad ejus in Caelis sublimem gloriam manifestandam in praemium finalis perseverantiae miraculis ac prodigiis eum decorare dignatus est: Ut itaque universalis Ecclesia ejus opem ac patrocinium promereat, sacro, universali cultu SANCTITATIS VESTRÆ oraculo inter Sanctos adscriptum eum honoret ac veneretur.

TROJANUS Tit. S. Caeciliae Presbyter Cardinalis de Acquaviva.

Magnum equidem, BEATISSIME PATER, Sanctitatis specimen dedit beatus Petrus Regalatus, qui adhuc impuber spretis opibus avitaeque suae gentis honoribus in Fratrum Minorum Familiam cooptari voluit; atque per omnium virtutum gradus ad culmen Evangelicae perfectionis ascendens, ita fuit omnipotenti Deo fideliter serviens, ut signis quam acceptus esset, apertissime comprobaretur. Tantum ergo Virum, qui justitiam operatus coronam gloriae immarcescibilem recipere meruit, in Sanctorum Canonem merito adscribi posse putamus.

RAPHAEL COSIMUS Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis de Hieronymis.

Beatissime Pater. Divinae mos est Providentiae juxta locorum et temporum opportunitates suos electos mittere Servos ad excolendam Christi vineam vepribusque expurgandam. Plures hujusmodi et strenuos Operarios continuata serie ex Minorum Ordine assumpsit, inter quos egregius Dei Servus Petrus Regalatus mirifice claruit, qui ardentissima in ipsum Deum et Proximum charitate flagrans, ceterisque virtutibus coruscans dignis laudibus merito ab omnibus celebratur. In eo vero praecipue praefulsit, quod collapsam in Hispaniis primaevam Seraphici Ordinis observantiam egregie instauravit heroicis virtutibus et exemplo. Signis et portentis ante et post mortem Deus testatam voluit hujus beati Viri merita gloriosa, quibus accedentibus dignum censeo, ut a SANCTITATE VESTRA in sanctorum Confessorum Catalogo adscribatur; ut qui viderint fragilem hominem eadem generis infirmitate circumdatum in carne supra carnem vixisse, et per fidem operantem justitiam adeptum esse repromissionem, pari Religionis ardore ad similia excitentur, et nitantur ad coronam.

CAROLUS Tit. S. Mariae de Ara-Caeli Presbyter Cardinalis Calcagninus.

Beatus Petrus Regalatus Sacerdos Professus Ordinis Minorum S. Francisci a primaeva aetate exultavit ut gigas ad currendam viam Domini; dum iter christianae perfectionis arripiens ceteris miraculum esset et exemplar. Adscriptus inter sodales Seraphici Francisci, imitator fuit fidelis tanti Patris usque adeo, ut sibi Mundum seque Mundo reddiderit crucifixum: Cum sublimem Regularis perfectionis observantiam in suo Ordine ex parte obsolevisse animadverteret, omnem diligentiam omneque studium adhibuit, quo eam ad integritatem et splendorem pristinum revocaret. In charitate, in humilitate, in rerum divinarum ferventi meditatione, in innocentiae candore et in corporis sui assidua afflictatione maxime enituit. Animarum corporumque lucris tam diligenter intentus fuit, ut in revocandis ad pietatem Populis labores, incommoda quamvis gravia patientissime toleraverit: Qua in re illud mirabile quod panes in egenos largiendos, ut Antistitem laterent, in rosas hiberno tempore permutavit. Quae omnia omnipotens Deus pluribus confirmavit miraculis. Igitur Sanctorum Fastis adscribendum censeo ad Ecclesiae praesidium et fidelium incitamentum.

PHILIPPUS MARIA Tit. S. Agnetis extra Moenia Presbyter Cardinalis de Montibus.

Beatus Petrus Regalatus avita generis nobilitate contempta in sacra Ordinis Minorum Familia adeo egregie versatus est, ut ob expressam in se ipso vivam Evangelicae perfectionis imaginem et ceteris praestiterit omnigenae virtutis normam, et heroicae Sanctitatis exemplar. Zelo ductus severioris observantiae Regularem collapsam sui Ordinis disciplinam ad primaevam Seraphici Instituti integritatem in Hispania revocavit. Ardore insuper charitatis exaestuans innumeris Proximum complectebatur officiis: Familiare quippe ei erat peregrinos hospitio exceptos reficere, morbo gravatos in Nosocomiis curare, carceris squalore confectos solari, et captivos sub Turcarum jugo detentos stipe sibi a divitibus collata in libertatem asserere; omnibus omnia factus, ut animas Christo lucrifaceret. Reliquum est ut B. Petrus Regalatus qui in Ecclesia tanquam sidus zelo Regularis disciplinae ac ardore charitatis emicuit,

tandem juxta Ritum Sedis Apostolicae gloriae coronam inter Sanctos recipiat in terris.

HIERONYMUS S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.

Neminem esse puto, BEATISSIME PATER, qui sanctissimi Patriarchae Francisci virtutes egregias admiretur, sibique temperare possit, ne beatum Petrum Regalatum ex eodem Minorum Ordine magna etiam et admiratione ac veneratione prosequatur. Uterque non *quasi in incertum currens, aut aerem verberans* castigavit corpus suum et in servitutem redegit, non in alio gloriatus nisi in Cruce Domini. Uterque pauper spiritu, sciens horum esse Regnum caelorum, post aurum non abiit; eos uterque Thesauros sapientiae ac scientiae Dei unice amavit, quos in Christo abscondidit Pater non sapientibus ac prudentibus revelans, sed parvulis. Uterque *factus a Deo Minister novi Testamenti non littera, sed spiritu* Religiosos Viros exemplis sanctissimis informavit, nisi quod charitatis, humilitatis, paupertatis, abnegationis studium in Ordinem Minorum Franciscus invexit, Petrus restituit. Quamquam non iis se angustiis coarctavit Petri virtus, ut sui tantum Ordinis bono consuleret, sanctissimi Patriarchae sui vestigiis insistens opere comprobavit *latum nimis esse charitatis mandatum*, quod omnes complectatur, a vitiis quos potest deterrens, ad mores Christianos dignos alliciens, nullos praeteriens sive Nosocomiis detentos, sive Carceribus inclusos, sive Turcarum captivitate pressos, magnis utique laboribus exantlatis, ita tamen ut sicut in eo *abundabant passiones Christi*, ita et per *Christum in eo consolatio abundaret*. Quid est itaque quod ulterius requiramus, BEATISSIME PATER, ut Sanctorum numero accenseatur beatus Petrus? Ita plane fiet ut unus Canonizationis honor non modo B. Petrum, sed et sanctissimum Patriarcham Franciscum commendet; cujus imitationi tantopere studuit magnus hic Seraphici Ordinis Alumnus: Vere siquidem testatur Salomon, Gloriam Patris esse filium sapientem.

JOSEPH MARIA Ferroni Archiepiscopus Damascenus Assistens.

Admirabiles plane ad Deum ascensiones in corde suo disposuit B. Petrus Regalatus (a). Non solum ipse per asperum vitae genus ad Sanctitatis apicem pervenire contendit, sed omnibus omnia factus, tam domesticos quam extraneos Christo lucrifacere studuit. De inclyto igitur Ordine ac de Ecclesia optime meritus, quia fecit et docuit, magnus in eadem Ecclesia vocetur (b).

Fr. ANTONINUS Camarda Episcopus Reatinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Non hospes nec advena videbatur in terris beatus Petrus Regalatus, sed civis Sanctorum et domesticus Dei, cum nonnisi sapere studeret quae sursum sunt, non quae super terram. Hinc infinitos sapientiae et scientiae Dei thesauros assidua contemplatione promulgans, totus divino illo aestuabat igne, quem venit mittere in terram Unigenitus Dei Filius, cujus vehementissimam usque ad Ecstasim raptus admirabatur charitatem, qua dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Ex qua tanti beneficii consideratione, maximo quoque augebatur dolore, cum videret filios hominum post tam copiosam redemptionem, rursus sibimetipsis crucifigere Filium Dei. Placeat igitur SANCTITATI VESTRÆ Caelorum civibus eum solemniter insertum definire, qui totus in terris visus est homo caelestis.

NICOLAUS Simoni Episcopus Marcianensis Assistens.

Petrus Regalatus fortis viribus a juventute sua factus est Princeps selectioris militiae, quae sanctissimam Ordinis Minorum divi Francisci disciplinam ex humanae naturae infirmitate magna ex parte obsoletam, ipso praeeunte cum verbo tum exemplo ad integritatem et splendorem pristinum revocavit.

(a) *Psalm.* 83. 7. (b) *Matth.* 5. 19.

Virum igitur qui jugum portavit ab adolescentia, sedit in solitudine, posuitque in pulvere os suum, dignum puto qui tollatur in sublime, ut ejus laudes omnes Ecclesia nunciet ac colat Sanctitatem.

MARCUS ANTONIUS Amalphitanus Episcopus Ortonen. et Camplen. Assistens.

BEATISSIME PATER. Beatus Petrus Regalatus Sacerdos Professus in Ordine Minorum Regularis Observantiae singulari gratiae Dei praerogativa suffultus morum innocentia ab incunabulis semper enituit. Tertiodecimo aetatis suae anno ad Fratrum Minorum habitum admissus, brevi Religiosis virtutibus claruit ac perfectionis apicem attigit. Eam in aliorum animis alte imprimere contendens, summo studio curavit antiquum illud asperrimumque vivendi genus, quod suis indixerat Seraphicus Patriarcha Franciscus, renovare. Summa fuit in eo abstinentia, cum raro admodum aut vinum biberet, aut carnem gustaret, imo ut plurimum pane et aqua unice vescebatur. Orationi addictus somno ita raro brevique utebatur, ut vel insomnes orando saepe traduceret integras noctes, vel si defatigato ac deficiente corpore paululum decumbere cogeretur, id non aliter faceret quam humi prostratus, ut non tam conquiescere quam ipsammet quietem suo corpori molestam facere videretur. Caelestium contemplationi perpetuo inhaerebat Christi Redemptoris mysteria contemplando. Ardentissimo salutis animarum zelo succensus omnem adhibuit operam pro vitiis extirpandis, vel pro virtute in exteras etiam gentes amplificanda. Ut ipsa fraternitatis charitas diligeretur, summopere studuit; unde dissidentes ad pacem et concordiam revocavit: Afflictos in carceribus, vel sub Turcarum captivitate detentos aliosque inopes singulari charitatis exemplo adjuvit. Extra sensus frequenter raptus admirabiles Ecstases passus est. Quae et alia innumera in ejus vitae Compendio exposita, cum eum clarum reddant, et sanctis constet de virtutibus in gradu heroico, miraculis tam in vita quam post mortem patratis, inter Sanctos solemni ritu recensendum fore censeo, si SANCTITATI VESTRÆ placuerit.

LUDOVICUS Savagieri Episcopus Tempensis.

Beatus Petrus Regalatus spreto in adolescentia nobilitatis fastu, divitiis omnibus relictis, seque Deo in Minoritico Sodalitio devoto, et mortificationis cruce suscepta, Christum sequutus humilitate, patientia atque eximia in Fratres charitate, evangelicam perfectionem profitentibus factus exemplar, verbo, exemplo magnisque laboribus restituta pristinae puritati ac severitati Minoritica in Hispania Familia, miraculorum gloria clarus veram Patris sui Francisci imaginem in suis virtutibus admirandam exhibuit, atque illius animam post transitum aeterna cum Christo perfrui beatitudine, multis deinceps prodigiis Deus testatus est. Quare si Tibi aliter non videatur, BEATISSIME PATER, Eum in Sanctorum numerum referendum esse censeo.

ANTONIUS Franci Episcopus Crasseti.

Plures, BEATISSIME PATER, ut omnibus notum est, jam diu sacris Altaribus veneramur, qui cum beatum Petrum Regalatum sibi Patrem in Hispania selegissent, et Reformatae ejusdem Familiae dedissent nomen, per paupertatem, per vigilias, per orationes, per inediam, per patientiam, certam fecerunt in restaurato per eumdem Ordine vocationem. Eisdem igitur condignis honoribus, quos haec ipsa Apostolica Sedes decrevit Filiis, Patrem aeque sanctissimum virtutibus miraculisque aeque clarissimum diutius privare, in ejusdem Patris injuriam cedere quodammodo videretur.

THOMAS ALEXIUS de Rubeis Episcopus Aprutinus.

Deerit forte, BEATISSIME PATER, quod dicerem, et inani loquutione taedium dare nollem beati Petri Regalati referens merita et prodigia; longior enim esset et difficilior provincia virtutes ejus recolere: Non quod lateat quid sit dicendum, sed quod nescio

quomodo illa tam admiranda facinora sint explicanda.

De Viro loquitur qui S. Benedicti et sancti Patris Francisci vitam agere cum decrevisset, spiritum sancti Patriarchae imitatus in desertum locum et solitarium cum alio Fratre Villacretio se contulit.

Haec arena fuit, in qua Athleta Christi curavit virtutes omnes et spiritum sanctissimae et asperrimae Religionis splendescere.

Haec illi arena fuit. Cum primo dato nomine Observantium S. Francisci Familiae adhuc ipso puero, et postquam flagellis omnique poenarum genere se cruciavit, alias ascensiones adortus pristinam paupertatem, orationes et poenas aggressus est.

In pauperes et captivos apprime prospexit, ut etiam defunctus e sepulcro consurgens panem cuidam oranti Mendico mire porrexerit.

Virtutes omnes cum primis fidei, spei et charitatis in gradu heroico censitae probataeque fuere, ceteraque miracula cum satis clare comperta sint, eumdem in Album Sanctorum adscribi humillime deprecamur.

Sequenti die utpote Dominica Consistorium habitum non est, quod tamen in Feriam secundam dilatum, omnibus quorum intererat adesse, per impressam schedulam notum Cursores fecerunt.

INTIMATIO

Per Cursores facienda etiam Domi dimissa copia.

Die 13. *Junii feria* 2. *in descripta jam Quirinalis Palatii Aula* hora decimatertia *Sanctissimus Dominus Noster semipublico Consistorio quarto intererit, Eminentissimorum Patrum, necnon Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum suffragia in Causa Canonizationis beati Josephi a Leonissa Confessoris Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum excepturus.*

Ideo intimentur omnes et singuli Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales, necnon Reverendissimi DD. Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi in Urbe praesentes, ac Domini Protonotarii Apostolici, duo Antiquiores Rotae Auditores, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, Promotor Fidei, et Procurator Fiscalis Camerae Apostolicae.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae.

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

Dicta igitur feria secunda Sanctissimus Dominus Noster sacris Vestibus ornatus apud lectum Paramentorum per manus Cardinalium Diaconorum, exivit praecedente Cruce in Aulam, ubi jam congregati aderant ceteri Cardinales Praesulesque Ecclesiarum omnes, et salutari Crucis signo super eos producto sedit assidentibus Cardinalibus, stantibus aliis: Clausis deinde foribus, ne ii redirent qui ab Aula dimittebantur, quartam beati Josephi pro qua conveniebant, Causam sic exposuit.

Venerabiles Fratres. Non ignoramus exploratum satis esse vestrae eruditioni, juxta veterem Ecclesiae disciplinam inter Martyres non solum adnumeratos fuisse illos, qui pro christiana Religione vitam amiserunt, sed eos pariter, qui ob eandem Religionis causam acerbissima tormenta pertulerunt, licet postea superstites ab illis evadentes, mortali hac vita in pace perfuncti sint. In Conciliis, quae a sancto Cypriano coacta fuerunt, aliqui Episcopi, nomine ac titulo Confessoris, alii vero Martyris obsignantur. Tertullianus autem in eo libro, quem in Praxeam conscripsit, titulum Martyris ipsi minime tribuendum contendit, ob eam causam, quod levissimum ac breve tormenti genus tulisset,

non vero quia vitae spiritum inter cruciatus nequaquam emisisset: *Praxeas*, inquit, *de jactatione martyrii inflatus ob solum et simplex et breve carceris taedium.* Id etiam S. Joannis Evangelistae celebri exemplo comprobatur, qui in dolium ferventis olei demissus, licet incolumis ex illo prodierit, et usque ad ultimam senectutem in pace vitam absolverit, tamen Martyris titulum a Fidelibus obtinuit. Ob eandem rationem sancta Thecla Protomartyr a Patribus nuncupatur, eo quod prima inter mulieres martyrii gloriam pro christiana Fide consecuta est: Quippe damnata ad bestias, quemadmodum ex Annalibus Ecclesiae deprehendimus, cum nullum ab illis detrimentum accepisset, reliquum suae vitae tempus solitudini mandavit, ubi longo senio confecta, et vinculis corporis soluta in Caelum placide evolavit. Ob haec Theologi inquirunt, utrum etiam nunc Martyris nomen apte conveniat illis, qui superstites fuerunt cruciatibus, quorum acerbitate vitam profundere debuissent, sed post multos annos lectulo ut ajunt suo jacentes postremum diem obierunt, et utrum ritu solemni etiam nunc inter sanctos Martyres recenseri possint. Nonnulli id fieri posse censuerunt; utque obviae occurrant difficultati, nempe reliquo vitae spatio inquinari potuisse peccati labe eos, qui post tormenta superstites fuerunt, respondent divinae bonitati consentaneum videri, quod eos in caelesti gratia confirmet, qui singulari suo beneficio vim tormentorum certumque mortis discrimen, quod pro Christo subierant, superaverunt. Nos de hac ipsa re fusius egimus in nostris Commentariis *de Canonizatione Sanctorum*, ubi Sanctae Sedis Apostolicae consuetudini inhaerentes plane ostendimus, Martyris titulum minime hodie tribuendum, nisi mors intercesserit in odium christianae Fidei, quam Tyrannus intulerit, et Martyr ob eandem causam susceperit, fortique animo pertulerit; nec ut ab hac disciplina recedatur, sufficere exempla a sacra quidem antiquitate desumpta, sed quae prodierunt, antequam aliae leges justissimis de causis ab Ecclesia fuerint statutae; aut argumenta, quae piis ab hominibus potius, quam a peritis Theologis excogitata videntur. Quapropter cum adhuc in minoribus Promotoris Fidei munus gereremus, et Causa haec beati Josephi a Leonissa initio proponi coepisset, magno studio contendimus atque obtinuimus, ut de illa tanquam de causa Confessoris, non vero Martyris ageretur, etiamsi beatus Joseph unco ferreo per tres continuos dies suspensus a Turcis in odium christianae Religionis crudelissimum tormenti genus pertulerit, uti vos ipsi ex traditis documentis perspicere potuistis. Illud tamen libenter ac merito probavimus, ut hoc facinus praeclarissimum in hac causa pertractanda magni penderetur, et pro decernenda solemni Canonizatione etiam plurimum conferret, si tamen continua virtutum summe praestantium exercitatio, proprii Instituti plena observantia, qua cum maxima vitae austeritas ac poenitentia conjungitur, in beato Josepho apparerent ac liquido comprobarentur; si postremo illius mortem ea prodigia secuta fuissent, quibus justorum mors dignosci consuevit. Hoc sane pacto Causa beati Josephi tanquam Confessoris, non vero Martyris in examen adducta fuit. Seriem to-

tius vitae quam ille duxit, vestros ante oculos expositam habuistis. Cognitum Vobis est quidquid pie sancteque gessit antequam se conferret Constantinopolim pro Missionibus obeundis; gravissimum tormenti genus, quod in illa Civitate passus est, ex quo Divino beneficio fuit ereptus; quanto deinde tempore superstes extiterit, quam praeclara gesserit, et qua ratione vitam absolverit. Vobis etiam perspecta sunt miracula, quae ob illius intercessionem contigerunt. Itaque illud tantum superest, ut sententias vestras de solemni ejus Canonizatione indicenda Nobis explicetis.

Non modo Cardinales, sed Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi Pontificio nutui obsecundantes, quid sentirent exposuerunt juxta sessionis ac dignitatis ordinem.

PETRUS ALOYSIUS Episcopus Albanensis Cardinalis Carafa.

In beatum Joseph a Leonissa mirifice quadrat prophetica illa benedictio, quam super filium suum protulit Jacob Patriarcha, cum ait (a): *Filius accrescens Joseph, Filius accrescens;* siquidem noster Joseph auxit egregia suae professionis merita nobilitate fidei, praestantia spei, excellentia charitatis aliarumque virtutum fulgore: Auxit Ecclesiam Infidelium conversione, Peccatorum correctione, errantium emendatione: Auxit populum Christi fervidis praedicationibus, sanctissimis exemplis, insignibus miraculis: Auxit denique Caelum multorum in viam salutis reductione, aliorum in accepta justitia consolidatione, atque eximio in omnes infimae praesertim conditionis amore. Igitur si beatus Joseph a Leonissa tam excellenter nomen suum implevit, ut merito etiam de ipso dici possit: Filius accrescens Joseph, filius accrescens, jure optimo convenit, ut illius quoque honor augeatur per solemnem ejusdem in Sanctorum Canonem cooptationem.

FRANCISCUS Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Cardinalis Burghesius.

Magna sane, BEATISSIME PATER, virtus Josephi a Leonissa vel uti rectius dicam magna in illo et admirabilis virtus Dei, qui infirma Mundi eligit, ut fortia quaeque confundat. Ipse enim Joseph, ut illustres res ejus gestas alias taceam, ardens studio propagandae Religionis, arcem ipsam adgressus Turcici imperii, Mahumetanaeque superstitionis, nullo periculo absterreri potuit, quin irrumpens in medias aedes Tyranni, Crucis ibi vexillum figeret et Christum Regem inclamaret. Non eum labores ulli deterruerunt, non verbera, non denique mors ipsa, quam laetus subibat ex trabe pendens, nisi visibili manu omnipotentis Dei religatus depositusque, liber a furentium barbarorum manibus fuisset dimissus. Qui quoniam vivus, mortuus ingenti opinione virtutis ac multis perpetratis signis, tam longam aetatem Sanctitatis nomen tutatus est: facies Tu quidem, PATER BEATISSIME, ut ego censeo, pro insigni tua sapientia, fide, religione, si eum nunc tandem rite de more consecraveris.

ANTONIUS XAVERIUS Tit. S. Stephani in Monte Caelio Presbyter Cardinalis Gentili.

Gratulabatur olim sanctus Martyr Cyprianus beato Lucio Papae post corporis passionem, post gloriosam Christi nominis confessionem ad gregem suum reverlenti; aequabat ipsum Danieli, qui leonibus missus ad praedam vixit ad gloriam, et tribus comparabat pueris, in quibus non minor fuit Martyrii dignitas, quod de camino ignis incolumes exierunt; quia non consummata martyria meritum confessionis non minuunt, sed magnalia divinae Providentiae magis ostendunt. Simili spiritali gratulatione dignum censeo B. Josephum a Leonissa, qui ob fidei confessionem

(a) *Genes. cap. 49. vers. 22.*

tormentis expositus Tyranni crudelitati a Domino subtractus, et faucibus mortis ereptus est, ut Ecclesiae reservatus continuato charitatis, humilitatis, poenitentiae cursu sese praeberet fidei et virtutis exemplum. Quae cum ita sint, et subsecuta miracula comprobaverint, sum in voto decernendos esse publicos honores beato Josepho in catholicae Ecclesiae splendorem et in Familiae Capuccinorum de eadem Ecclesia benemeritae decus et ornamentum.

Fr. JOANNES ANTONIUS Tit. SS. Silvestri et Martini ad Montes Presbyter Cardinalis Guadagni.

Aequum est, BEATISSIME PATER, supremis Ecclesiae honoribus eos augeri, quos juxta Sacrae Congregationis Rituum institutum virtutum Sanctitas et miraculorum gloria commendat. His profecto supernis muneribus decoratum deprehendimus B. Josephum a Leonissa, qui per orationis ac abjectionis studium cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, ac zelo charitatis exaestuans fidei Catholicae divinaeque legis dilatandae nullis pepercit laboribus, quominus vel ambulantibus in Infidelitatis tenebris Evangelicae veritatis lumen afferret, ac dignus haberetur, per unci supplicium triduo invicte toleratum, pro nomine Jesu contumeliam pati; vel peccatores ad poenitentiae semitam revocaret arguens, obsecrans, increpans in omni patientia et doctrina, non in persuasibilibus tantum humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Hanc itaque Sanctitatis lucernam pauperibus evangelizandis accensam non latere sub modio, sed super Ecclesiae candelabrum collocandam existimo, ut luceat omnibus qui in domo Dei sunt, ac potissimum universo Capuccinorum Ordini, cujus laudabilis Instituti observantiam dum viveret, verbo et exemplo promovit, instauravit ac confirmavit.

TROJANUS Tit. S. Caeciliae Presbyter Cardinalis de Acquaviva.

Quae spiritualium charismatum dona, BEATISSIME PATER, fuit Dominus elargitus beato Josepho a Leonissa, ejus vita innocentia, humanarum rerum contemptus, pietatis officia et exempla virtutum quae praestitit, plenissime ostenderunt. Quamobrem illum miraculis illustrem, qui post longos atque multos labores in portu aeternae felicitatis merito conquievit, in Sanctorum numerum referendum esse recte congruenterque existimamus.

DOMINICUS Tit. SS. XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis Riviera.

Tertium hodie nobis praebet ferendi suffragii argumentum universus Seraphicus Ordo S. Francisci in suis filiis, Familia quam vocant Capuccinorum secundum; hoc quidem die, quo alium insignem ejusdem Instituti Alumnum jamdiu sacris Aris admotum catholicus Orbis ingenti Populorum frequentia veneratur. Hos porro in terris honores praeter caelestes iis largitur Deus, qui in humilitate et charitate, rerum humanarum contemptu, erga Proximos zelo et in procuranda animarum salute inter aerumnas et labores per Urbes et agros vitam impendunt. In his omnibus virtutibus heroice excelluit beatus Joseph a Leonissa, quem omnipotens Deus, cujus judicia sunt imperscrutabilia, martyrio a se enixe exoptato, per prodigia etiam subduxit, ut diuturniori christianae gentis utilitate sanctissimum Confessorem efformaret. Cum vero tantarum virtutum meritis miracula tum antiqua, tum recentia accesserint, minime dubitandum est meo judicio, BEATISSIME PATER, quin idem una cum aliis Franciscanae Familiae Alumnis in Sanctorum Album relatis et proxime referendis adscribatur.

JOANNES BAPTISTA Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis Spinula.

BEATISSIME PATER. Decet summopere, quos Deus fecit ob exantlatos pro sui nominis gloria propaganda in terris, labores, comparticipes Regni sui, ut caelestibus, quibus cum ipso fruuntur etiam in terris decorentur honoribus. Sane B. Josephus a Leonissa ardentissimo zelo honoris et gloriae Dei accensus, domi forisque continuo narravit laudes Domi-

ni et virtutes ejus et mirabilia ejus quae fecit. Ut qui praesertim errabant in tenebris, ad lumen catholicae Fidei ducerentur; omnesque ad meliorem frugem laboribus suis et ad emendationem avocarentur. Maximo aestuavit ardore sanguine suo confirmare catholicam Fidem, ceterisque aliis virtutibus adeo cumulatus emicuit, ut tum in illius vita tum post obitum Servum suum Deus insignium charismatum donis decoraverit. Remanet igitur, ut ejus nomen aliorum Caelitum Fastis solemniter adscribatur per supremum SANCTITATIS VESTRÆ judicium et oraculum.

RAYNERIUS Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.

Eximium paucis retro diebus mirati fuimus Martyrem ex Inclyto Ordine Capuccinorum, Fidelem scilicet a Sigmaringa, praeclarum hodie nobis datur contemplari Confessorem ex eodem Ordine, Josephum nempe a Leonissa, qui quamvis martyrii palma in morte decoratus non fuit, martyrii tamen cruciatus in vita passus est, nec solum ab hostibus christianae Religionis, qui eum pede manuque dexteris unco ferreo trabi applicarunt, sed ab ipsis solo, ut ita dicam, nomine Christifidelibus, qui illum eorum vitia increpantem verberibus et colaphis ceciderunt et stricto ad collum caputio pene suffocarunt. Haec autem divino quo aestuabat amore, libenti animo ferens, patientiae, humilitatis, virtutum omnium in gradu heroico praestitit argumenta, quibus si miracula quae ab eo patrata sunt, junguntur, nil remanet optandum, quin debiti sanctis Confessoribus honores Ei quoque decernantur.

DOMINICUS Tit. S. Bernardi Presbyter Cardinalis Passioneus.

Expressam profecto et minime adumbratam beatissimi illius Apostolici seculi imaginem mihi intueri videtur in toto vitae cursu beati Josephi a Leonissa, qui austeritate vivendi admirandus, pauper, nudus, operans manibus suis, instans orationi et verbo Dei, dignus tandem habitus est pro nomine Jesu contumeliam pati; ad exemplum enim illorum qui steterunt ante Reges et Praesides, bibit partem Calicis Domini, et quemadmodum Paulo gladium decrevit Regia Neronis, ita Josepho uncum impegit Aula Byzantii: Quamquam enim in sanguine Agni stolam suam ibi non laverit, non defuerunt postmodum opprobria et verbera ipsi turpiter inflicta, non a Scythis et Numidis, non a Populis ingenio et natura efferatis, sed ab illis ipsis quos praeceptis imbuebat, precibus adjuvabat, charitate complectebatur, et in ipso (o Gentis nostrae aeternum dedecus!) in ipso gremio et sinu Italiae, ubi licet ignominiis lacessitus evangelizare Pauperibus Regnum Dei non destitit, et ad hoc divinum munus sancte recteque obeundum, fame, siti, frigore, nuditate corpus suum, immane quantum, affecit. Cum itaque testante Apostolo Christus fuerit heri et hodie, omnibus Christifidelibus et nobis praecipue qui excelsam Templi partem tenemus, facile intelligi datur, potentissimam Spiritus sancti virtutem aeque mirabilem fuisse in Ecclesiae initio quam in fine seculorum, in quibus tanta miracula coruscare videmus: Suscita ergo a terra, BEATISSIME PATER, hunc inopem et pauperem, et Apostolicorum temporum tam strenuum aemulatorem inter domesticos Dei recense, ut ille cujus vices geris, constituat eum inter Principes super omnem terram.

SYLVIUS Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.

Dimicationi beati Josephi a Leonissa, cui Tortorum immanitas et minae, vitae pericula et Metus satis superque impendebant, mors defuit tantummodo, qua deficiente, palmam potius dicerem defuisse, quam victoriam. In eo enim praecipue mirandam se praebuit fortissimi constantissimique Viri deliberatio, animam suam ponere in obsequium fidei, itaut innumeros oppetendo cruciatus, nihil aliud egisse videretur, quam prolixa diuturnaque delibatione se pro humani generis depravatione naturae Auctori supremoque Religionis Sacerdoti holocaustum offerre. Cujus praeclarum exemplum arbitror, magni faciendum esse per SANCTITATEM VESTRAM solemni

ritu, et sacra, quam paras pompa: Magnopere siquidem christianae Reipublicae diuturnitatem et excellentiam interest hujusmodi expiationis vota fovere, ut in Ecclesia quae immortalitatis templo velut atrium prostat, victimae numquam abrogentur, quamvis singulari Dei bonitate et providentia abrogata sint sacrificia.

Fr. JOACHIMUS Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Portocarrero.

Tertium profert Seraphica schola, BEATISSIME PATER, Alumnum beatum Josephum a Leonissa, unde infallibili SANCTITATIS VESTRÆ oraculo et gloria augeatur Sanctorum, et novum militanti Ecclesiae columen accedat et ornamentum. Eximiae siquidem virtutes, quibus grandi et forti spiritu se exercuit: Prodigia quae patravit, nobis illum exhibent in Sanctitate magnificum et mirabilia facientem. Tanta et tam illustria suae Sanctitatis ubique locorum reliquit monumenta: Talia et adeo conspicua ad ejus dignitatem comprobandam dedit Caelum testimonia. Nec solas egregii Confessoris ille partes adimplevit, sed Martyrum etiam merita in se cumulare non praetermisit. Cum enim neque causa, neque passio, neque voluntas defuerit, sed mors dumtaxat dignatione divina; dilatio et non consummatio Martyrii, ut ajebat Cyprianus, non meritum confessionis imminuit, sed magnalia divinae protectionis ostendit. Duplici quapropter nomine dignus videtur, qui a Vestri Apostolatus judicio post forte et gloriosum devictum certamen coronam consequatur justitiae. Extollat igitur SANCTITAS VESTRA manus in Sancta, et Ecclesia vocem ejus audiens inter Sanctos relatum veneretur et fateatur, qui singulari fortitudine Christi nomen portare coram Gentibus non erubuit, et ante Reges et Praesides fateri nunquam formidavit.

CAMILLUS Tit. SS. Johannis et Pauli Presbyter Cardinalis Paulutius.

Eximiam beati Josephi a Leonissa de Ordine Capuccinorum Sanctitatem testatam nobis uberrime faciunt, BEATISSIME PATER, tot ipsius virtutum praeclara gesta, tot ab eo patrata miracula, quot datum profecto non est brevi oratione complecti: Ab iis propterea recensendis abstineam. Verum silentio praeterire non possum admirabilem ejus zelum, quo in evangelica praedicatione Christo animas lucrifacere assidue curabat, atque heroicam illam fortitudinem invictumque animum, quo acerbissimas injurias, convicia ac tormenta pro Jesu nomine pati gestiebat, quique eo pervenit, ut quamvis pede manuque dexteris unco ferreo ab orthodoxae Religionis hostibus e sublimi fuerit suspensus, ut crudelissimam mortem oppeteret, attamen non solum triduo hujusmodi crudele supplicium constantissime toleravit, donec ab Angelo in forma pueri vinculis dissolutus extitit, sed immo dum supplicium illud patiebatur et ab unco pendebat, fidem catholicam elata voce obtestando eorumdemmet Tyrannorum saevitiam ad sui martyrium provocabat. Haec igitur revera heroica fortitudo tot aliis comitata virtutibus atque innumeris ab Altissimo comprobata miraculis, jure meritoque postulat, PATER BEATISSIME, ut caelestes in terris B. Josepho per Sanctitatem Vestram decernantur honores.

CAROLUS ALBERTUS Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Cardinalis Guidobonus Cavalchinus.

Beatissime Pater. Quo angustiora in paupertate, in jejuniis, in cilicio, in castitate habuit vasa carnis B. Joseph a Leonissa, eo amplius ad barbaras usque gentes evangelizans et docens Christum Jesum dilatavit spatia charitatis, cujus impetum frangere non non potuerunt ludibria et verbera, non vincula et carceres, non acerbissima suppliciorum genera, nec omnis denique tribulatio, donec excitato ubique pietatis et divini amoris incendio cursum tam bene coeptum plenissime consummaret. Alterum hunc itaque praeclari Capuccinorum Ordinis heroem tantis laboribus pro gloria Altissimi, pro fidelium utilitate perfunctum fas est, BEATISSIME PATER, Sanctorum Catalogo adjicere, nedum ut in singulis ejusdem familiae Alumnis laetitia aeque ac aemulatio geminentur,

verum etiam ut gestiant omnes, Eum sibi devincire patronum, quem Te Authore noverint Deo apprime charum et hominibus assidue propitium.

FRIDERICUS Tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Lantes.

Frustra tempus loquendo consumerem, nec dies sufficeret, si beati Josephi eximias virtutes praeclaraque gesta velim commemorando percensere. Illud duntaxat meminisse juvat facinus egregium, dum ad christianae Fidei prolatandos fines Turcarum Tyrannum adire tentaret, firma immotaque constantia, verberibus, saevissimis cruciatibus, omnium denique contumeliarum generibus sese objecisse; quid aliud hoc fuit, quam pro Christi nomine pati velle ac vitam profundere? Incredibile prope dictu est (et tamen indubia documenta testantur ad memoriam hominum sempiternam) illum Constantinopoli media Urbe, pede manuque dexteris unco ferreo e sublimi suspensum, triduo supplicium invicto animo tolerasse, Fidem catholicam elata voce concionantem. Innumera alia de beato Viro dicenda forent; sed cum jam omnia fuerint authenticis documentis comprobata, in Sanctorum Canonem censeo esse referendum.

FRANCISCUS Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Cardinalis Riccius.

Beatissime Pater. Beatus Josephus a Leonissa abdicatis Mundi illecebris et in Familiam Capuccinorum allectus, maxima fidei, obedientiae et charitatis argumenta praesetulit tam erga Deum, quam erga Proximos, et praecipue eo tempore, quo in Regionibus Infidelium, Captivorum saluti, eorum indigentiis sublevandis, iisque in fide confirmandis etiam cum propriae vitae discrimine summopere insudavit: Quapropter ejus Sanctitatis fama in dies ubique augebatur, eamque miraculorum testimonia illustriorem etiam reddiderunt. Superest igitur, ut SANCTITAS VESTRA divina illa auctoritate, cujus vices gerit in Terris, Sanctorum Fastis adscribat Servum istum vere fidelem, qui non sua sed quae Jesu Christi toto suae vitae cursu quaesivit.

ANTONIUS Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.

Misit Deus de excelso ignem et erudivit beatum Josephum de Leonissa. Adolescens hoc caelesti igne eruditus tam impense Deum colere coepit, ut universa phrasi divi Ambrosii videatur vitia prorsus nescisse, quam emendasse. Adultior autem factus et Religiosus jam effectus hoc eodem igne eruditus perlustravit barbara littora, ut Martyr occumberet: Deo tamen mortem prohibente, diu mortis tormenta gaudens sustinuit. Profecto apostolicus hic est ille Vir, cui illud Apocalypsis effatum congrue aptatur: *Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, et habebitis tribulationem.* Ad oras Italiae Deo disponente reversus, Spiritu sancto in corde ejus diffuso tarda nescivit molimina, ut heroica charitatis officia Proximo impenderet. Neque enim aliae virtutes eidem deesse poterant, cum semper in charitate, idcirco in Deo, et Deus in eo manserit. Si charitas patiens est, et ipse patienter tulit injurias, persecutiones et verbera. Si benigna est, et ipse animos sibi infenses christiana mansuetudine demulsit. Si non inflatur, et ipse quantum virtutibus, ceterisque charismatibus assurgeret, tantum humilitate suique ipsius abjectione deprimebatur. Martyrium igitur utrumque *et horroris*, *et diuturnitatis*, quorum meminit sanctus Bernardus, feliciter consummavit. Haec omnia ex mirabilium ejus gestorum serie Tibi nota jam sunt, BEATISSIME PATER. Reliquum est, ut ad sacros Altaris honores, ad Fidelium patrocinium et incrementum beatum Josephum elevare digneris.

PHILIPPUS MARIA Tit. S. Agnetis extra Moenia Presbyter Cardinalis de Montibus.

Publicis ac supremis honoribus eos aequum est ab Apostolica Sede affici, qui vitae innocentia et miraculorum gloria coruscarunt. Satis quidem constat B. Josephum a Leonissa hisce divinae gratiae charismatibus

emicuisse, qui arctissimo suscepto vitae Instituto et Fidei Propagandae zelo accensus, Byzantium se conferens vitam strenue contempsit, mortem non metuit, corpus carnificibus tradidit. Angeli ministerio a suppliciis ereptus, Italiam revisens, totus in Proximorum salutem distentus, vineam Domini vel in rudibus personis instruendis, vel revocandis peccatoribus a via perditionis ad semitam justitiae indefessus excoluit. Dicerem cum S. Bernardo (a): *Ignem urentem* (fuisse) *in consumendo criminum vepres, securim et asciam in dejiciendo malas plantationes*. Censeo itaque, ut juxta hujus Sanctae Sedis ritum in Album Sanctorum tandem referatur, praesertim ut in B. Josepho a Leonissa Evangelicae Messis Operarii habeant insuper, quem admirentur, quem imitentur et colant.

D. FORTUNATUS Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis Tamburinus.

Josephum a Leonissa Sacerdotem Professum Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum toto suae vitae cursu summarum virtutum opera nunquam intermisisse, jam tum perspectum habui, cum pro injuncto mihi munere ejus gesta ad examen revocarem. Ejusdem miracula dum de eo et in Beatorum, et in Sanctorum numerum referendo ageretur, accuratissime discussa quin probari deberent minime dubitavi. Haec vero cum ex Sanctae Romanae Ecclesiae more ita sint in conspectu posita, ut in quaestionem cadere omnino non possint, censeo, BEATISSIME PATER, talem ac tantum Virum Sanctorum Fastis esse inserendum. Inde habebit Ecclesia novum, quo fulgeat ornamentum: Inde habebunt Fideles novum in Caelis Patronum, quem invocent: Inde Regularis vitae sectatores novum Sanctitatis exemplar, quod sibi proponant ad imitandum.

D. JOACHIMUS Tit. S. Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis Besutius.

Beatum Josephum a Leonissa unum fuisse ex sanctis Operariis, quos Dominus misit in Messem suam, varietas mirabilium rerum pie fortiterque ab ipso gestarum dilucide satis ostendit. In pagis enim, villis, locisque campestribus, ut Turcarum Regiam omittam, Evangelicae veritatis lumen ambulantibus in Regione umbrae mortis, Rusticis, Pastoribus, Pueris praedicare non destitit, undecies in die quandoque repetitis concionibus, ipse interim innumeris pene austeritatibus jejuniisque consumptus. Quoniam autem in Agro Domini mittentem semina sua, rite probatis miraculis magnificavit Dominus facere cum eo, ut nos omnes laetantes faciat SANCTITAS VESTRA, aequum censeo quod incorrupta sua voce ceteris ipsum Sanctis annumeret, qui cum exultatione portarunt in Caelis Manipulos suos.

CAROLUS S. Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis Marinus.

Si de singulis meritissimis Capuccinorum Ordinis Viris omnes eorum Regulae articulos rigide et exacte observantibus, celebriorum Asceticae disciplinae Magistrorum opinio fuit, statim illos ab obitu posse inter Sanctos enumerari; quid modo ambigendum erit, ut minus publicus ille cultus, quem jamdiu sublimiores heroicarum omnium virtutum apices in B. Josepho a Leonissa effulgentes insigniaque subsequuta miracula hujus sanctae Sedis Judicio rite approbata promeruerunt, ad quascumque etiam catholicas Mundi partes solemniori ritu a SANCTITATE VESTRA extendatur? Quando ipse idem Dei Filius, (hunc illi maximum praeparando triumphum) illamet eadem illustriora prodigia, quibus in terris positus ventis et mari imperavit; panes in deserto multiplicavit; mortuosque ad praedicationis opportunitatem vitae restituit; ab hoc etiam beato Viro patrari posse disposuit; ut illa eadem in toto Orbe clarificatione, quam ipse olim a Patre habuit, hic quoque ejus famulus ab eorumdem aequalitate signorum aeque in omnibus Mundi plagis illustraretur.

Nihil ergo nunc remanet, nisi ut eadem Sanctitas Vestra, (quae ejusdem Christi Do-

(a) *In Vita S. Malach.*

mini vices, toto Orbe plaudente gerit) dignetur efficere: Ut quemadmodum hic adeo celebris inclytae Religionis Alumnus remotissimarum Regionum populis; tot ejus laboribus et aerumnis vocem Domini audire fecit; ita nunc iidem Populi ex novo sonitu in omnem terram illius triumphi exeunte, in Caelis habere sciant, per quem vicissim eorum vota, velut incensum de manu Angeli in conspectu Domini dirigantur.

Unde justissimo SANCTITATIS VESTRÆ Decreto de eo solemni ritu in Sanctorum Albo adscribendo, aeque submisso ac libenti voto subscribo.

ALEXANDER S. Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Albanus.

Sicut miro inscrutabilis Providentiae ordine Deus Optimus Maximus post donata beatitudinis praemio Sanctorum suorum merita, eadem saepissime Orbi universo miraculorum testimonio significat: Ita quae Dei vices gerit in terris, summam SANCTITATIS VESTRÆ potestatem decet illos aris imponere, quos omni virtutum genere ornatos et operum prodigiis claros legitimi examinis perquisitione comperit. Hos inter illustrem sibi locum vindicat beatus Josephus a Leonissa e Capuccinorum, ut ajunt Familia, cui etsi mors defuit inter tormenta, a quibus fuit divinitus ereptus, non defuere tamen et acerbissimi per tridnum cruciatus et juge martyrii desiderium, quo aestuans Evangelicum expleturus ministerium in ipsas Turcarum Tyranni Constantinopolitanas aedes se contulit. Quas tamen inter Infideles non potuit, in Italiae finibus Apostolici muneris partes fuit executus, dum et assiduis concionibus et caelestibus colloquiis ignaros fidei elementis instruxit; instructos divinis consiliis ac monitis imbuit et confirmavit; atque obedientia, humilitate, patientia et incredibili carnis maceratione, Crucis mortificationem in corpore portans eximium sese omnibus praebuit christianae perfectionis exemplar.

NERIUS S. Eustachii Diaconus Cardinalis Corsinus.

Infinito zelo Religionisque incitatus studio B. Josephi a Leonissa multis mirisque modis, virtutum agmen quibus praeditus erat, ad salutem tum Christianorum, tum Infidelium procurandam intendit, itaut ipsum Turcarum Tyrannum aggredi ausus fuerit, ut eum ab impietate ad pietatem converteret. Hinc factum est, ut unco pedi et manui dextris infixo per triduum suspensus penderet, ac igne fumoque supposito pene enecaretur; in quo immanissimo supplicio Christi Fidem jugiter testatus est. Quod autem in eo mortem non obierit, caelesti miraculo referri debet acceptum. Quamobrem, BEATISSIME PATER, tantum Virum, tantisque cruciatibus cum praeclarioribus martyribus comparandum, in Sanctorum Album referendum arbitror.

AGAPITUS S. Agathae Gothorum in Suburra Diaconus Cardinalis Mosca.

Beatum Josephum a Leonissa legitime pro Christi fide certasse, testantur hinc ferventissimus ejus ardor; quo flagrans Turcarum Tyrannum et reliquas Orientis gentes, quae in tenebris et umbra mortis sedent, ad Evangelicam vocare lucem gestiebat: Inde mira animi constantia, qua licet manu ac pede unco ferreo e sublimi, ad inferendam illi mortem suspensus, gentem illam ad spiritualem vitam Evangelica praedicatione redigere conabatur. Id praeterea testantur hinc triumphus ille de Antistite graeco relatus, qui ab eo (a) *conversus instauravit .... quae demolitus fuerat:* Inde tot impensi ab ipso labores, ut hasce nostras italicas oras expurgaret a vitiis, atque effuso virtutum semine foecundaret. Id postremo testantur tot signa, quibus claruit dum viveret, et quibus usque modo inclarescit. Jam vero (b) *haec est hereditas servorum Domini*, ut cum legitime certaverint, donentur corona (c)

(a) *Lib* 2 *Paralip. cap.* 33. *vers.* 3. (b) *Isaiae cap.* 54. *vers.* 17. (c) *Ecclesiast. cap.* 45. *vers.* 14.

expressa signo sanctitatis et gloria honoris. Tuum propterea est, BEATISSIME PATER, hanc Sanctitatis coronam atque hanc honoris gloriam Josepho a Leonissa decernere.

CAROLUS MARIA S. Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis Sacripantes.

Beato Josepho a Leonissa defuit in morte, sed non in vita neque in desiderio martyrium. Charitas abundavit in corde ejus in opere et sermone; invicta patientia in laboribus, in angustiis, in fame, in frigore, in nuditate, in periculis, in persecutione. Multos Filios genuit per Evangelium, innumerabiles a vitiis ad virtutem traduxit; constans, magnanimus, et fortis a verbis impiorum non timuit; perpetuo humilis Crucemque Christi jugiter in corde portans et corpore, Sanctitatis suae odorem latissime diffundens miraculorum copia et praestantia, a Te, BEATISSIME PATER, in terris gloriam expectat, quam suis meritis jam coronatus in Caelis cumulatissime est assecutus.

MARIUS SS. Cosmae et Damiani Diaconus Cardinalis Bolognettus.

Cum *omnium* (a), BEATISSIME PATER, *summa virtutum, et totius plenitudo justitiae de illo amore nascatur, quo Deus Proximusque diligitur:* Hanc profecto virtutum tenuit summam, hanc habuit justitiae plenitudinem Josephus a Leonissa. Enim vero ita Deum dilexit, ut Dei nomen coram Gentibus quae Deum non noverunt, nec durissimo quidem supplicio victus, portare atque nunciare non dubitaverit. Ita Proximum quoque dilexit, ut non modo (b) *vocaverit frumentum et multiplicaverit illud..... ut non portarent ultra opprobrium famis;* sed etiam evangelico pane, nullo unquam fessus labore enutriverit ac recreaverit. Tuum modo est, BEATISSIME PATER, ut Josephus a Leonissa qui tanto in Deum flagravit amore, tanta exarsit in Proximum charitate, totque praeclaris signis in dies coruscat, (c) *per universum Mundum honoretur pro sui veneratione et sanctitate.*

PROSPER S. Georgii Diaconus Cardinalis Columna de Sciarra.

Pro decernenda Canonizatione B. Josephi a Leonissa Tibi non desunt modo, BEATISSIME PATER, duo illa necessaria semper ab Ecclesia reputata pro Beatis inter Sanctos adscribendis, virtus nimirum morum, et veritas signorum. Quid enim sanctius in medium nunc proferri potest irreprehensibili et pene caelesti vita B. Josephi a Leonissa, in quo inclytus Ordo Capuccinorum, christiana Respublica et barbara Mahumetanorum gens virtutes omnes in gradu heroico, et praesertim in Deum et Proximum eximiam charitatem non sine admiratione novit, praesensitque? Nolo hic recensere miracula omnia, quae ad Servi Dei invocationem patrata fuerunt, cum ad effectum de quo agimus, satis sint illa duo, quae a Temetipso post indultam B. Josepho venerationem approbari meruerunt. In hisce profecto miraculis tibi Deus testimonium perhibet de Sanctitate vitae B. Josephi, et Tibi ostendit illius memoriae venerationem non esse diutius in Ecclesia militanti differendam; sed ad solemnem Canonizationem esse potius deveniendum.

ALEXANDER S. Mariae in Aquiro Diaconus Cardinalis Tanarius.

BEATISSIME PATER. Cum beatum Josephum a Leonissa intueor, ejusque virtutes ac praeclarissima gesta considero, gloriosissimum Christi Athletam, cui nihil ad eminentem defuit Sanctitatem, videre existimo: Si martyrii palmam quam ob Turcarum etiam salutem ardentissime expetierat, exquisito saevissimoque tormenti genere, quod Constantinopoli invicto animi robore toleravit, gloriosa Martyrum morte reportare non potuit; divina id factum Providentia puto, ut Italorum quoque saluti Apostolica charitate atque singulari virtutum omnium exercitio consuleret. Quod cum diligentissime perfecerit, seque ad ultimum usque vitae exitum studiosissimum Apostolicae perfectionis imitato-

(a) *S. Leo Serm. in S. Laur. cap. 1.* (b) *Ezechiel. cap. 36. v. 29 et. 30.* (c) *Lib. 2. Machab. c. 3. v. 12.*

rem atque Sacerdotem numeris omnibus absolutum ostenderit; idque Deus miraculorum splendore confirmare voluerit, aequissimum sane erit si Sanctorum Albo adscribatur, cunctorumque Christifidelium venerationi proponatur.

HIERONYMUS S. Adriani Diaconus Cardinalis de Bardis.

Ut suavissimum Christi jugum ab adolescentia sua B. Joseph a Leonissa portaret, asperam vitae rationem in sacra Capuccinorum Familia susceptam divitiis omnibus ac voluptatibus praetulit, ut in eo fertilissimo agro fructus daret honoris et honestatis. Ibi vero per visum a sodali jam pridem demortuo de divini judicii severitate commonitus, de perfectiori vita cogitans, ad barbaras gentes de testimoniis Dei in conspectu Regum loquuturus adventat. Inter supplicia immanissima pro amicis animam posuisset, nisi Deus potentiam in brachio suo faciens vitam ei mirabiliter conservasset. In Italiam reversus exemplo ac sermone fide servata cursum vitae feliciter consummavit.

Beatum hunc propterea Virum humillime deprecor SANCTITATEM VESTRAM, quod Sanctorum Fastis adscribat, ut istius precibus largiatur clementissimus Dominus Populum suum ad se clamantem ab omni adversitate custodiri.

DOMINICUS SS. Viti et Modesti Diaconus Cardinalis Ursinus.

BEATISSIME PATER. Josephum a Leonissa Ordinis Capuccinorum ab ipsis incunabulis morti divinitus ereptum in sortem suam vocavit Dominus, omniumque virtutum genere illustravit: Nil autem pro catholicae Fidei propagatione reliquit intentatum, pro qua licet mors una defuerit, attamen acerbissima quaeque tormenta tremendaque supplicia adeo alacriter ipse subivit, ut cunctis miraculo fuerit. Prophetico lumine decoratus, mirabilior factus est gravissimis morbis simplici tactu, prece, aut imperio repulsis, moderatis arbitrio suo elementis, multiplicatis non semel annonis, fluminibusque qua sicco pede, qua pallio transactis: Reliquum ergo ut illius Sanctitatem, quam tot signis Altissimus probavit de Caelis, SANCTITAS VESTRA publicet in terris.

MUNDILLUS Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Quanta intercesserit inter beatum Fidelem a Sigmaringa, et beatum Josephum similitudo, nemo non videt. Uterque idem Capuccinorum Institutum sanctissime professus est. Uterque jejuniis, flagellationibus ceterisque virtutibus professionis suae perfectionem est assecutus. Uterque Evangelium per infideles Nationes incredibili ardore, summis laboribus ac periculis disseminavit. Uterque demum martyrio coronatus merito dici potest. Quanquam enim beatus Joseph vitam re ipsa non profuderit, ut nec profudit Joannes Evangelista; tamen neque ipse martyrio, neque ipsi martyrium defuit. Nam Constantinopoli in odium christianae Religionis pede manuque dexteris unco ferreo e sublimi suspensus, ut in eo tormento dolore et fame confectus enecaretur; animam profecto exhalasset, nisi postquam per triduum crudele illud supplicium toleraverat, Angeli beneficio ab unco et vinculis liberatus esset. Hac porro Sanctorum inter se similitudine usus est Venerabilis Dei Servus Cardinalis Bellarminus Clementi Octavo suasurus, ut beato Hyacintho pridem canonizato beatum Raymundum ejusdem Ordinis Praedicatorum adjungeret. Hanc eandem adhibuit SANCTITAS VESTRA, cum Benedictum Tertiumdecimum precaretur, ut beato Jacobo Piceno beatum Franciscum Solanum ejusdem Ordinis Minorum associaret. Fas igitur sit etiam mihi vestigiis tam gloriosis insistere, et preces humillimas Sanctitati Vestrae exhibere, ut Canonizationi jam praesignatae beati Fidelis a Sigmaringa aliam beati Josephi ejusdem Ordinis superaddat. Decet enim ut biga ista Sanctorum (Chrysostomi verbo utor) quae Christi jugum pari devotione portavit in terris, et nunc pari felicitate triumphat in

Caelis, ab eodem Summo Pontifice Christique Vicario consecretur.

ANTONIUS MARIA Pallavicini Patriarcha Antiochenus Assistens.

Sanctitatem quam adhuc Puer eximiis beatus Joseph indiciis praeseferebat, integro vitae cursu praeclaris justitiae operibus feliciter absolvit. Ampliandae Religionis zelo pro nomine Jesu contumelias et saevissimos cruciatus gaudens passus est, ut sola mors, non ipsi martyrium defuerit: Vir erga Proximos charitate vere Apostolicus, in corporis castigatione asperrimus, vivens et post obitum clarus miraculis, dignissimus plane censendus est, qui inter Sanctos referatur.

THOMAS Cervini Patriarcha Hierosolymitanus Assistens.

Qui ad Turcas Christi fidem praedicaturus perrexit; qui Turcarum Tyrannum ipsum a Mahometo ad Christum convertere fuit aggressus, quique ob id dira tormenta sustinuit, beatus Joseph a Leonissa non heroicam tantum fidem, sed et charitatem et fortitudinem, immo et virtutum omnium cumulum ostendit; Quae cum ab illustribus miraculis firmitatem acceperint; decet profecto ut decus illud accedat, quod heroicis Viris solet Ecclesia decernere.

GABRIEL Eva Archiepiscopus Cypri Syrus Maronita Assistens.

Quod sanctus Cyprianus de sancto Lucio Papa et Martyre scripsit, hoc in beato Josepho a Leonissa repraesentatum videmus. In Confessoribus Christi (inquit sanctus Cyprianus) dilata martyria non merita confessionis minuunt, sed magnalia divinae protectionis ostendunt. A supremo quidem Turcarum Tyranno in beatum Josephum lata mortis sententia pede ille manuque dexteris a Satellitibus unco ferreo e sublimi suspensus est ea lege, ut tamdiu ex ea trabe penderet, quamdiu dolore et fame confectus crudelissimo mortis genere animam exhalaret. Verum tametsi ea mors defuit, quam unam ut dissolveretur et esset cum Christo, ardentissime cupiebat; non tamen Josephus martyrio, neque martyrium Josepho defuit. Quum ipse paratus esset promptusque omne subire supplicium, Dominus illum poenae subtraxit et Italiae reservavit. Regrediente illo ex Urbe Byzantina in Italiam, breviata non est in Josepho confessionis suae dignitas, sed magis crevit assidui fortisque legis Divinae Praeconis auctoritas, ut Christo pararet ad praelium milites non solum sermonis et vocis incitamento, sed fidei et virtutis exemplo. Itaque tantus talisque Christi Confessor, qui Orientem simul et Occidentem illustravit, haud dubito quin tuto in Sanctorum numerum a SANCTITATE VESTRA referri possit.

ALEXANDER Borgia Archiepiscopus Firmanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Cum inter divi Francisci Familias illa quae Capuccinorum dicitur, priscam Parentis sui disciplinam adamussim repraesentet, et ab austeritate vitae plurimum commendetur, quid nobis sentiendum est de beato Josepho a Leonissa, qui inter Capuccinos ipsos supra communem modum in jejuniis, in vigiliis, in laboribus, in aerumnis excelluit? Cui vere Mundus crucifixus fuit et ipse Mundo, qui carnem non domuit solum, sed perpetuae ac durissimae servituti subjecit, nec aliter corpus habuit quam vilissimi jumenti loco? His addamus quod dissociatas plane res, contemplativae scilicet activaeque vitae officia arctissimo erga Deum et Proximum charitatis nexu miscuit simul atque conjunxit. Addamus quaesitum apud Barbaros Martyrium, et citra mortem per saevissima tormenta susceptum, itaut dignus omnino videatur veterum Confessorum praeconio. Quod cum ex iis, quae accepimus, ita sit, profecto beatus Joseph caelestibus quoque donis ac miris signis a Deo probatus, a Te, BEATISSIME PATER, summis titulis ornandus et Christifidelibus proponendus est hoc praesertim tempore, quo turbata maximis atque atrocissimis bellis christiana Republica, non audimus tantum, verum etiam experimur irrumpentia in Ecclesiam et in Rempublicam mala; dum homines ut Aposto-

lus olim praedixit, (a) invicem mordent et comedunt, et nos consumimur. Siquidem spes est quod ille, qui adhuc mortalis non solum privatas Familias, sed integros pene Populos acerbissimis odiis diu inter se dissidentes ac dimicantes optima fide pacavit, immortalis modo et caelesti sede receptus, fiat pro nobis Intercessor apud Deum, ut audiat tandem gemitus oppressorum, aspiciat lacrymas viduarum, parcat calamitatibus Reipublicae, ac sublatis, bellis, compositis dissidiis, extinctis contentionibus pacem ponat fines Ecclesiae.

JOSEPH MARIA Ferroni Archiepiscopus Damascenus Assistens.

Ardentissimae in Deum et Proximum charitatis victima vere fuit beatus Joseph. Pro Dei gloria et animarum salute nec suspendio mori timuit, nec in laboribus vivere recusavit. Quid ergo reliquum est, nisi quod tam magnum Seraphici Ordinis lumen et ornamentum (b) super candelabrum in sancta Ecclesia collocetur, ut omnibus qui in domo Dei sunt, elucescat?

JOANNES FRANCISCUS Stoppani Archiepiscopus Corinthi Assistens.

In sublimi humilitatis fastigio solidiora jacens Sanctitatis fundamenta B. Joseph a Leonissa tanta erga Deum ac Proximos charitate refulsit exarsitque, ut primo Byzantium martyrii avidus contenderit, illudque asserendo et praedicando sustinuerit, licet servata per miraculum vita non consummaverit; ac postremo in propria Deo sic disponente reversus omnibus omnia factus, et sui ipsius sedulus abnegator pro Fratribus cupiens anathema fieri animam pro iisdem ponere non dubitaverit. Virum proinde et hujusmodi et ceteris charismatum donis exornatum praeclaraque praeditum Sanctitate multis et ad portentum patratis signis comprobata in Sanctorum Album referri ad militantis Ecclesiae praesidium et decus, dignum justumque videtur, quatenus ita ab Apostolica hac Sancta Sede dijudicetur.

MICHAEL de Palma Archiepiscopus Theatinus Assistens.

Mirabilia sunt nec pervia dictu, quae operatus est Deus in famulo suo B. Josepho a Leonissa, de cujus Canonizatione instantia proponitur, PATER BEATISSIME: *Ab infantia praeventus in benedictionibus Sanctorum, crevit postea pietate et gratia coram Deo et hominibus.* In Seraphico Ordine Capuccinorum adscitus, brevi adeo virtutum omnium attigit culmen, ut jure merito heroici hominis gloriam fuerit adeptus. In Regulari Observantia nullus exactior, in rigore poenitentiae nullus fortior, in abjectione humilitatis perfectissimus.

Dilatandae Fidei excitatus ardore, longissimo itinere ad Turcicas peregrinatus Nationes, nihil pavidus ea perpeti, quae infidelium rabies inferret, vincula, verbera, vulnera, flammas, Cruces, inter quae mortem invictam oppetiisset, nisi inde Angeli Ministerio fuisset ereptus.

Apostolici herois insigne meritum miracula plurima decorarunt, ne post testimonium hominum deesset Sanctitati ejus Testimonium Dei, quod majus est.

Benemeritum itaque Virum de Fide, de Ecclesia, de Seraphica Familia Capuccinorum, cumulatum virtutibus, fulgentem signis proficuum est, PATER BEATISSIME, in christiana Republica Populorum imitationi et venerationi proponere; prout solemniter fiet, statim ac a Te suprema proferatur sententia, per quam beatus Joseph a Leonissa inter sanctos Confessores recenseatur.

STANISLAUS Poliastri Archiepiscopus Rossanus Assistens.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus. Centum triginta quatuor annorum stadio, beati Josephi a Leonissa non obscuro Aprutii Op-

(a) *Ad Gal. cap.* 5. (b) *Matth. cap.* 5. 15.

pido Minorum S. Francisci Ordinis Capuccinorum Sacerdotis Professi eximia ac praeclarissima omnium virtutum merita longo non minus ac injurioso jacuerunt detenta silentio, totidemque annis omnigenae Sanctitatis ac miraculorum undique percrebrescente rumore ac luculentissima fama, divinae Majestatis hinc ingentia emittebantur Fidelium suspiria, hinc egenorum flagrantia dirigebantur desideria, hinc obligatorum fervidissimae effundebantur gratiarum actiones et preces, hinc supplicantium orationes et vota, ut illa tandem elucesceret clarissima dies, ut expectatissimus denique appareret ille Christi Vicarius, qui B. Joseph Venerabile nomen, quod daemones, morbi et elementa senserunt, ex sublimi Apostolico Solio Numinis potestate coruscans debito cumulabit honore, cum adscribet tandem Sanctorum in Albo! Hoc enim caecorum turba qui visum acceperant, hoc surdorum agmina qui impetrarunt auditum; hoc infirmorum qui sanitatem receperant, expectabant legiones innumerae. Hoc paralytici ut sanarentur, leprosi ut mundarentur, nudi ut operirentur, ut satiarentur famelici, ut liberarentur optabant obsessi. Hoc unum profecto exquirebant errantes ut corrigerentur, cogitabant poenitentes ut justificarentur, praestolabantur justi ut confirmarentur. Hoc demum tota Capuccinorum Familia ut ad integritatem et pristinum fervorem restituta videretur eorum jam demissa et nonnihil collapsa Religiosa Observantia. Cum divinitus factum est, nostrisque indultum temporibus, ut supremo quo praesidet Throno BENEDICTUS XIV. hujus nominis Pontifex Optimus Maximus, cui tanti momenti negotium ab ipsa aeternitate reservatum erat atque dispositum, ad decernendum assurgeret, et infallibili sanctae Sedis oraculo beatum Josephum Sanctorum Fastis adscriberet, et expectantibus postulata concederet. Plaudant nunc Ecclesiae triumphantis Caelicolum chori, exultent militantis Christiadum exercitus, confundantur Principes tenebrarum et contremiscant, et nostra secum Joseph pectora in Caelum trahat.

FERDINANDUS MARIA de Rubeis Archiepiscopus Tarsi Assistens.

Vita B. Josephi simillima meo judicio videtur fuisse illi, quam sanctissime ac laudatissime egit B. Fidelis a Sigmaringa, neque unam ab altera propemodum discrepare. Idem Ordo, eaedem virtutes, idem Apostolatus ministerium, ut dici possit Deum (a) *misisse illos binos ante faciem suam in omnem Civitatem et locum.* Id unum inter illos discrimen intercessit, quod alter morte sua factus est martyr: Alter subductus morti longius martyrium vivendo tulit. Itaque quod suffragium fuit de B. Fideli martyre inter Caelites recensendo; idipsum ferre de B. Josepho Confessore non dubito.

JOANNES ANDREAS Tria Archiepiscopus Tyri Assistens.

Hunc Christi Athletam B. Josephum a Leonissa singulari Dei beneficio in sortem Domini electum fuisse, non obscura sunt testimonia: Quare adolescens lubricam illam aetatem immaculato calle percurrit: Proprii Instituti Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, cui nomen dedit, exactissimus custos fuit: Tandem sanctimonia ultimum diem clausit, quam misericors Dominus pluribus signis et miraculis, ipso vivente et post ejus obitum comprobavit. Unde ut B. Joseph in Sanctorum Confessorum Album referatur, non est qui non consentiat. Quid nisi ipsum Martyrem appellavero? Equidem nec ipse martyrio, nec martyrium ipsi defuit. Desiderio martyrii Constantinopolim se transtulit; ibique in eum mortis sententia lata, triduo saevissimum supplicium invicto animo toleravit, fidemque catholicam e sublimi suspensus igne fumoque supposito elata voce testatus fuit. Et licet in pace superstes postea quieverit, a fide tamen non tormentorum vi decessit, ut inter negatores nomen obtineret, nec fugam arripuit, ut extorris nuncupari valeret; minusque soluta pecunia a vexatione se redemit, ut Libellaticus dici posset, de

(a) *Lucae cap.* 10. 1.

quibus tam erudite in aureis Commentariis (a) de Canonizatione Sanctorum per SANCTITATEM VESTRAM disseritur; sed Angeli beneficio vinculis solutus in Italiam rediit; et de similibus Martyribus in sacra Antiquitate plura numerantur exempla, quorum nonnulla modo per Sanctitatem Vestram in hodierna sua eleganti Alloquutione fuerunt allata. Verum cum secundum praesentem Ecclesiae disciplinam requiratur consummatum martyrium, ut Sancti inter Martyres ab Ecclesia renuncientur, et in laudata Alloquutione etiam proclamatum extitit, sufficit quod noster B. Joseph sit coronatus in Caelis, ubi, ut inquit Cyprianus, (b) Deus Martyres probat et coronat.

NICOLAUS Carafa Archiepiscopus Philippensis Assistens.

Cum Lutherana lues nedum e Germania, verum etiam e ceteris Septemtrionis partibus catholicae Fidei germen penitus evellere contenderet, moliretur, Romani Pontifices Praedecessores tui summo quo Tu polles, zelo in Fidei puritate tuenda, ut huic tam pernicioso morbo occurrerent, Concilium Oecumenicum Generale Tridentinum uti prae omnibus opportunum ac salutare remedium indixere. Eo ipso tempore Italia nostra, ubi catholica Fides et primam Sedem et Principatum possidet, non sine divini Numinis speciali ope beatum Josephum in Oppido Leonissae in lucem edidit; cujus altissimae perfectionis fama vitiorum haeresumque monstra confunderentur, et vera quae per dilectionem operatur, Romana Fides ex ipsius splendore virtutum novum reciperet munimen et solamen. Et sane in Viro isto omni laude digno, non minus propriae quam alienae solicito salutis, tam vehemens divini amoris aestus ac catholicae Religionis propagandae Fidei studium fuit, ut non modo abdicatis seculi pompis totum se Deo in sacra Capuccinorum Familia manciparet; ubi orationibus, vigiliis, jejuniis ceterisque corporis macerationibus operam dedit: Sed nil omittens pro illius seculi depravatis moribus corrigendis, in omni virtutum genere se exercens, ita divina flagrabat charitate, ut etiam martyrium Christi Athleta pro Infidelium appeteret conversione, ut ejus gesta loquuntur. Itaque si SANCTITATI TUÆ visum fuerit, Beatum istum Sanctorum Catalogo adscribendum censeo.

D. FERDINANDUS ROMUALDUS Guiccioli Archiepiscopus Ravennae Assistens.

Nullis profecto humanis laudibus aequari possunt, SANCTISSIME PATER, merita beati Joseph a Leonissa. Charitas illius in Pauperes, in Peccatores et Infideles flamma ignis fuit, flamma lucens et comburens. Quae non excogitavit Joseph, quae non suscepit, quae non absolvit sanctissima heroica facinora, ut Pauperes levaret, Peccatores ad cor, Infideles ad fidem converteret? Barbarorum Regiones ultro adiit, immanitatis faciem et minas non timuit, ut Captivorum gemitus solaretur, catenas abrumperet et secretiora tremendi Regis penetralia tentavit, ut eo usque insinuata Fides captivitatem tot Infidelium ad Crucifixi pedes captivam duceret. Non illum carceres, non verbera, non plagae, non immania tormenta a proposito terruerunt; etsi minus jam martyrem sanguineae Turcarum cruces tunc consummarunt, consummavit tamen amor et charitas, incensanti laborum, vigiliarum, itinerum, solicitudinum pro salute Proximorum, pro Christi Pauperibus martyrio. Admirabilia haec omnia, imperceptibilia ac pene divina merita, BEATISSIME PATER, per se ipsa loquuntur, per se ipsa debitum Caelitibus cultum expetere atque exigere videntur.

FELIX Solatius Archiepiscopus Thebarum Assistens.

Quem in praeparato martyrio toleratis prius per triduum atrocissimis cruciatibus Martyrem noluit omnipotens Deus, eumdem tamen Confessorem admirabilem sub diverso martyrii genere, ut exemplar christianae perfectionis nobis reliquit: Beatus enim Joseph a Leonissa in Italiam e Constantinopoli redux,

(a) *Lib.* 1. *cap.* 2. (b) *Epist.* 54.

ferventiori charitate pro salute Proximi incensus, in pagis et villis, ubi Messis quidem multa et Operarii pauci, errantibus a semita, qua iter ad caelestem Patriam intenditur, lumen Evangelicae veritatis attulit: Pueris et Pastoribus maximo cum labore Fidei rudimenta praebuit, flagitiosos homines ad caulam Domini reduxit, et patientia et humilitate excellens, lacessitus injuriis, verberibus et colaphis, invictam sui animi mansuetudinem demonstravit, alteram maxillam, exemplo Salvatoris nostri percutientibus praebens. Tuto igitur, BEATISSIME PATER, Virum tam eximium, virtutibus omnibus heroicis et probatis miraculis clarum, qui in vinea Domini strenue laboravit, et cui Deus maximum incrementum dedit, in Catalogo Sanctorum adscribendum censerem, ut hoc in terris cultu novae gloriae augmento cumuletur in Caelis.

ANTONIUS Fonseca Episcopus Æsinus Assistens.

Si veritate praedicante qui se humiliat exaltabitur, et qui confitetur Christi nomen coram hominibus, glorificabitur coram Angelis Dei; jure, BEATISSIME PATER, ad pedes Sanctitatis TUÆ provolutus enixe oro atque obtestor, ut beatus Joseph a Leonissa Sanctorum Fastis accenseatur. Admirabilis enim illius virtus sub asperrimo Capuccinorum habitu, in abjectissimis Coenobiorum officiis, in reducendis ad frugem rudioribus populis latere maxime studuit: Nomen autem Christi inter Gentes coram Regibus, et ferreo etiam unco suspensus annuntiare non destitit. Jam vero eximia illius Sanctitas gloria miraculorum splendescens, ejusque exuviae lacteo humore fragrantes, dum illa subjici nequit adversariorum insidiis, et istae a Barbarorum injuria evaserunt immunes, omnium Fidelium admirationem cultumque promerentur ac postulant.

NICOLAUS MICHAEL Abbati Episcopus Scyllacii.

Filius accrescens Joseph crevit ab infantia misericordia et Sanctitate. Grandior perfectior evasit. Continentiae et pudicitiae utriusque Josephi imitator, Minorum Capuccinorum Ordinem ingressus crevit de virtute in virtutem in gradu heroico; crevit gloria illustrium miraculorum in vita et post mortem. Crescat ergo, SANCTISSIME PATER, beati Josephi cultus, et sanctificetur adhuc qui Sanctus est.

Fr. PLACIDUS Pezzancheri Episcopus Tiburtinus Assistens.

Beatus Joseph a Leonissa, quem ab ipsis incunabulis sibi elegisse visus est Deus, integerrime vixit in seculo. Verum non ignarus virginitatis lilium inter poenitentiae spinas magis vigere tutiusque servari, Ordinem Minorum Capuccinorum adolescens ingressus, cunctis quae Seraphici Instituti Sacerdotem decent, virtutibus animum excoluit, et corporis sensus peculiaribus exquisitisque cruciatibus afficere non intermisit: Immo charitate aestuans Constantinopolim perrexit, ubi pro Christo labores, ludibria, verbera, carceres et triduo immane supplicium, cancri nuncupatum fortiter atque alacriter pertulit, quo morte acerbissima certo certius occubuisset, nisi divinitus fuisset ereptus; ita ut martyrio non defuerit animus, licet Persequutor totum non fuderit sanguinem. Et cum vicissim Deus a quo bona cuncta procedunt, illum altissimae contemplationis ac prophetiae dono pluribusque miraculis nobilitaverit, aperte indicat se velle, ut idem sanctis Confessoribus solemni ritu adnumeretur.

BERNARDUS ANTONIUS Pizzella Episcopus Constantiae Assistens.

Qui fecerit et docuerit sic, magnus vocabitur in Regno Caelorum. Utrumque perfecit beatus Joseph a Leonissa Ordinis S. Francisci Capuccinorum Sacerdos, dum in Christi Ecclesia opere et sermone plurimum potuit. Fecit vel Puerulus jejunio assuetus, fecit aetate grandior, qui et seipsum odisse et Crucis mortificationem jugiter in suo corpore gestare in moribus habuit: Fecit usque adeo solicitus, ut martyrii desiderio flagraverit: Neque vero aut caussa martyrii aut poena de-

fuit: Defuit tantum mors, quod multum adhuc viae conficiendum illi superesset.

Docuit quum in ipsa juventa aequales ad Mundi contemptum fuerit adhortatus: Docuit verbum Dei evangelizando: Docuit insuper Apostoli Andreae exemplum sequutus, solido triduo quo suspensus pependit: et catholicam Fidem nec labore victus, nec tormentis fractus palam testatus est.

Quis ergo prohibet, egregium hunc Ecclesiae filium, miraculis quoque clarum, magnum vocari in Regno Caelorum, et inter Sanctos referri? Ego sane nedum ita sentio, sed enixe deprecor, ut tandem de Sion exeat lex et verbum Domini de Jerusalem.

Fr. PAULUS Alpheran de Bussan Episcopus Melitensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Vir Apostolicus Josephus a Leonissa Ordinis Capuccinorum ardentissimo animarum zelo cum esset accensus, ad effundendam Turcis Evangelicam lucem Byzantium advolavit; ubi tot atrocia pro Christi Fide pertulit supplicia, et quamvis mortem non oppetierit gloriosam, ipse tamen martyrii palmae non defuit. Omni denique virtutum genere, praesertim durissima carnis mortificatione, admiranda humilitate, gloria miraculorum, sicut lampas ignis in Ecclesia Dei resplenduit: Fac supplex oro, BEATISSIME PATER, ut caelestes inter Cives Vir gloriosissimus resplendeat, et ita censeo.

ALEXANDER de Abbatibus Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis Assistens.

Inter complura beati Josephi a Leonissa miracula, ipsam ejus vitam majus dixerim miraculum. Istiusmodi videbitur adhuc lactentis infantia ab oppressionis periculo divinitus erepta. Nec prodigio caruit pueritia vixdum septennis, tunc equidem aetate imbecillis, sed jam matura virtuti. Nec sine miraculo florida juventus obsequentes habuit morbos ad tuendum perpetuae castitatis propositum. Martyrio jamjam proximus mortem non tam mirabiliter evasit quam superavit; sic tamen ut sibi mortuus Deo viveret et proximorum saluti. Postremo in admiranda ipsius morte pulchrioris vitae praeseferebant indicia vividus color, flexiles artus et fragrans odor. Haec sunt vitae et virtutum miracula, quae prodigiorum miraculis adjuncta Sanctum in terris proclamant Josephum a Leonissa, si SANCTITAS VESTRA dignetur communibus Fidelium votis annuere.

NICOLAUS FRANCISCUS de Bonhomme Episcopus Carpasiensis Assistens.

Ea est Bonitas divina, ut quemadmodum in veteri testamento identidem mittebat Prophetas et Viros virtute pollentes, qui Populum Israel a viis suis corruptis se convertere invitarent, ita quoque in novo testamento indesinenter suscitat Viros Sanctitate praecellentes, qui verbo et exemplo praeeant Populo sibi acquisito, ovesque vel devias, vel errantes ad Ecclesiam suam et Christi sequendam doctrinam vel aggregent vel revocent; inter hos fuit beatus Joseph a Leonissa Sacerdos Capuccini Ordinis, qui ab incunabulis mirabiliter a Deo conservatus, toto vitae decursu prodigia fecit in virtutum exercitio, signanter in exercendis humilitate, abstinentia, castitate, obedientia, fide, spe, charitate in Deum et Proximum, atque in omni virtute confortatus secundum potentiam claritatis Dei in omni patientia et longanimitate, cum gaudio omnibus ad omnia factus evangelizavit Evangelium Christi, opprobria et carceres fortiter sustulit, martyrium sanguinis perfectum ardenter desideravit, martyrium quoad poenas et supplicia hilariter sustinuit, et divina potentia a morte ereptus martyrium mortificationis jugiter in corpore suo portavit: Sicque cucurrit ut comprehenderit et bravium acceperit, atque dignus factus sit inter filios Dei computari, et in partem sortis Sanctorum in Caelis cooptari. Praemissum contestantur miracula in vita ejus et post mortem divinitus operata per ejus intercessionem: Quapropter si ita placuerit SANCTITATI VESTRÆ, dictum B. Joseph in Catalogum Sanctorum per solemnem Canonizationis actum in terris referendum esse existimo et ita supplex oro.

LUDOVICUS ANTONIUS Valdina, olim Cremona Episcopus Hermopolitanus Assistens.

Inter Populorum Principes, qui in Caelis congregati sunt cum Deo Abraham, referre merito potest SANCTITAS VESTRA consuetis Sedis Apostolicae caeremoniis beatum Joseph a Leonissa, in quo profugus ille justus clare apparet, quem deduxit Sapientia per vias rectas, donec daret illi claritatem aeternam. Profugus a seculo beatus Joseph se recepit in Arcem Religionis Patrum Capuccinorum, in qua tota vita ambulavit vias rectas omnium virtutum. Ab Italia deduxit illum Sapientia Constantinopolim, ibique vias rectas et maxime difficiles tenuit Fidei christianae, ferendo pro Christo crudele martyrium, pede manuque dexteris integro triduo, ferreo unco e sublimi suspensus, ignisque suppositi denso fumo suffocandus. Ope Angeli liber a Turcis, et in Italiam redux cucurrit vias omnes charitatis in fame et siti, in itineribus et laboribus, in frigore et nuditate, flagellis et contumeliis, lorica ferrea continuo praecinctus, ut Christum Dominum clarificaret super terram. Ostendat nunc ergo illum Vicarius Christi in Civitate sancta Hierusalem habentem claritatem Dei.

FABRICIUS Borgia Episcopus Ferentinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Si in rebus arduis conatus ipse et prompti animi obsequium pro facto est, quemadmodum Abrahami exemplo divinitus ostensum novimus; profecto B. Josephus a Leonissa qui Christi fidem coram Regibus et Tyrannis praedicare in animo habuit, ac trophaeum Crucis Christi Constantinopolitanis Arcibus impavida intulit manu, atque ea de causa ex unco ferreo per triduum suspensus immane tormenti genus fortiter alacriterque sustinuit; martyrii decus non tam amisisse, quam novo rerum deinde praeclare gestarum decore cumulasse censendus est. Servatus enim divinitus fuit, ut asperrimo vitae genere mortificationem Jesu, cujus mores exprimere et gloriam propagare vehementer studuit, semper in corpore suo circumferret, et ad martyrii palmam Apostolicos labores adjungeret, dum proximorum salutis studio flagrans oppida et villas, ubique virtutum vestigia relinquens, ubique messem animarum colligens circumcursaret. Quocirca, BEATISSIME PATER, tam eximia B. Josephi virtus satis a Deo miraculis comprobata merito exposcit Sanctorum honores, ex quibus Christifideles ad imitationem et invocationem ejus inflammentur.

HIPPOLYTUS e Rubeis Sancti Secundi Episcopus Senogalliensis Assistens.

Alter iste Seraphici Patriarchae Francisci filius beatus Joseph a Leonissa, duobus aliis per SANCTITATEM VESTRAM uti confidimus, ad altiorem cultum provehendis beato Fideli a Sigmaringa, et beato Petro Regalato congruum quidem est associari. Non ipse martyrio, neque martyrium ipsi defuit; cum primo non studium orationis, non vis compassiva dolorum ac vulnerum Christi Domini; cum secundo non humilitatis et paupertatis amor, non patientia in adversis, non zelus Sacerdotalis pro domo Dei, non effusa et perfecta charitas; non demum ante et post mortem miraculorum praestantia cum utroque. Quid ultra? nomen illi Joseph: Nomine ipse suo gloriam sibi augeri postulat: Scilicet filius accrescens Joseph.

D. PAULUS THOMAS Marana Episcopus Asculanus in Piceno Assistens.

BEATISSIME PATER. Ut Beatitudo Tua exaltet in Ecclesia laurea Sanctitatis B. Josephum de Leonissa a Te petunt virtutes in gradu heroico quibus se ornavit, innocentia nunquam interrupta, virginitas immaculata, paupertas arctissima, obedientia admiranda, poenitentia sine exemplo, humilitas profunda, abstinentia semper austerior, amor in Deum quotidie intensior, charitas in Proximum undique exaestuans, longum denique martyrium non alleviatum per mortem, a qua miraculose fuit praeservatus; humiliter etiam postulat Asculana Ecclesia, cujus Dioecesim prius sanctis ejus operibus, dein morte vere pretiosa in Domino illustravit. Annue

igitur, SANCTISSIME PATER, Sanctum legitime declarando, quem jam in Caelis regnare manifestissime comprobatur.

Fr. SILVESTER Merani Episcopus Porphyrien. Assistens.

In B. Josepho a Leonissa habemus Religiosae perfectionis cultorem eximium, et Virum undequaque Apostolicum, qui non solum fuit illustris gloria confessionis, sed et ipsam martyrii si non lauream, certe laudem abunde promeruit; poenam siquidem subiit pro Christi nomine, quae satis fuit ad illius consummationem, et sola Dei virtute ac voluntate factum est ne consummaretur, ut inde jure quaeri possit an gloriosior, quia martyrium sustinuit, an quia non perfecit. Itaque non jam precibus et supplicationibus agitur, sed ipsa exigit Dei gloria, ut beatus Petrus Apostolus qui adhuc in SANCTITATE VESTRA et vivit et loquitur, voce sua pronunciet beatum hunc Coenobitam talem ac tantum fuisse Virum, de cujus praeclaris exemplis, meritis ac triumphis Christi Ecclesia jure ubique in Domino glorietur.

NICOLAUS Mancinforti Episcopus Anconitanus Assistens.

Beato Josepho a Leonissa nulla defuit virtus, nec martyrii tormenta defuerunt. Talenta praeterea quae a Deo acceperat, sancto foenore superlucratus in Apostolico quod rite exercuit, ministerio dignus fuit, *qui intraret in gaudium Domini sui;* unde Vir Dei tot glorificatus miraculis, dignus quoque videtur, ut a SANCTITATE VESTRA in Sanctorum Albo describatur.

ANTONIUS Cantoni Episcopus Faventinus Assistens.

Quae Apostolici Viri maxime propriae sunt virtutes animique dotes, has in heroico perfectionis gradu agnoscere licet in B. Joseph a Leonissa, cujus praeclare Gestis praeclariora accedunt usque ab incunabulis patrata miracula. Cumque nec ipse martyrio, nec martyrium ipsi defuerit, meritam quoque gloriae coronam eidem non defuisse credendum est. Id autem a SANCTITATE VESTRA solemni judicio definiri catholicus Orbis exoptat.

PAULUS Bonavisa Episcopus Spoletinus Assistens.

Sacerdos piissimus Joseph a Leonissa usque a teneris annis perfectionis iter arripuit, et in sortem Domini vocatus in Capuccinorum Religione, tum alibi, tum praecipue in mea Dioecesi suae sanctissimae vitae reliquit vestigia. Invisitur adhuc ille fons, ubi aquam sordidam intincto pane sorbebat: Adsunt etiam illa sacra Rostra in quibus ferventissimo zelo viventes in tenebris ad viam lucis revocabat; et pene dicam audiuntur usque nunc Populorum gemitus peccata, ipso perorante, amarissima contritione detestantium: Vitae austeritate perfectissimae poenitentiae licet innocens semitam pressit: Integerrimae puritatis liliis circumdatus: Patientiae mansuetudine admirabilis, ceterarumque virtutum splendore mirifice irradiavit. Amore tenerrimo dilexit Proximum suum, et inimicos suos singularibus amoris officiis prosequebatur: Charitate in Deum jugiter languebat: Unde evocatus ad gloriam nostri adhuc non obliviscitur, cum per insignia prodigia etiam nunc suae charitatis viscera diffundit, quibus rite probatis tuto conjicere possumus, benignissimum Deum qui illum glorificavit in Caelis, velle etiam ut veneretur in terris, si tamen ita SANCTITATI TUÆ visum fuerit.

CÆSAR Bonajuti Episcopus Pharensis Assistens.

Vix puerilis aetatis stadium aggressus fuit B. Joseph a Leonissa, cum incredibili erga inopes misericordia et perpetua quadam, sibique semper constanti morum suavitate et gravitate, quasi myrrha electa dedit sanctitatis odorem: Flagrans martyrii ardore Catholicae legis fuit propugnator et vindex: Æstuabat erga Proximos charitate, dum evangelica praedicatione ipsos adjuvare totis viribus enitebatur, patientia incredibili summaeque sui

spiritus suavitate, quoties licuit minime praetermisit, et Christi sectando consilia, percutienti maxillam alteram protinus offerebat. Crudelissimus pro Christo sui corporis carnifex, in gravissimis morbis simplici tactu, prece, imperio expellendis; in rebus abditissimis penetrandis adeo mirabilem Deus illum fecit, ut numerari in hac temporis angustia, vel recenseri singula non possint.

Cum itaque, BEATISSIME PATER; tot tantaque passus sit tormenta dum viveret, aequum est ut et coronam gloriae consecutus, inter tot alios magni Francisci Patris Filios Albo Sanctorum et ipse connumeretur.

MARIUS Maffei Episcopus Fulginas Assistens.

Non absque divino factum arbitror consilio, BEATISSIME PATER, ut de praeclaris gestis signisque Josephi a Leonissa hac potissimum die peragendum occurreret, quae S. Antonii Patavini festivitate illustris est ac jucunda. Ille enim Africanas cogitavit oras, iste Constantinopolitanas adivit; uterque martyrii desiderio flagravit, utrique defuit martyrium. Ambo haec nostra Italica arva Evangelico effuso semine foecundarunt; ambo signis inclaruere dum viverent; ambo illis usque modo inclarescunt. Quos ergo martyrii flamma succendit; quos Evangelii praecones habuit Italia; quos praecipuae virtutes et signa plura commendant; quos denique Seraphicus Ordo conjunxit, hos, BEATISSIME PATER, ad cumulandam hujusce diei venerandam sanctamque laetitiam, hos, inquam, communi sanctificationis consortio Te copulare exoptamus, ut Tuo quisque nostrum fretus oraculo dicere deinceps valeat: *Vidi conjunctos Viros habentes splendidas vestes. Ambo sunt Viri sancti facti amici Dei.*

GUIDO Ursellus Episcopus Caesenas Assistens.

Si Deus admirabili plane providentia beatum Joseph a Leonissa per Angelum suum e Turcarum manibus, atque adeo ex durissimo unci tormento non eripuisset, haberemus in fortissimo Viro, quo gloriosissimum Christi Martyrem coleremus. Verum cum, ut Hieronymus habet, in Martyre voluntas coronetur; ipse vero beatus Joseph quasi strenuus quidam miles denuo in arenam descendens omnem vitam suam in laboribus, periculis, vigiliis, itineribus, angustiis, ut omnes Christo lucrifaceret ex Apostoli Pauli sententia, traduxerit, quod a crudelitate non potuit, id prorsus eximia charitate sua est consecutus; optime proinde jure atque consilio meditatur SANCTITAS VESTRA, Apostolici Viri memoriam signis quoque et prodigiis toto terrarum Orbe clarissimam amplissimis Sanctorum honoribus consecrare.

HYACINTHUS de Silvestris Episcopus Nepesinus et Sutrinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Innocentissimum hominem summo poenitentiae amore non modo incensum, sed pene consumptum spectamus, dum B. Joseph a Leonissa nobis spectandus proponitur. Si igitur tantam apud omnes laudem praeteritorum criminum dolor poenitentiaque promeretur, quanti in eo homine facienda est, qui poenitentiae stimulum innocentiam tantummodo habuerit? Magnum enim est poenitere quod peccaveris, maximum sane poenitere ne pecces. Lilium hoc igitur spinas inter ac vepres dum viveret enutritum per universam Ecclesiam suavitatis odorem diffundat, ut allecti homines in ejus odorem currant, spinasque et ipsi aliquando innocentiae tutelam certissimam amplectantur.

LEO LUCAS Vita Episcopus Oppidensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Quae ad solemnem Sanctorum Canonizationem requiruntur, ea omnia in beato Josepho a Leonissa concurrere videntur. Ab incunabulis enim divina ope protectus ne a dormiente Matre suffocaretur, ubi primum ad puerilem aetatem pervenit, futurae Sanctitatis specimen dedit, et crescente aetate crevit etiam pietate. Virginitatem Deo vovit, et ad exitum usque vitae servavit. Grandior factus Capuccinorum Familiae nomen dedit, in qua Tirocinio expleto martyrii desiderio flagrans Constantinopolim se transtulit, ubi etsi ejus animam gladius persecutoris non

abstulerit, martyrii tamen palmam non amisit. Demum in Italiam reversus humilitatem, ut certum suae Religionis patrimonium semper coluit: Domum verrere, terram fodere et viliora quaeque praestare in deliciis habuit. Ab honoribus quoad potuit semper abhorruit. Obedientia fuit admirabili. Corpus ciliciis et flagellis cruentans jugiter Crucis mortificationem in suo corpore portavit. Christi Domini passionem ita contemplabatur, ut ei compati videretur. Ejus precibus panis reliquias adeo Deus multiplicavit, ut omnibus Nautis secum Constantinopolim proficiscentibus suppeterent, et ex perexigua farina quam ex eleemosynis acceperat, tantum panis confici obtinuit, quantum Ocriculi et Borbonii aliisque finitimis Populis ad ejus concionem confluentibus satis esset. His itaque aliisque virtutibus et miraculis rite probatis, dignum puto, BEATISSIME PATER, qui Sanctorum honoribus consocietur.

ÆGIDIUS Isabelli Episcopus Altiphanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Gesta B. Joseph a Leonissa talia ac tanta fuere, ut ad efformandum validum Christi Athletam vix relinquant quid desiderari possit ulterius; verus quidem sine dolo Israelita adeo super Ordinis sui Fratres eximio emicuit vitae candore et pergrandi erga Proximum charitate, ut per continuum sui corporis cruciatum virtutum omnium factus exemplar, et in coelestis *Patris domo filius accrescens*, pluribus portentosis miraculis illustrari meruerit; quamobrem censeo ut Fidelium *omnium benedictiones fiant in capite Joseph*, et dum in tam excelso culmine *veluti separatus Nazareus extollitur inter Fratres*, per SANCTITATEM VESTRAM ei Divorum decernantur honores.

JOANNES ANTONIUS Bachetoni Episcopus Anagniae Assistens.

Beatus Joseph a Leonissa eodem fuit seculo datus, eodem ademptus quo beatus Fidelis a Sigmaringa: Ambo a teneris annis orbati parentibus, ambo Capuccinorum Ordinem amplexi. Unus Apostolici muneris fuit utrisque ardor, exactissimae paupertatis rigidus uterque professor. In utroque insignis eluxit animi fortitudo et constantia, qua labores, qua probra, qua subiere cruciatus: Etsi Joseph non usque ad ultimum sanguinem quia divinitus ereptus suppliciis, incruento charitatis suae martyrio lentius quidem, at Proximorum saluti utilius consumendus. In hisce heroicarum aemulatoribus virtutum Deus quoque probatis sibique concinnis et convenientibus signis sese ostendit mirabilem. Proportio et concordia haec tanta rerum perfici complerique postulat, BEATISSIME PATER, et unico solemniori ritu, unoque oraculo declarari, ut quorum una mens, unum studium, unus labor fuit in via, unum sit praemium, una quies in patria: Et duo haec Ecclesiae luminaria, unius summi Sacerdotis manu unoque actu, Candelabro admoveri.

FRANCISCUS ANTONIUS Spadea Episcopus Aquinas et Fregellarum Assistens.

BEATISSIME PATER. In Martyribus non passionis initium pro Christo toleratum, sed consummatio et finis tantum laudatur; in beato tamen Joseph a Leonissa et initium martyrii se praebet laudandum, et species quaedam consummationis ejusdem martyrii, quamvis diutius protractae. Pro Fidei confessione jam pendebat in ligno, et a terra sublimis erat proximus Caelo; jam palmam manu carpebat, et suo capiti pendentem conspiciebat coronam; at solutus ab Angelo jussus est in patrias Italiae Regiones reverti, nova praelia pro Dei gloria et ad animarum initurus salutem. Nisi tanto miraculo a morte fuisset ereptus, jam victor laureatus triumphasset Joseph in Caelo unica martyrii palma contentus, nec amplius post consummationem potuisset et meriti et gloriae incrementa referre. Privilegium Viri Dei fuit hoc, ut dilata passionis consummatione posset Apostolico suo ministerio in majorem Dei gloriam animarumque profectum fortiter incumbere, nova tormenta tolerare pro Christo, nova improborum probra sufferre, longumque rigidissimae vitae voluntarium subire martyrium. Quis igitur enumerare queat et coronas et palmas, quibus suum usque in finem decoravit triumphum? Admiranda quip-

pe sunt prodigia, quibus Deus ipse in aedificationem corporis Ecclesiae, ac etiam ad confusionem gravium corde filiorum hominum mirificavit sanctum suum ante et post corruptibilis vitae decessum. Hinc non solum inclytus Capuccinorum Ordo cujus extitit filius, sed cuncti ejus sanctis operibus et praedicationibus eruditi, accensi, in viam salutis traducti et in hac lacrymarum valle gementes et flentes, tot miseriis quasi inopia consumpti, ejus Canonizationem praestolantur solemnem, et SANCTITATE VESTRA enixe deprecantur, ut majori possint fiducia ire ad Joseph et spiritus alimenta, secus mox perituri, ejus intercessionibus petere.

NA ILUMURI AT.

Gnae tieirae tae skaelkiem xompl bae na daefton prae tae ndiecurae scieta Fratnij e Capuccinet me tae lumurinae Josif caa Leonissa. Prae tae vertet se ggiϡϡ ggela etiyh na bie gnae eerae scium tae mirae ndae höndaet tona. Pse ϛotσnae caa der ϡurae mbij tae me dorae hapt po si vaggh, ggiϡϡ hiret; e ggiϡϡ ϡunetiit scpiertit sceint. Eϡe e caa baeaenae po si aembra e tiih. Unae naenc e mar me maend' emia, tae ϡϡom, e tae nu muroga tascti ggiϡϡ laevdimet. Ktiyae robbytσn ϛoti. Vec ecam me aft se Kyscia sceinte in caa gnoiunae prae tae mbaeϡaa, tae mira, e ϡe tae vaerteta. Asctu ϡϡom, e ϡe prae scegnet, e mbrecullij, me se ϛotσn caa ndertunae Ktae robbin' etiyh. Tascti duhet vetaemae. Saa ty scium ilumuri At. Tae haps, e tae deftosc Ktae tae bucur', e Ktae tae laevduam sceint ne rii, saa te ndekgnae ggiϡϡ bota, e ggiϡϡ Krisctaerymi.

Josifi Schirò Arçbiscupu i Dursit, e Vicari Apostolicu ndae Arbaenit.

Ejusdem Versio latina.

JOSEPH Schirò Archiepiscopus Dyrrhachinus et olim Vicarius Apostolicus in Epiro.

Ecce, BEATISSIME PATER, aliud fulgentissimum exemplar christianae perfectionis, quod nobis exhibet et admirandum et imitandum sacra Capuccinorum Familia per beatum Josephum a Leonissa. Profecto tota illius vitae series ac praeclara gesta non aliud undique redolent, nisi quandam suaveolentem unctionem unguentorum divini spiritus abundanter desuper effusam supra Virum plane formatum juxta cor Dei. Non mihi videtur, BEATISSIME PATER, nec locus aptus, nec tempus opportunum hic modo sigillatim recensendi, et quidem mea rudi incorruptaque oratione omnes ejusdem Servi Dei, aut illae praesertim quae ad Deum diriguntur, virtutes. Sufficit mihi, quod eaedem sint hactenus, prout de more et severa trutina examinatae, et Apostolico oraculo jam declaratae in gradu heroico. Hoc idem enuncio de miraculis, quibus omnipotens Deus voluit hucusque ostendere sibi acceptissimam animam Servi sui. Reliquum ergo est, BEATISSIME PATER, ut supremam toti operi manum imponas, et Josephum a Leonissa toti quoque militanti Ecclesiae imitandum solemniter proponas.

SERGIUS ALEXANDRI Armenus Archiepiscopus Caesareae Cappadociae.

Christi Domini super maris undas ambulantis, panesque in deserto multiplicantis miracula in Palaestina edita, beatus Josephus a Leonissa in Italia instauravit; nam sua in Deum fide id obtinuit, ut perexigua farina quam acceperat ex eleemosyna, tanta panis copia conficeretur, quanta esset satis, ut innumerae hominum multitudini distribueretur; expanso autem super aquas Pallio, Truentum et Marojam flumina sicco pede calcaret. Sed et Moysen nobis repraesentavit, qui posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim. Nam ex arido monte ad socii sui aliorumque sitim sedandam, Josephus aquae venam aperuit. Quae vero fuerint ejusdem et viventis heroicae virtutes, et ad caelestem gloriam translati miracula, supervacaneum est hic recensere. Locum esse proinde censeo, ut tuto Canonizatorum in terris beato Josepho a SANCTITATE VESTRA decernantur honores.

STEPHANUS Evodius Assemanus Archiepiscopus Apameas.

Qui (a) *inscriptus erat*, BEATISSIME PATER, *in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad Filium* (b), *et testificari Evangelium gratiae Dei*, beatus Joseph a Leonissa sacri Capuccinorum Ordinis Presbyter Professus, vincula, tribulationes, cruciatus, qui ipsum Constantinopoli manerent, nequicquam moratus (c): *Nihil horum*, cum Apostolo ajebat, *vereor; nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consumem cursum meum et ministerium verbi, quod accepi.* Inde vero (d) sedem Satanae adortum dixisses *ignem urentem in consumendo criminum vepres*, dixisses *securim vel asciam in dejiciendo malas plantationes*. Verberibus immanissime caesus, omnique contumeliarum genere adfectus trabem ex qua pendebat (e), convertit in Cathedram Magistri docentis (f). Extinxit impetum ignis, effugit aciem gladii, castra vertit exterorum, et convaluit de infirmitate, (g) quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit adamantinum Athletam de manu Herodis et de omni expectatione Infidelium. Quem igitur Dominus (h) *similem fecit in gloria Sanctorum, et magnificavit in timore inimicorum*, SANCTITAS VESTRA eorum Albo decernat cooptandum, quos solemnia Fidelium vota religioso cultu humillime prosequuntur.

BERNARDINUS Vari Episcopus Civitatis Castellanae et Hortae.

Beatissime Pater. Beatus Joseph a Leonissa fuit in primis impavidus Fidei Athleta, qui vel ipsum Turcarum Principem aggredi non extimuit: Fuit paupertatis rigidissimus cultor, eximium humilitatis exemplar, obedientiae sectator egregius. Charitatem ita coluit ut nihil magis haberet in votis, quam Deum sibi demereri, eumdemque peccatoribus conciliare: Quos propterea in villis, pagis, locisque campestribus adibat, eosque concionibus, monitis ac hortamentis ad peccata detestanda adigebat; quo in munere cum totam ferme vitam cum maximo animorum lucro transegerit, cursum suum sanctissime consummavit. Dignum idcirco existimo, ut quod etiam miracula probant, SANCTITAS VESTRA decernat, redditam nempe ei fuisse illam justitiae coronam, quam tot excellentibus meritis sibi comparavit.

JOANNES INNOCENTIUS Episcopus Fagarasiensis.

Divinis laetamur auguriis, dum beatum Josephum a Leonissa recolimus eo animo Constantinopolim cogitasse, ut et alienos a veritate Populos Romanae Religioni conjungeret, et ad ejurandam Mahometanam superstitionem supremum ipsum Turcarum Tyrannum adduceret. Id quidem Josephus, dum viveret, non est consecutus; tametsi nullis incommodis, nullis difficultatibus frangi potuit aut retardari, quominus et haereticis et Mahometanis ad veram Christi doctrinam amplectendam dux esset et auctor; verum postquam in his ardentissimis in Deum et proximum charitatis officiis migravit e vita, spem nobis haud dubiam facit, fore ut in Caelo constitutus id patrocinio suo perficiat, quod in terris pro bono christianae Reipublicae fortiter aggressus fuerat. Hunc igitur SANCTITAS VESTRA, inter Sanctos recensendo addet Orientalibus Tutelarem, cujus precibus tandem placatum divinum Numen Solem suum Orienti oriri faciat.

POMPEJUS Compagnoni Episcopus Auximanus et Cingulanus.

Ea quae nobis de beato Josepho Leonissano fuerunt proposita, videntur mihi eximium praeseferre zelum honoris Domini, quo Vir sanctissimus non quaerens quae sua sunt sed quae Jesu Christi, ad ardua quaeque,

(a) *Eccles.* 48.
(b) *Act.* 20.
(c) *Ibid.*
(d) *Apocal.* 2. *D. Bern in vit. S. Mal.*
(e) *D. Aug. Hom.* 119. *in Jo.*
(f) *Ad Hebr* 11.
(g) *Act.* 12.
(h) *Eccles.* 45.

dura ac difficilia tentanda, subeunda, exequenda efferves cebat, ut omnes Christo lucrifaceret. Quum itaque Spiritus sanctus dicatur in sacris litteris Spiritus zeli, quod nimirum qui spiritu Dei aguntur, eorum maxime intersit negocia Dei et Religionis curare; nemo sane ambiget B. Josephum plenum fuisse sanctitate et gratia et Spiritu sancto, utpote quem zelus domus Domini semper comederit ac pene consumpserit. Ad hanc vero purissimam divini amoris et charitatis flammam accedente etiam luce miraculorum, censeo secundum haec omnia caelestes illi honores jure optimo deferendos.

JACOBUS PHILIPPUS Consoli Episcopus Amerinus.

Beatissime Pater. Ad Canonizationem jam praesignatam beati Fidelis a Sigmaringa altera beati Josephi a Leonissa ejusdem Ordinis Capuccinorum, pro qua tot suffragia mox prodiverunt, equidem mihi peraddenda videtur; oh nobile par Heroum! Ambo etenim sub eodem sacro Instituto virtutis stadium alacriter ingressi brevi metam attigere; par utrique ardor, corpus ciliciis et flagellis cruciandi ac perpetua fere a carnibus abstinentia macerandi; ambo laborioso itinere, vel ad finitimas, vel longinquas sive ab orthodoxa fide aberrantes, sive catholicae fidei lumine penitus carentes peregrinati sunt Gentes et Nationes, evangelicam sementem conspersuri; ambo tolerati, tametsi haud ambo consummati, martyrii gloria insignes; ambo denique miraculorum splendore coruscantes.

Verum enimvero omnibus haec communia sunt Suffragantibus argumenta virtutum illius et sanctitatis: Illud mihi peculiare est, PATER SANCTISSIME, quod anno 1737. ad Corpus beati Josephi (subter tunc terra repositum) recognoscendum, elevandum, publicaeque Fidelium venerationi exponendum hujus sanctae Sedis delegatione honoratus oneratusque, illud ossa ossibus optando manus istae contrectaverunt undique; cum autem ad cor ejus intra quamdam capsulam authentice conservatam pervenerim, tam inusitatum incognitumque percepi adhuc in eo permanentem odorem effundere, quod nonnisi caelestem existimaverim; at nequaquam item admiranda alia defuerunt portenta; cum enim in Ecclesia sanctissimi Salvatoris Leonissae, quo B. Joseph suae futurae sanctitatis christianis operibus impensius incumbendo prima jecerat fundamenta, quamdam ejus sanguinis ampullam non solum tunc Judicum delegatorum sigillo munitam, verum quoque intra parietem crate ferrea haud amovibili custoditam a seculo et ultra devotionis gratia Incolae asservarent, factum est ut cum prae manibus eam indulto cultui consignandam acceperim, sanguinem fluvidum ac rubescentem adinvenirem; quocirca tanto prodigio magnopere perculsus in lacrymas una cum Populo illico erumpere coactus sum, et uno omnium ore conclamare: *Mirabilis Deus in Sanctis suis.*

Tot igitur signis loquente Deo, et amicum suum ut superius ascendat invitante, undequaque justum erit et dignum, PATER SANCTISSIME, ut quemadmodum beati Fidelis, sic beati Josephi Canonizatio decernatur; haec enim Biga Sanctorum quae Christi jugum pari devotione portavit, plane decet, ut honore item pari veneretur.

JOSEPH Coppola Episcopus Aquilanus.

Merito quodam accrescendi jure factum est, ut in B. Joseph a Leonissa non secus ac in B. Camillo de Lellis una eademque Sanctorum Canonizatione Aprutina Regio (in qua nullis oppido suffragantibus meritis unus ex christiani Gregis custodibus sum designatus) nobile par caelestium heroum habere glorietur; et licet B. Joseph, secus atque ille, permanens semper in innocentia sua viriliter fecerit, confortatum videns cor suum eo quod Christum crucifixum amaverit; attamen quia ex Augustini sententia: Cor contritum proximum est cordi mundo, jus postulabat ut biga Sanctorum (audeo et ego uti verbis Chrysostomi a Te relati in appendice tom. 1. de Canonizat.) Biga, inquam, Sanctorum, quae Christi jugum et Crucem ferens ex eadem exivit Regione, ab eodem Summo Pontifice qui Gregis Christi Pastor et Rector existit, in Sanctorum numerum referatur.

JOSEPH Rossi Episcopus Venafranus.

Duo luminaria magna, BEATISSIME PATER, praeclari Ordinis Capuccinorum istis sacris proposita sunt Comitiis. Alterum Fidelis a Sigmaringa qui martyrio catholicae illuxit Ecclesiae. Alterum modo Joseph a Leonissa qui ardenti charitate in Orientem ductus, dum Constantinopoli Turcarum supremum Tyrannum ad ejurandam Mahometanam superstitionem adducere meditatur, ingressus illins palatium pedemque in intima cubicula inferre tentans, a Satellitibus comprehensus multis cruciatibus afflictus fuit. Lata deinde in eum mortis sententia, pede manuque dextris unco ferro suspensus est; unde dum pendebat, non destitit in opere Fidei, laboris et charitatis ad erudiendas Gentes infideles proferre doctrinam salutis, et lucem veritatis effundere. Sed post triduum tantis tormentis pro Jesu nomine toleratis ab Angelo in forma pueri ereptus est, et in Italiam jussus remeare; hic charitatis prosequens opera in Vicis et Castellis miseris hominibus, quibus sacri deficiebant Operarii, doctrina, exemplo et opere quasi lux caelestis affulsit; et in charitate, patientia et humilitate cursum suum feliciter consummavit, et in gaudium Domini sui intravit. Gaudeat propterea in Occidente sancta universalis Ecclesia alterum in Aris post Christi Patrem putativum venerari Joseph.

HIERONYMUS Lorenzi Episcopus Acernensis.

Beatissime Pater. Mirum orandi studium vitaeque austeritatem cum assiduis pro salute animarum laboribus conjunctam jure suspicimus in beato Joseph a Leonissa. Eumdem apud Barbaros, quos ad veram Fidem conabatur traducere, triduum unco suspensus e trabe pependisse, mox ab Angelo ereptum novimus; ut Athletae sanctissimo non martyrium aut martyrii corona, sed mors dumtaxat in illo cruciatu obita defuisse videatur. His aliisque virtutibus plane perspectis, tum quod tam multos ad justitiam erudivit, fulgere illum modo tanquam stellam in perpetuas aeternitates miraculorum voce docemur a Deo; cum ad ejus tumulum novissimis his temporibus consolidatae sint bases Pueri, et plantae prius dissolutae, et immane Mulieris ulcus ejusdem ope obductum statim sit. Erit igitur providentiae Tuae, BEATISSIME PATER, quod suppliciter peto, B. Virum inter Sanctos referre, ut amplioribus actus honoribus magis luceat omnibus, qui sunt in Ecclesia.

JOANNES FRANCISCUS Cavallinus Episcopus Alatrinus.

Eximius profecto zelus, quo beatus Josephus a Leonissa Ordinis Capuccinorum, tum in defendenda augendaque fide orthodoxa, tum in confirmanda propagandaque animarum salute supra ceteros enituit, illud sane exigit, PATER BEATISSIME, ut miraculis rite jam a Sanctitate Vestra probatis in Sanctorum numero cooptetur; quemadmodum et ego ea qua decet reverentia, in obsequium tanti Viri demisse cogor efflagitare.

NICOLAUS Ciaffi Episcopus Soranus.

Post vitam summa innocentia in seculo primum ductam, omnibus deinde Religiosis virtutibus in severiori Capuccinorum Instituto adauctam, incredibili propagandae catholicae Religionis et lucrandarum Jesu Christo animarum zelo ardens poenas quidem martyrii Constantinopoli subivit; sed Martyr non occubuit, ut per divini verbi ministerium Christifideles in Italia e vitiis ad virtutes, et e terra perduceret ad Caelum; quo tandem ipsum pervenisse divina etiam prodigia comprobarunt. Merito igitur etsi non Martyris, Confessoris tamen nomen ipsi cum publico solemnique cultu tribuendum esse sentio.

JOANNES ANTONIUS Castelli Episcopus Catharensis.

Numquam latere potuit beati Josephi a Leonissa virtus; compertum enim est eum ab ineunte pueritia, innocentia morum, orationis studio, misericordia in Pauperes, singulari erga Virginem Dei Genitricem pietate, eximia futurae Sanctitatis indicia dedisse;

et ubi Capuccinorum Institutum amplexus est, et prudentem, et Superiorum dicto obsequentem, et patientem injuriarum, et paupertatis, Religionis charitatisque maxime studiosum se praebuit. Zelo salutis animarum inflammatus, dum potuit Constantinopolim sese contulit, ut Turcarum Tyrannum ad veram Religionem colendam induceret; sed ab improbis satellitibus, diris, neque unquam alias auditis tormentis cruciatus, ab iisque divina ope, nec sine singulari prodigio liberatus in Italiam rediit, ubi diu cum munus Apostolicum obiisset, plenus meritorum e vita mortali decessit, miraculorum laude in vita et post mortem illustris. Erit proinde, BEATISSIME PATER, cur omnes plaudant gratulenturque Ecclesiae, si Virum tanta sanctitate morum tantoque desiderio propagandae Religionis catholicae flagrantem infallibili Sanctitatis Vestrae Decreto Sanctorum Albo adscriptum esse intellexerint.

NICOLAUS MARIA Calcagnini Episcopus Civitatis Ducalis.

Vitam quam sibi a Deo singulari servatam beneficio B. Joseph agnoscebat, ab ipsa pueritia totam in sanctis operibus instituit atque transegit. Ut vero facilius finem consequeretur sibi propositum, sacrae Capuccinorum Familiae nomen dedit, ibique Instituti sui asperitatibus majoribusque aliis voluntate sua susceptis cruciatibus Apostolici muneris maximos adjunxit labores, quos dum in evangelizandis Pauperibus, Peccatoribus ad sanam frugem revocandis, Infidelibusque ad Christi Domini fidem convertendis ex obedientia libentissime tolerabat, dignus habitus fuit, ut contumelias atque tormenta pro Jesu nomine Constantinopoli pateretur. Tantum igitur orthodoxae Fidei Heroem a Deo miraculis illustratum dignum plane existimo, qui a SANCTITATE VESTRA conscriptis in Albo Sanctorum Coelitibus superaddatur.

D. INNOCENTIUS Gorgoni Episcopus Pinnensis et Hadriensis.

Beatus Josephus a Leonissa adolescens egregium adolescentibus exhibuit christianarum virtutum exemplum, in Capuccinorum Ordine severissimo vitae suae genere brevi omnibus factus est evangelicae perfectionis exemplar; in concionandi, quod divino quodam fervore exercuit, munere Apostolicum studium, et in persecutionibus immanibusque quibus ab Infidelibus vexatus fuit, cruciatibus Martyrum constantiam charitatemque ostendit, ac Deus, ut eum glorificaret, e persecutorum manibus visibilis Angeli ministerio eripuit; renovato evangelico prodigio semel atque iterum fecit, ut modico pane hominum multitudinem satiaret; atque tot tantisque miraculis etiam post mortem illustravit, ut non dubitem, quin Te decernente, BEATISSIME PATER, Sanctorum corona et gloria sit condecorandus.

Auditis singulorum suffragiis, preces quoque eorum implorans Sanctitas Sua, ut supernum lumen in re tanti momenti sibi demereretur e Caelo, subdidit.

Venerabiles Fratres. Intelleximus suffragia vestra de causa beati Josephi a Leonissa, pro quibus ferendis ad Deum Vos prius confugisse, idemque facturos etiam non dubitamus, ut caeleste lumen Nobis impetretis. Attamen Vos magnopere hortari non praetermittimus, ut privatim ac publice easdem preces suscipiatis, cum Vos minime lateat quantam vim habeant illae precationes, quae publice et Ecclesiae nomine indicuntur.

Orationi Pontificiae cum fuisset finis impositus, ut de ea et de Suffragantium sententiis Instrumenta conficerentur, Protonotarios interpellavit ex more D. Toppi Camerae Apostolicae Procurator Generalis his vocibus.

Ego Johannes Philippus Toppi Sanctissimi Domini Nostri et Camerae Apostolicae Procurator Generalis rogo Vos omnes Protonotarios et Notarios Apostolicos hic praesentes, ut de sententiis consilio et unanimi consensu Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione et deliberatione praehabitis super solemni Canonizatione beati Josephi a Leonissa, unum vel plura, publicum seu publica conficiatis Instrumentum vel Instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Conficiemus Collegii nomine Protonotariorum Decanus respondit, eosque adhibuit testes, qui hinc et inde adstabant Pontifici, dicens: *Vobis Testibus:* Hoc autem postea Instrumentum edidit.

Instrumentum a Decano Protonotariorum rogatum pro quarto Semipublico Consistorio.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Praesenti hoc publico Instrumento Nos Protonotarii Apostolici de numero Participantium cunctis lecturis pariter et auditoris ubique indubiam plenamque fidem facimus et testamur. Quod Anno ab Incarnato Verbo Millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, Indictione nona Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Divina Providentia Papae XIV. Anno VI. die vero XIII. Junii Feria II. Idem Sanctissimus Dominus peracto prius maturo et rigoroso examine super virtutibus, meritis et miraculis beati Josephi a Leonissa Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum inter Sanctos conscribendi, ne diuturniori cunctatione praelaudato Dei Servo cultus et Sanctorum decernendi honores protraherentur: In Aula quae in Quirinali Palatio pro Ducali est, habuit Consistorium Semipublicum (quod in re tanti momenti juxta suorum Praedecessorum Ordinationes reliquum erat) ab Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus, et a Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis super solemni ejusdem beati Josephi peragenda Canonizatione sententias de more suscepturus.

Congregatis propterea die et hora designatis in praedicta Aula Ducali Eminentissimis Cardinalibus, Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis suffragatoris, Summus Pontifex consuetis sacris Vestibus et Pluviali rubri coloris indutus, ac simplici Mitra exornatus, statim ac ad eandem Ducalem Aulam solito Ritu, solitoque comitatu inter Eminentissimos Carolum Marini et Alexandrum Albanum antiquiores Diaconos Cardinales pervenit: Producto prius super convocatis Patribus Crucis signo, ex eminenti Sede in quam illico se receperat, brevi ornataque Allocutione eorum super habenda beati Josephi a Leonissa Canonizatione sententias efflagitavit, spe certa fretus, quod opem et lumen, quod ab inexhausto divinae sapientiae fonte in tanta ab ipso suscipienda deliberatione praestolabatur per eorum consilia et judicia apertius Altissimus sibi manifestare non dedignaretur.

Vix Sanctissimus Pater quid ab amplissimo Cardinalium Senatu et ceterorum Patrum Consessu exquireret, luculenter ostenderat, quod Eminentissimus Carafa Episcopus Albanensis, utpote inter Cardinales qui aderant antiquior, summatim recensitis vitae austeritate ac sanctimonia ceterisque virtutibus, meritis et miraculis, quibus Sanctum suum Altissimus mirificavit, primus sententiam suam reverenter exposuit, et enixis precibus Sanctissimum Dominum oravit, ut beato Josepho qui jampridem coronam gloriae a Deo meruerat in Caelis, tandem inter Sanctos relato corona justitiae a summo Christi Vicario tribueretur in terris.

In eundem ferme sensum easdemque prorsus in preces iverunt reliqui, qui intererant, et suffragati fuerunt Eminentissimi Patres. Nimirum.

Franciscus Tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Burghesius.

Antonius Xaverius Tit. S. Stephani in Monte Caelio S. R. E. Presbyter Cardinalis de Gentilibus.

Fr. Joannes Antonius Tit. SS. Silvestri et Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Cardinalis Guadagni.

Trojanus Tit. S. Caeciliae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Aquaviva.
Dominicus Tit. SS. XII. Apostolorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Riviera.
Joannes Baptista Tit. S. Mariae Angelorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Spinola.
Raynerius Tit. S. Sabinae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Ilcio.
Dominicus Tit. S. Bernardi S. R. E. Presbyter Cardinalis Passionei.
Silvius Tit. S. Priscae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Valentibus.
Fr. Joachimus Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Portocarrero.
Camillus Tit. SS. Joannis et Pauli S. R. E. Presbyter Cardinalis Paulutius.
Carolus Albertus Guidobonus Tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyter Cardinalis Cavalchinus.
Fridericus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Lantes.
Franciscus Tit. S. Mariae de Populo S. R. E. Presbyter Cardinalis Riccius.
Antonius Tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter Cardinalis Rufus.
Philippus Maria Tit. S. Agnetis extra Moenia S. R. E. Presbyter Cardinalis de Montibus.
D. Fortunatus Tit. S. Matthaei in Merulana S. R. E. Presbyter Cardinalis Tamburinus.
D. Joachimus Tit. S. Crucis in Hierusalem S. R. E. Presbyter Cardinalis Besutius.
Carolus S. Mariae in Via Lata Diaconus S. R. E. Cardinalis Marini.
Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus S. R. E. Cardinalis Albanus.
Nereus S. Eustachii Diaconus S. R. E. Cardinalis Corsinus.
Agapitus S. Agathae in Suburra Diaconus S. R. E. Cardinalis Mosca.
Carolus Maria S. Mariae in Porticu Diaconus S. R. E. Cardinalis Sacripantes.
Marius SS. Cosmae et Damiani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bolognettus.
Prosper S. Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Columna de Sciarra.
Alexander S. Mariae in Aquiro Diaconus S. R. E. Cardinalis Tanarius.
Hieronymus S. Adriani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bardi.
Dominicus SS. Viti et Modesti Diaconus S. R. E. Cardinalis Ursinus.

Post Eminentissimorum Cardinalium sententias facta fuit Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, tam Assistentibus Pontificio Solio, quam non Assistentibus suffragandi facultas, et protinus (initio a Patriarchis desumpto) suffragari coeperunt Reverendissimi DD.

Mundillus Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus.
Antonius Maria Pallavicinus Patriarcha Antiochenus.
Thomas Cervini Patriarcha Hierosolymitanus.
Gabriel Eva Archiepiscopus Cypri Syrus, qui patrio prius, deinde latino idiomate tulit suffragium.
Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanus.
Joseph Maria Ferroni Archiepiscopus Damascenus.
Joannes Franciscus Stoppani Archiepiscopus Corinthi.
Michael de Palma Archiepiscopus Theatinus.
Stanislaus Poliastri Archiepiscopus Rossanen.
Ferdinandus Maria de Rubeis Archiepiscopus Tarsi.
Joannes Andreas Tria Archiepiscopus Tyri.
Nicolaus Carafa Archiepiscopus Philippensis.
D. Ferdinandus Romualdus Guiccioli Archiepiscopus Ravennaten.
Felix Solatius Archiepiscopus Thebarum.
Antonius Fonseca Episcopus Æsinus.
Nicolaus Michael Abbati Episcopus Scyllacii.
D. Placidus Pezzancheri Episcopus Tiburtinus.
Bernardus Antonius Pizzella Episcopus Constantien.
Fr. Paulus Alpheran de Bussan Episcopus Meliten.
Alexander de Abbatibus Episcopus Viterbien. et Tuscanen.

Nicolaus Franciscus de Bonhome Episcopus Carpasien.
Ludovicus Antonius Valdina, olim Cremona Episcopus Hermopolitanus.
Fabricius Borgia Episcopus Ferentinus.
Hippolytus e Rubeis S. Secundi Episcopus Senogallien.
D. Paulus Thomas Marana Episcopus Asculanus.
Fr. Silvester Merani Episcopus Porphyriensis.
Nicolaus Mancinforti Episcopus Anconitanus.
Antonius Cantoni Episcopus Faventinus.
Paulus Bonavisa Episcopus Spoletinus.
Caesar Bonajuti Episcopus Pharen.
Marius Maffei Episcopus Fulginatensis.
Guido Ursellus Episcopus Caesenatensis.
Hyacinthus de Silvestris Episcopus Nepesinus et Sutrinus.
Leo Lucas Vita Episcopus Oppiden.
Ægidius Antonius Isabelli Episcopus Aliphanus.
Joannes Antonius Bachetoni Episcopus Anagninus.
Franciscus Antonius Spadea Episcopus Aquinas et Fregellarum.
Joseph Schirò Archiepiscopus Dirrhachinus, qui patrio prius, deinde latino idiomate tulit suffragium.
Sergius Alexandri Armenus Archiepiscopus Caesareae Cappadociae, qui patrio prius, deinde latino idiomate tulit suffragium.
Stephanus Assemanus Archiepiscopus Apameae.
Bernardinus Vari Episcopus Civitatis Castellanae et Hortae.
Joannes Innocentius Episcopus Fagarasiensis, patrio prius, deinde latino idiomate suffragium emisit.
Pompejus Compagnoni Episcopus Auximanus et Cingulan.
Jacobus Philippus Consoli Episcopus Amerinus.
Josephus Coppola Episcopus Aquilanus.
Joseph de Rubeis Episcopus Venafranus.
Hieronymus Lorenzi Episcopus Acernen.
Joannes Franciscus Cavallini Episcopus Alatrinus.
Nicolaus Cioffi Episcopus Soranus.
Joannes Antonius Castelli Episcopus Catharensis.
Nicolaus Maria Calcagnini Episcopus Civitatis Ducalis.
Innocentius Gorgonius Episcopus Pinnen. et Hadrien.

Qui omnes concorditer non solum beatum Josephum a Leonissa inter Sanctos merito cooptandum (sapienti unusquisque suo prolato judicio) existimarunt; verum etiam et apud Sanctitatem Suam reverenter institerunt, ut eidem Dei Servo supremis Sanctorum honoribus delatis, novum in eo augeretur Ecclesiae praesidium et ornamentum, novumque admirabile et prorsus inauditum pro animarum salute charitatis et propagandae Religionis ardoris et fortitudinis in vinea Domini laborantibus exhiberetur exemplum.

Summus Pontifex suffragiis omnibus absolutis, cum libenti laetoque animo percepisset Venerabilium Fratrum sententias et preces, idem a se exposcere, quod et ipse jam diu vehementer optaverat, eosdem Venerabiles Fratres iterum allocutus monitos eos esse voluit in sequenti et ultimo Consistorio in Causam Canonizationis beatae Catharinae de Riceiis habendo indicturum se diem, qua celebrari deberent solemnia Canonizationis tum praedicti beati Josephi a Leonissa, quam aliorum beatorum Fidelis nempe a Sigmaringa, Camilli de Lellis et Petri Regalati, quos ipse nuperrime in praeteritis Consistoriis Sanctorum nomine et cultu donandos Aris designaverat.

Sanctissimus Dominus facto loquendi fine, finem quoque Consistorialis fecit Actionis; sed priusquam Sanctitas Sua et Eminentissimi Patres consurgerent, et e Conventu discederent, Procurator Generalis Reverendae Camerae Apostolicae rogavit Nos Protonotarios Consistorio praesentes, ut de praehabitis a Sanctissimo Domino Allocutionibus, deque consilio, sententiis, unanimique Patrum consensu pro solemni beati Josephi a Leonissa Canonizatione ad perpetuam rei memoriam unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum vel Instrumenta conficeremus.

Ad hujusmodi praefati procuratoris Generalis R. C. A. instantiam confestim Ego Fran-

ciscus Maria Protonotarius Riccardi Protonotariorum Collegii Decanus ejusdem Collegii mei nomine respondi: *Conficiemus:* Et ad Familiares Sanctitatis Suae conversus eos super omnibus quae peracta fuerant, his verbis in testes adhibui: *Vobis Testibus*.

Acta sunt haec in Quirinali Palatio die, mense et Anno quibus supra, praesentibus Illustrissimis DD. Paulo Zani Bononiensi, et Josepho Maria Puoti Neapolitano ab intimo Sanctitatis Suae cubiculo ad hoc specialiter vocatis, habitis atque rogatis.

In quorum fidem Nos Protonotarii Apostolici de numero Participantium requisiti et rogati praesens hoc Instrumentum confecimus, subscripsimus et publicavimus, solitoque Collegii nostri sigillo muniri, et in nostro Archivio, ut futuris temporibus horum omnium perenne semper extet documentum, Secretario nostro perdiligenter asservari et subscribi mandavimus. Actum ubi supra praesentibus quibus supra Testibus ad praemissa vocatis, habitis atque rogatis.

Ita est Franciscus Maria Protonotarius Riccardi Decanus.

Loco ✝ Signi.

Franciscus Dominicus Clementi ejusdem Collegii Secret.

Absentium EE. S. R. E. Cardinalium, Archiepiscoporum, et Episcoporum ab Apostolico Conventu hic recensentur exaranturque sententiae, jussu Sanctissimi Patris ad Secretarium Congregationis Sacrorum Rituum, ut in ejus Tabulis perpetuo asservarentur, a quoque transmissae.

THOMAS Episcopus Ostien. et Veliternensis Sacri Collegii Decanus, Vice-Cancellarius Cardinalis Rufus.

Beatus Josephus a Leonissa virtutem auspicatus ab ubere, aevi exordium peculiari quadam pietate, et pueriles annos constanti Religione consecravit. Cum adhuc adolescens in illustri Capuccinorum Ordine Deo se victimam devovisset, praeconcepta virtutum ejus semina heroicam in frugem eruperunt. Harum Regina Charitate dirigente gressus ejus, peccatoribus, iis maxime qui perversae consuetudinis mole pressi in profundum malorum venerant, semetipsum exhibuit sicut Dei Ministrum in laboribus assiduis, in jejuniis plurimis, in multa humilitate, in invicta patientia. In eadem charitate non ficta conversus etiam ad Gentes, quae ignorabant Deum, atque ipsas opportune importune docere conatus verbum veritatis, tribulationes et contumelias, et angustias et vulnera fortissime sustinuit. Veruntamen cursum illum, quem renuente Numine abrumpere neque Tyranni neque tormenta potuere, in Crucis mortificatione divini amoris flamma feliciter consummavit. Haec quidem omnia insignium quoque miraculorum fulgore comprobata postulare videntur, ut caelestis hic Vir a SANCTITATE VESTRA in Sanctorum Album Apostolica auctoritate referatur, ut sit christiano Populo adjutor in praesentibus opportunitatibus et tribulationibus.

ANNIBAL Episcopus Portuensis Cardinalis Albanus S. Clementis nuncupatus.

Beatus Josephus a Leonissa alterum Sanctitatis lumen et ornamentum Aprutinae Provinciae in Regno Neapolitano, quam eximia vitae sanctimonia futurus esset illustris, a prima aetate patefecit multiplici christianae pietatis argumento Religioso Capuccinorum Ordini adscriptus virtutum omnium fulgore emicuit. Quum martyrii flagraret desiderio in Thraciam profectus, Constantinopoli multa praestitit, quae propagandae christianae Religionis ardorem et alienae salutis procurandae studium praecipuum ostendunt. In Italiam reversus Apostolicis laboribus complures a peccatis et vitiis revocavit, tum qua via potuit divinae gloriae incrementum provexit. Ardentissimae in Deum et Proximos charitati assiduas corporis afflictationes adjunxit. Orationi ac divinarum rerum contemplationi diu noctuque deditus, caelestis vitae genus in terris egisse visus est. Donis pluribus et miraculorum gratia a Deo exornatus, tam exacte humilitati suique despicientiae studuit, ut nihil posset esse despectius. Quum itaque B. Josephus virtutum omnium praestantia emicuerit, vivensque et mortuus multis a Deo miraculis sit illustratus, par cla-

rioribus catholicae Ecclesiae Viris sanctis merito dignus habetur, qui in eorumdem Album a BEATITUDINE VESTRA referatur.

VINCENTIUS Episcopus Praenestinus Cardinalis Petra, Major Poenitentiarius.

Tanta virtute tantoque studio propagandae Religionis excelluit beatus Josephus a Leonissa, ut cum sanctissimis viris, qui summa vitae innocentia munerisque Apostolici laude floruerunt, comparari merito posse videatur. Cum enim jam usque a prima aetate incredibili abstinentia, castitate morum, demissione animi, misericordia erga egenos, obedientia, charitate aliisque virtutibus inclaruerit, quas longum esset recensere; tum posteaquam sacro Capuccinorum Ordini nomen dedit, ubi ei Constantinopolim abeundi fidemque praedicandi facultas est data, tanto desiderio Infidelium convertendorum exarsit, ut cum eo appulit, singulari Dei auxilio Turcarum Tyrannum adire, eumque ad Christi doctrinam profitendam inducere constituerit. Quod si regiorum custodum scelere, qui illum pugnis, calcibus, omnique contumeliarum genere vexaverunt, impetrare non potuit quod optabat, quoniam tamen satellitibus traditum se extremo saevissimoque supplicio cruciandum vidit, ab eoque deinde divinitus liberatum, etsi angeretur, quod mori pro Christo nequiverit, rediit nihilominus in Italiam gaudens, quod dignus esset habitus pro nomine Jesu contumeliam pati. In hisce autem nostris Regionibus innumeris laboribus functus plenusque virtutum in Caelum evolavit, ubi tot meritorum coronam est, ut credimus, consequutus. Quare censeo dignum esse, qui a SANCTITATE VESTRA in Sanctorum numerum referatur.

JOSEPH Episcopus Tusculanus Cardinalis Accorambonus.

Religio, pietas, sui ipsius abnegatio et ferventissimus praesertim charitatis ardor, quo in Deum et Proximum beatus Joseph semper exarsit, quemadmodum Athletam Christi fortissimum uberrima gloria dignum in Caelis reddiderunt, ita meritissimum reddunt, ut supremo SANCTITATIS VESTRAE judicio inter Caelites referatur.

VINCENTIUS Episcopus Sabinensis Cardinalis Bichius.

Palmam martyrii, quam flagranti desiderio concupiverat beatus Joseph a Leonissa Sacerdos Professus Ordinis Minorum Capuccinorum, atque tetigerat, sed Deo disponente integre non fuerat assecutus, in coronam gloriae commutavit illi Deus protracto vitae curriculo, ut sic in longum animabus Proximi sui salutem afferret et merita cumularet, donec ad sui temporis consummationem perventus beatas scanderet sedes. Visibile voluntatis Dei Testimonium habuit beatus Joseph, quando Constantinopoli in odium Fidei catholicae ad mortem damnatus, atque pede manuque dexteris unco ferreo e sublimi suspensus, nedum fuit miraculose a morte servatus, sed post triduum martyrio lato ab Angelo liberatus ac sanatus remansit, divino ei dato mandato, ut ad Italiam remearet: Divinaque impleta voluntate, unum quod evasit martyrium coactum, in plura martyria commutavit voluntaria usque ad obitum, tempore in beneficium Proximi sui semper insumpto; propter quae mirabilis Deus glorificavit etiam in vita Sanctum suum, multiplicando praecipue per binas vices ad ejus supplicationes farinam usque ad satietatem famelicae multitudinis, primum Ocriculi, secundo Borbonii. Ad caelestem tandem Patriam evocatus plurimis aliis miraculis Sanctitatem Servi sui manifestavit Deus, quem si supremi Regis clementia corona gloriae in Caelis magnificat, devote a Fidelibus in hac terrestri patria convenit venerari.

NICOLAUS MARIA Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Lercarius.

SANCTITAS VESTRA divino illustrata lumine sacris Altarium honoribus elevatum christiano Orbi venerandum proponet B. Josephum a Leonissa, quem si in sortem Domini electum fuisse singulari ab ipsis incunabulis in eum collato beneficio manifestatum est, idipsum magis confirmarunt tot

tantaque vitae discrimina ac pericula, a quibus superna manu saepe liberatus fuit, et tot tantaque supplicia, quibus si non mortem martyrii, tamen poenas omnes invictissimo animo non semel expertus est. Nil itaque superest, nisi ut invictus Athleta Christi suo tandem lumine universam illustret Ecclesiam, et suo tueatur patrocinio.

RAPHAEL COSIMUS Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis de Hieronymis.

BEATISSIME PATER. Ineffabili semper dispositione providit Deus, ut suis apte temporibus exurgerent Viri Sanctitate conspicui, qui hominibus senescente Mundo in pejora ruentibus adjutrices manus porrigerent, et gliscentium vitiorum spinas de Ecclesiae vinea evellerent. Inter hos Josephi de Leonissa Ordinis Capuccinorum Sacerdotis Professi spiritum suscitavit, qui aemulatus charismata meliora ore simul et opere docuit quanta erga Deum charitate aestuaret, quanta in Proximum dilectione, quantoque contra vitia afficeretur odio, factus contra ea declamator acerrimus. Martyrii quoque ei non defuit animus, dum pro Christi fide amplianda vere Martyrum tormenta sustinuit. Signa quibus dum vixit, et post obitum etiam claruit, aeque testantur quam in eximio hoc Viro bene sibi complacuerit Deus. Justum ergo censeo, ut quem corona expressa signo Sanctitatis Dominus redimivit in Caelis, Sanctorum etiam laurea SANCTITAS VESTRA coronet in terris.

CAROLUS Tit. S. Mariae de Ara-Caeli Presbyter Cardinalis Calcagninus.

Fecit Dominus mirabilia cum Servo suo B. Josepho a Leonissa; dum ab adolescentia ita omnium virtutum amator fuit praecipueque pudicitiae, ut ad illam tuendam spretis domesticorum blanditiis atque precibus, hujusque mundi pompis laetus ac victor in Patrum Capuccinorum sodalitatem adscitus est: Vocatus igitur ad Francisci sequelam particeps fuit illius spiritus, quo terrena omnia despiciens ad instar Apostoli Pauli in carne extra carnem, in Mundo extra Mundum esse videbatur; caelestium enim contemplatio fuit illi assidua; Fidem cum charitate conjunctam et sancte servavit, et fideliter reddidit: In multa patientia fuit in suavitate, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis saepe solo pane et aqua contentus. Incensus martyrii desiderio nullis laboribus, nullis periculis pepercit; et quamvis neque ipse martyrio, neque martyrium ipsi defuerit, sola tamen ea mors defuit, quam unam, ut dissolveretur essetque cum Christo, cupiebat. Quas egregias virtutes ineffabilis Dominus multis insignivit miraculis: Unde jure merito Clemens XII. felic. record. eum inter Beatos recensuit. Superest modo, quia Deus ejus Sanctitatem novis innumerisque comprobat miraculis, ut a SANCTITATE VESTRA inter Sanctos referatur, quod universalis Ecclesia ardentissime exoptat.

HIERONYMUS S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.

Justorum *animas*, BEATISSIME PATER, *in manu Dei esse*, si quis unquam ostendit, id plane testatum nobis facit beatus Joseph a Leonissa, quem in ipsis incunabulis a proximo mortis periculo, non sine prodigio liberatum eum vitae cursum inivisse accepimus, qui totus non naturae fuerit, sed *dexterae Excelsi*: Haec ego dicens, non illum tantummodo vitae articulum intelligo, quo per triduum a Barbaris cruciatus caelesti ope ad pristinam corporis incolumitatem magno prodigio restitutus est. Non, inquam, hunc solummodo vitae articulum intelligo. Vita ipsius universa tot laboribus fatigata fuit, supra omnem pene fidem, ut nisi summi Dei Providentia, qui *in opportunitatibus adjutor est*, continuo pene miraculo praesidium tulisset, fieri non poterat, ut ejus vitae cursus ad longum tempus produceretur: *Adeo in omni pressura supra modum gravatus fuit*, ut Apostolus loquitur, *et supra virtutem, ut sublimitas virtutis ejus plane ex Deo protegente esset, et non ex ipso.* Qui enim fieri poterat, ut sexies, septies, undecies aliquando atque duodecies diversis in locis conciones haberet, non in persuasibilibus humanae Sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et Virtu-

tis, cilicio indutus ac lorica ferrea praecinctus saepe, aut nullo modo, aut mucidi panis fragmentis pastus, saepe aut imbribus madidus, aut aestu solis exustus, interdum febris etiam ardore cruciatus: Nimirum ex eorum numero erat, qui cum Apostolo dicunt: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, persequutionem patimur, sed non derelinquimur, dejicimur, sed non perimus, semper qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum.* Merito itaque ex Te optamus, SANCTISSIME PATER, ut novis Sanctorum honoribus ornetur B. Joseph: Ex quo illud etiam fiet ut novo argumento ostendatur Justorum animas in manu Dei esse, qui illis non caelestes tantum honores, verum etiam terrenos decernat.

SIMON Gritti Archiepiscopus Tyanensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Beatum Josephum a Leonissa infantia Deo praeordinatum, puerilis aeque ac virilis aetas Dei amori per virtutum Religiosarum eximia quidem opera arctissime intentum; ac magis magisque animarum multimodae promovendae saluti ad consummationem usque in immensum addictum; necnon rigidissimis sui corporis excruciatum mortificationibus, jejuniis ac poenitentiis, licet nihil in illo prope foret poenitendum, vel in terris Sanctum denunciarunt. Qui autem dat incrementum, Deus haud absimilem imparemque subinde prodigiorum ac miraculorum suam vocem praeseferentium, rite idcirco accuratissimaque lege perpensorum multiplici ostensione Servum suum illustratum voluit ac patefecit; ut eapropter tutissima exinde SANCTITATI VESTRÆ Josephum Sanctorum Albo adscribendi consurgat ratio; quod et Ecclesia catholica de glorioso suo milite, qui legitime certavit, terrena quaeque invicte protrivit, ac gloriosissimum de triplici communi hoste triumphum compertus est retulisse, gaudens atque laetabunda ante supremum Majestatis tuae Solium unanimi votorum concordia praestolatur, ad Filiorum suorum incitamentum, sui ornatum omniumque plane praesidium optatissimum.

JOSEPH MARIA Rufus Archiepiscopus Capuanus Assistens.

Quantus virtutum omnium chorus in Servo Dei beato Josepho a Leonissa Sacerdote Professo Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum effulserit, nemo est qui ignoret: Nihil quippe in eo fuit, quod Dei amorem Proximique sui charitatem non redoleret, quod non aedificaret fidem, quod Proximorum salutem non operaretur, quod non saperet Sanctitatem. Hic est ille fortissimus Christi Athleta, cui bonum fuit portare jugum ab adolescentia sua usque ad ultimum vitae spiritum, accepturus a Domino coronam justitiae, quam Deus promisit diligentibus se. Quamobrem cum beati Josephi Sanctitatis famae miraculorum accesserit gloria: executionem decretae a SANCTITATE VESTRA, ejusdem Beati Canonizationis humillime expectat tota Fratrum Capuccinorum sancti Francisci Familia, ut toti Orbi christiano novum sydus adfulgeat. Et ita etc.

MICHAEL MARIA Vincentini Archiepiscopus Theodosiae Assistens.

Tantum Sanctitatis fulgorem emisit innocens vita B. Josephi a Leonissa, cui Sanctorum honores decrevit oraculo sapientissimo SANCTITAS VESTRA, ut ejus gloriae addendae assentiri nemo prorsus dubitet; praesertim cum de humilitate et patientia, de vigiliis et oratione, de charitate ac Peccatorum conversione, de ceteris tandem virtutibus copiaque miraculorum maxima cogitemus.

Fr. ANTONINUS Camarda Episcopus Reatinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Quis et qualis homo fuerit B. Joseph a Leonissa, conjiciendum est ex appellatione et ex proprio vocabulo, quod augmentum interpretari non dubitatur. Ab ineuntis siquidem aetatis primordiis in omnium virtutum genere crevit proficiendo sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines. At ubi robustioris aetatis plenitudo advenit, missurus manus ad fortia egressus est in salutem animarum ut gigas ad curren-

dam viam totius charitatis, nullum timens malum adhuc ambulans in medio umbrae mortis. Nam a Turcico furore e sublimi crudeliter suspensus, tanquam e Cathedra Crucis Christi loquebatur de testimoniis ejus et non confundebatur. Angelica deinde ope post triduum liberatus, in labore et sudore vultus sui plenus gratia et fortitudine ambulavit per Oppida et Castella, per Vicos et Plateas, evangelizando verbis et exemplis, signis et prodigiis vitae viam demonstrando. Merito igitur Sanctorum Fastis adscribendus a SANCTITATE VESTRA censetur, qui tam invicto zelo pro Fidei dilatatione pugnavit, et pro animarum salute tam indefesso spiritu laboravit.

NICOLAUS XAVERIUS Santamaria Episcopus Cyrenensis Assistens.

Benedictus Deus, qui frigescente in cordibus hominum charitate non sinit eam extingui, sed per Electos quosdam veluti novos Apostolos renovat, et accendit, B. Josephum a Leonissa ad hoc ministerium elegit, quem ab incunabulis divinitus servatum evangelicae perfectioni ac praedicationi consecravit. Is enim humilitatis, obedientiae, orationis, poenitentiae ceterarumque virtutum cultor assiduus, pro Dei gloria et animarum salute innumeros labores et aerumnas perpessus verbo et exemplo Christianorum depravatos mores ad meliorem frugem passim revocavit, et contumeliis, probris, verberibus appetitus gaudebat, quod talia pati dignus haberetur; nec unquam animam suam pretiosiorem fecit quam se, immo pro nomine Jesu libentissime tradidit; et quamvis martyrio mors, non tamen martyrio voluntas, non voluntati martyrium, neque ipsi gloria defuit. Hunc proinde beatum Virum, cujus heroicae virtutes praeclaris miraculis rite probatis confirmatae fuerunt, dignissimum censeo, qui ab infallibili Apostolatus Tui voce in Sanctorum numerum referatur.

NICOLAUS Simoni Episcopus Marcianensis Assistens.

Divino plane consilio ac beneficio morti ereptus Joseph a Leonissa, ab Infidelibus tutiores se transtulit in Regiones ad Apostolicum exercendum ministerium: Gloriam vero Dei quaerens non suam, agrestem gentem et ignobiles pagos selegit, in quibus seminaret verbum Dei, unde fructus uberes retulit in patientia. Decet propterea, ut Viri Dei virtutes resque praeclare gestas in sublimiori Ecclesiae loco positas admiremur, imitemur, veneremur.

NICOLAUS Spinelli Episcopus Aversanus Assistens.

Domestica vita integerrime traducta minime contentus beatus Joseph a Leonissa sibi ex umbra ad solem prodeundum existimavit, remotissimasque petiit Regiones Captivos ex Infidelium tyrannide in libertatem vindicaturus; ubi extrema quaeque perpessus, miraculo a periculis dirissimisque suppliciis superstes fuit: Licet omnigena excultus eruditione, tantum villas et agrestium virorum mapalia lustravit verbum Dei depraedicaturus: Omnes virtutes mirifice coluit; praecipue tamen praestitit in pauperes liberalitate, quos aluit etiam ex ventre defraudato. A miraculis ante et post mortem editis clarissimus fuit. Quae omnia cum rite probata sint, comite supremo judicio SANCTITATIS TUÆ illum Sanctorum Albo adscribi, ac publico solemnique Christifidelium cultu donari posse existimarem.

MARCUS ANTONIUS Amalphitanus Episcopus Ortonen. et Campien. Assistens.

BEATISSIME PATER. Beatus Joseph a Leonissa Sacerdos Professus in Ordine Minorum sancti Francisci Capuccinorum ab ipsa jam pueritia caelestem vitam ducens futurae Sanctitatis praetulit indicia. Inter Religiosos praefati Ordinis Capuccinorum adscitus, nedum laboriosam asperrimamque vitam evocavit, rigidissimi Ordinis Instituta exacte servando, sed ad carnis macerationem voluntaria supererogavit poenitentiae opera, nempe flagellationes, cilicia, assiduum jejunium et abstinentias. Constanti cura et studio rerum caelestium contemplationi jugiter se exercuit. Zelo catholicae Religionis propagandae inflam-

matus nihil ei gratius poterat evenire, quam si inter supplicia quaelibet acerbissima fidem suo sanguine confirmaret, et jam crudele martyrii genus a Barbaris invicto animo sustinere meruit, etsi mirabiliter ab Angelis ereptus non exhalaverit animam. Ad Italiam postremo Praedicator missus, potens opere et sermone, infatigabilis Evangelii Praeco sive in Pagis, sive in Villis locisque campestribus fuit, et cum ingenti animarum fructu charitatis suae viscera in omnes dilatavit. Merito hinc nedum inter sanctos Confessores, sed de numero inclytorum Martyrum dici poterit; cum non tam mors, quam fides et devotio Martyrem faciat: Cumque Deus omnipotens in confirmationem tot insignium virtutum et meritorum clariora signa et miracula peregerit, eisque coruscantibus ejusdem beati Josephi Sanctitas effulgeat; sane haec omnia exposcunt, ut SANCTITATE VESTRA annuente in Sanctorum Albo referatur.

LUDOVICUS Savagieri Episcopus Tempensis.

Nihil est quo magis delectentur Fideles, quam dum Jesu Christi virtutes ac prodigia renovata admirantur. Divinus enim ille subito in mentem venit amor, quo Deus Unigenitum dedit, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes. Qui res a B. Josepho de Leonissa gestas expenderit, hanc in se delectationem et laetitiam sentiat necesse est. In eo enim terrenarum rerum omnium contemptum, mortificationem, qua Christi Crucem in suo corpore gessit, patientiam, qua persecutiones immanesque pertulit cruciatus, et prodigia illa admirantur, quibus semel atque iterum modico pane turbas satiavit. Denique Angelum consolatorem atque ab infidelium manibus liberatorem habere meruit. Igitur cum miraculis post mortem patratis, de ipsius gloria Deum eos certiores fecisse credant Sodales sui, ceterique Fideles ea spiritus laetitia permoti abs Te, BEATISSIME PATER, Sanctum declarari cupiunt, ut publico cultu ac veneratione praeconceptam in ipsum pietatem liberius explicari valeant. Decet autem meo judicio atque expedit, ut inter Sanctos recensito, novo hoc virtutum exemplari, novoque apud Deum Intercessore donentur.

ANTONIUS Franci Episcopus Crassoti.

Ea est, BEATISSIME PATER, series vitae B. Josephi a Leonissa, ut ipsa sola peculiares eas omnes virtutes ac merita, quae in singulis iis, quos Sanctorum Fastis adscribere intendit SANCTITAS VESTRA, complecti quodammodo videatur. Quis enim in eo B. Fidelis constantiam zelumque fidei singularem, B. Camilli ardentissimam charitatem, B. Petri Regalati summam vitae austeritatem, B. Catharinae de Ricciis incontaminatam virginitatem non admiretur? Quam igitur aequum sit, ut quae singulis praeparantur praeclarissima virtutis praemia, B. Josepho a Leonissa conferantur, nemo ut puto, est qui non videat.

THOMAS ALEXIUS de Rubeis Episcopus Aprutinus.

Suffragium praestans, BEATISSIME PATER, pro Sanctificatione B. Josephi a Leonissa, quam breve dicendi genus invenire cupiebam, quod gravitate, splendore et claritate dignum esset; at mihi antiquissimum putavi admirationem vitae suae, non amplitudinem meritorum edicere

Mirum, SANCTISSIME PATER, in sancto Juvene morum suavitas, mira erga pauperes misericors pietas, mira castitas dum oblatas nuptias constanti pectore abhorruit: Mira denique asperis flagellis acerrima poenitentia.

Dato nomine sua sponte et spiritu Capuccinorum Familiae Concionator egregius evasit; Constantinopolim petiit Tyrannum impavido pectore de Religione colloquuturus: At novitate rei calcibus appetitus, pugnis, verberibusque affectus, martyrium subire coactus, unco e trabe per dexterum pedem et brachium appensus spiritum Deo dedisset, nisi Angeli patrocinio ereptus ad uberiorem messem in campo Ecclesiae fuerit reservatus.

Italiam reversus, lacessitus injuriis, hilaris patientiae fuit exemplar; humilitatem sectatus respuit semper honores: Verum terram effodere, domus verrere, lances detergere, vilia quaeque praestare minime abhor-

ruit Orationi perenni assiduus insomnes ducebat noctes, et in ecstasim raptus, quandoque itinerans flumen expanso pallio per socium sicco pede transivit.

Eapropter quod BEATISSIMUS PATER et Summus Pontifex inter sanctos Martyres, sanctum Virum, Aprutinorum decus adscribat non diffiteor: Magnum etenim nostri Protectorem Gregorium Sebastae in Armenia Episcopum non violentia tormentorum peremptum, Martyrem etiam veneratur Ecclesia.

Idcirco quod mirus Confessor et nostrae sanctae Fidei strenuus assertor, mirus in tolerantia uncini (Granchio dicti) pro S. Martyre et Confessore veneretur, inficias Patres non ibunt.

Quintum et ultimum in Causa beatae Catharinae de Ricciis supererat Consistorium; quod ex Sanctitatis Suae placito in sequentem Feriam tertiam indixere per hanc impressam schedulam Cursores.

INTIMATIO

Per Cursores facienda etiam Domi dimissa copia.

Ex semipublicis Consistoriis a Sanctitate Sua super futura quinque Beatorum in Sanctorum Album allectione decretis quintum et ultimum habebitur Feria tertia die 14. *Junii in saepedicta jam Aula Quirinalis Palatii* hora decimatertia *pro beata Catharina de Ricciis Virgine Sanctimoniali Professa Ordinis S. Dominici: Eminentissimis Patribus ac Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis suffragia ex more ferentibus.*

Intimentur itaque omnes et singuli Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales, necnon Reverendissimi DD. Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi in Urbe praesentes, ac Domini Protonotarii Apostolici, duo Antiquiores Rotae Auditores, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, Promotor Fidei et Procurator Fiscalis Camerae Apostolicae.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae.

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

Eodem etiam tempore Pontificii Cursores oretenus ut moris est, Eminentissimos DD. Cardinales admonuerunt de Consistorio secreto ante semipublicum habendo:

Mane ejus diei cum Sanctissimus Dominus noster sacris vestibus indutus in designata Consistorii Aula consedisset, ceteris statim exclusis, solus cum Cardinalibus de rebus Consistorialibus egit. His expeditis, potestatem dedit ingrediendi Patriarchis ceterisque aliis, quibus concessum erat in semipublicis Consistoriis adesse, iterum tamen inculcans, ne qui supervenirent foribus clausis, ullo modo intromitterentur; quoniam facile potuissent inopportuno accessu, adstantium attentum animum ab iis quae dicebantur, avertere. Ingredientibus propterea solummodo iis, qui expectabant ad fores, alii quamplures, qui in remotiori Palatii parte substiterant, vel sero advenerant, forte confisi secretum Consistorium longius protractum iri, sua spe frustrati introire prohibiti sunt: Hac de causa cum abessent a Consistorio tam Protonotarii, quam Advocatus Fiscalis Camerae Apostolicae, quorum postremus instare pro confectione Instrumenti rerum omnium, quae ibi gererentur, primi vero easdem literis mandare debuissent; defectum hunc supplevit Pontifex jubendo, ut infra dicetur. Itaque Praesules ingressi cum consueta scamna occupassent; suffragia de B. Catharinae Causa excepturus eos stantes, et Cardinales sedentes his verbis allocutus est Pontifex.

Venerabiles Fratres. In Apostolicis Actis capite vigesimo primo, in quo describitur iter, quod sanctus Paulus suscepit a Tyro Ptolemaidem, et ex eo loco ad urbem Caesareae, illud memoriae traditur, eundem S. Paulum una cum Sociis ingressum fuisse domum Philippi Evangelistae, seu Concionatoris Evangelii, qui sane Philippus, is facili conjectura judicatur, qui Eunuchum Can-

dacis Reginae Æthiopum sancto Lavacro expiaverat. Moram aliquam duxerunt illi in aedibus Philippi, cui erant quatuor filiae virgines ac prophetantes; quod si virginitatem illae non profitebantur voti ullius ratione, quo se Judaei obstringere minime consueverunt, tamen Religionis causa eas virgines fuisse non est dubitandum, quae prophetantes etiam nuncupantur, vel quod in concinendis divinis laudibus assiduo versarentur, vel quia futura praenunciarent: *Venimus Caesaream*, (ita scriptum est in sacris literis) *et intrantes domum Philippi Evangelistae, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiae virgines prophetantes.* Quod in itinere S. Pauli contigisse memoravimus, id Nobis etiam evenit in gravissimo hoc negotio, quod hodierna die ad finem sumus perducturi. Postquam septa aliorum Coetuum Regularium percurrimus, uti Vos ipsi ex praecedentibus Consistoriis perspicere potuistis, nunc ingredimur Claustra S. Dominici, qui non modo, sicut Philippus Evangelii Concionator fuit, sed etiam Ordinis Fratrum Praedicatorum primus Parens atque Institutor; et quemadmodum in aedibus Philippi quatuor ipsius Filias virgines prophetantes sanctus Paulus deprehendit, ita Nos in Claustris sancti Dominici quatuor etiam illius Filias invenimus, quae prophetantes appellari merito possunt, vel quia a divinis laudibus celebrandis nunquam cessarunt, vel quia futuros eventus antea denuntiarunt. Porro illae nominantur, Catharina Senensis, Rosa Limana, Agnes Montispolitiani, et Catharina de Ricciis. Pius II. Praedecessor noster Sanctorum Catalogo nomen Catharinae Senensis adjunxit. Clemens X. Praedecessor quoque noster Rosam Limanam: Benedictus XIII. de nobis optime meritus Agnetem Montispolitiani inter Sanctos solemniter retulerunt. Itaque ut quatuor istae Filiae prophetantes Sancti Dominici pari honore cumulentur, illud tantum superest, ut beatam Catharinam de Ricciis numero Sanctorum adnumeremus. Supervacaneum ducimus hoc loco referre ipsius Familiae praestantiam, optimam pueritiae institutionem, atque innocentiam, virtutis propositum, quo Coetui Regulari nomen dedit, et in quo constanter permansit, eximiam charitatem, qua Deum, et Proximum semper prosequuta est, singularem prudentiam, qua praefuit ceteris Monialibus longo temporis spatio, profundam humilitatem, incredibilem patientiam in pluribus ferendis incommodis, cumulum caelestium donorum, quae in ipsam Deus liberaliter contulit, pretiosam ejus mortem in conspectu Domini, Sanctitatis famam, quae constans fuit, cum adhuc in terris ageret, et postquam diem supremum obiit, ac tandem miracula, quae ob illius intercessionem obtigerunt. Cum haec omnia vestris oculis subjecta jam fuerint, illud reliquum est, ut mentem vestram de solemni ipsius Canonizatione decernenda Nobis declaretis.

Absoluta oratione primum Cardinales, mox Patriarchae ceterique circumstantes Archiepiscopi, Episcopi Assistentes et non Assistentes suffragium suum hoc ordine tulerunt.

PETRUS ALOYSIUS Episcopus Albanensis Cardinalis Carafa.

Beata Catharina de Ricciis ac si uni sibi dictum fuisset, quod habetur in Psalmo (a): *Audi filia et vide et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum Patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum*; ut aeterno Regi obtemperaret, seque illi formaret in sponsam, vix tredecim annos nata Patriam, Domum paternam, Patrem ipsum ac omnia, quae Mundi sunt aversata, virginitatem suam, seque totam Deo dicavit inter sacras Virgines, quas toto vitae suae tempore in suarum virtutum odorem pertraxit. Quibus allectus caelestis Sponsus, ut eamdem sibi similiorem redderet, spinoso diademate illi caput transfixit, Crucis vestigia ejus tergo impressit, Stigmata denique illius corpori insculpsit. Hisce porro tam splendidis signis ac characteribus ornatam; inter concinentium Angelorum choros, eamdem ad caelestes nuptias evocavit: Tantique honoris testes, etiam in terris esse voluit sanctum Philippum Nerium, et sanctam Mariam Magdalenam de Pazzis, multaque praeterea, quae post ejus mortem patrata sunt, miracula. Hanc autem sacram Virginem, cujus decorem Rex aeternus tantopere concupivit, ejusdem Nuptiis in Caelo perfrui, tam aequum censeo a SANCTITATE VESTRA definiri, quam quod maxime.

FRANCISCUS Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Cardinalis Burghesius.

Beatam Catharinam de Ricciis Virginem Florentinam ita commendant ingentes thesauri, quos in eam effudit Deus infinitae bonitatis suae, ut mirum non sit tot viros principes, tot populos, ipsamque adeo parentem ejus inclytam Praedicatorum Familiam, collatis studiis ejusdem a Te, BEATISSIME PATER, consecrationem postulare; neque in hoc tam frequenti Senatu extare adhuc aliquem, qui non jure meritoque hunc illi honorem putet tribuendum, quod idem cum et ego censeam, censurique etiam sint uti spero, qui post me sententiam dicent; nihilque sit reliquum quod causa desideret, illud modo restat, BEATISSIME PATER, ut parias nunc tandem quod jam diu parturis; ipsamque beatam Catharinam rite per Te dedicatam in Caelestium numerum referas.

ANTONIUS XAVERIUS Tit. S. Stephani in Monte Caelio Presbyter Cardinalis Gentili.

Vidit beatus Joannes Apostolus Civitatem novam Jerusalem descendentem de Caelo; Videbimus et nos paucos post dies Te Auctore, BEATISSIME PATER, Te e supremo Ecclesiae Solio decernente, beatos Dei Servos in Sanctorum numerum referendos, de caelesti Jerusalem quodammodo descendentes, ut gloriam jam diu adeptam in caelis consequantur in terris, quos inter non deerit flos et decus virginitatis, qua potissimum praerogativa effulget beata Catharina de Ricciis, quae ceterarum omnium virtutum ornamentis insignita in triumphali pompa nobilem locum obtinebit. De hujus Ancillae Dei sanctitate et eximiarum virtutum praestantia longius verba facere superfluum est, cum praeter ceteras probationes et argumenta in sacra Rituum Congregatione de more exhibita, accedant et testimonia luculentissima SS. Pilippi Nerii, et Mariae Magdalenae de Pazzis, et subsecutae divinae omnipotentiae miracula; quare id unum reliquum est, ut SANCTITAS VESTRA, tota Ecclesia plaudente beatam Virginem cum aliis in anteactis Consistoriis omnium consensu approbatis Sanctorum Fastis adscribat.

Fr. JOANNES ANTONIUS Tit. SS. Silvestri et Martini ad Montes Presbyter Cardinalis Guadagni.

Benedicente Domino, BEATISSIME PATER, Florentiae Civitas Sanctorum foecunda Parens dedit fructum suum, fructum quidem honoris et honestatis ad militantis Ecclesiae praesidium, ad inclyti Praedicatorum Ordinis decus et ornamentum; cogitans enim B. Catharina de Ricciis ut esset sancta corpore

(a) *Psal.* 44. *v.* 11. *et* 12.

et spiritu, per integrum vitae cursum in multa patientia, in tribulationibus, in laboribus, in castitate, in fide et charitate non ficta ardentem lampadem paravit caelesti Sponso, ut introiret cum eo ad nuptias: Quamobrem inter Seraphici amoris delicias supernaeque contemplationis dulcedines Infantem Jesum, in quem desiderant Angeli respicere, velut divinae futurae visionis arrham in ulnas suas obtinere promeruit, ac caelesti annulo desponsari. Hanc itaque Heroinam vinculis carnis exolutam, et ad aeterni Sponsi thalamum translatam, miraculis etiam a sacrorum Rituum Congregatione probatis coruscantem Sanctarum Virginum choro infallibili SANCTITATIS VESTRÆ oraculo aggregandam existimo, ut Sanctitatem ejus narrent Populi, et laudem ejus nunciet Ecclesia.

TROJANUS Tit. S. Caeciliae Presbyter Cardinalis de Acquaviva.

Virginem vere sapientem, BEATISSIME PATER, fuisse beatam Catharinam de Ricciis, quae cum caelesti Sponso ad nuptias intravit, mirabilibus signis Deus, ut ex monumentis patet, luculentissime demonstravit. Nostra igitur sententia est, ut per SANCTITATEM VESTRAM illius illustre nomen Sanctarum Virginum Fastis adscribatur.

DOMINICUS Tit. SS. XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis Riviera.

Eas omnes virtutes, quibus politae sunt sapientes Virgines et de numero prudentum, ab ipsis pueritiae annis beata Catharina de Ricciis complexa est. Antequam Monialibus S. Dominici nomen daret, purissimus in ea enituit mentis ac morum candor, cum assidua divinarum rerum contemplatione conjunctis. Ubi sacro habitu induta fuit, arctissimam paupertatem, singularem obedientiam et ferventem in Sorores charitatem praesetulit; ubi illis contigit praefici, humilitatis et prudentiae praeclarum specimen exhibuit: Ubi demum evulgata admirabilis hujus Mulieris fama nedum Florentiae, sed per totam fere Italiam Principes Viros in magnis dignitatibus constitutos ad eam invisendam evocavit, quam sedulo pietatis et poenitentiae studio, et quam demisse de se sentiret, quis non admiratus est? Tot tantisque virtutibus accessere S. Mariae Magdalenae de Pazzis, et S. Philippi Nerii de illius Sanctitate testimonia, et demum patrata in obitu et post obitum miracula, ante Beatificationem, et post illam rite comprobata, adeout, BEATISSIME PATER, sanctis Virginibus, quas caelestis Sponsus vigilantes invenit, jure censeam adnumerandam.

JOANNES BAPTISTA Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis Spinula.

Beatissime Pater. Beata Catharina de Ricciis insignis Ordinis Praedicatorum Alumna, tresdecim vix annos nata tam fortiter arduum perfectionis iter arripuit, tantaque animi constantia et alacritate est prosecuta, ut Deus vivam sui ipsius imaginem in illam contulerit, dataque dextera pretiosissimo caelesti annulo, adstante Deipara Virgine desponsaverit. Mirum autem fuit, quas quantasque res fuerit aggressa, quibus aucto insignium et heroicarum virtutum cumulo Sponso suo placeret. Eximia itaque Virgo, quae Sponso Divino fidem constanter servavit, cursumque suum optime fortiterque consummavit, indubie dignissima est, ut inter alias sanctas in Caelo triumphantes Virgines coopletur. Et quae tam exacte, tam luculenter sanctam Catharinam Senensem ejusque maximas et praecipuas virtutes est imitata, ejusdem etiam in terris referat honores et cultum.

RAYNERIUS Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.

Sanctorum foecunda Parens Hetruria novam eamque sanctissimam BEATITUDINI VESTRÆ exhibet hodie sobolem B. Catharinam nempe ex nobili et primaria Civitatis Florentiae Familia de Ricciis Dominicanae Religionis lumen et ornamentum.

Paternae illa domus divitias ac commoda, ceterasque seculi illecebras, *nobili quadam*, ut cum Petro Blefensi loquar, *superbia despexit*, et voluntariae paupertatis, Religiosae obedientiae, perfectissimaeque castita-

tis vota in Asceterio S. Vincentii de Prato solemni professione emisit. Terrenis ibi curis abdicatis tam arcto atque indissolubili nexu, cum Virginum Sponso se conjunxit, ut merito clamare potuerit: *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Quanto vero amore caelestis Sponsus Catharinam prosequeretur, frequentes et admirabiles Ecstases, in quibus cum ea etiam in terris familiariter conversari dignatus est, et ipsum sacrorum Stigmatum inaestimabile donum clare testantur.

Placeat igitur SANCTITATI VESTRÆ infallibili qua pollet auctoritate, declamare, B. Catharinam de Ricciis uti vere sanctam Virginem venerari posse et invocari.

DOMINICUS Tit. S. Bernardi Presbyter Cardinalis Passioneus.

Beata Catharina de Ricciis, BEATISSIME PATER, fuit vere Virgo sapiens, et una de numero prudentum; non enim ab ipsa exerceri potuit sapientia major, quam cum tot caelestibus deliciis et prope singularibus donis, quibus adeo largiter affluebat, acerrimum atque diuturnum odium sui et maximam animi demissionem conjungere; quantum vero prudentia et rerum usu, in retinendo severioris vitae Instituto praestiterit, ut divina et immortalia beneficia copiosissime sibi collata, contra calidissimi Hostis tueretur insidias, et arduum christianae perfectionis negotium dies, noctesque strenue urgeret, satis superque rem plane certam et testatam faciunt exiles cibi, breves somni, longa jejunia, arcta silentia, assiduae preces, uberes lacrymae, duri cruciatus, quibus fragilem corporis sexum in servitutem redigere, et fortiter coercere sategit: Hinc factum est, ut Dominus praeveniens eam in benedictionibus dulcedinis, suavissimis atque efficacissimis gratiae suae radiis undequaque illustraverit, et jugiter operi intentam et vigilantem invenerit. Cum itaque teste Cypriano Martyre, Virginum coetus sit *illustrior portio Gregis Christi*, consequens est, BEATISSIME PATER, ut excelsa primi Pastoris manus tantae Virgini imponat coronam in terris, quam ipsi in Caelis jam Dominus praeparavit in aeternum.

SYLVIUS Tit. S Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.

Novo a SANCTITATE VESTRA Religioni decreto triumpho, triumphalem aeque sapienter instituis pompam, BEATISSIME PATER, propter quam frequenti Christifidelium conspectu, totaque Urbe plaudente Vaticanum Templum superaddito ornamento rursus refulgeat. Debellatis siquidem vitiorum monstris, tanquam devicti hostis spolia, et ad instar subactarum Provinciarum praedae, tot praeclara virtutis genera praeseferat sacer solemnisque apparatus. Quae omnia cum in sublimi quadam parte, consilio ac prudentia SANCTITATIS VESTRÆ collocata fuerint, Civium animum de parta victoria, deque christianae Reipublicae acquisitis praesidiis et merito gratulari, et in Patriam ardentiori studio inflammari continget. Tot igitur tantisque praeclarissimorum facinorum, martyrii, poenitentiae, regularis observantiae, vehementis usque ad sanguinis effusionem charitatis, stipantibus undique trophaeis alterum accedere posse, quod innocentia, integritate puritate et morum suavitate beata Catharina de Ricciis Ordinis Praedicatorum Monialis, si SANCTITATI VESTRÆ visum fuerit, profecto censerem, ut Ecclesiae Fastus tam varia tamque eximia gestorum copia uberiores facti interrupta ac toties renovata divinae gratiae argumenta posteritati tradant, atque commendent.

Fr. JOACHIMUS Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Portocarrero.

Virginem castam exhibemus, BEATISSIME PATER, beatam Catharinam de Ricciis, laetitiam et honorificentiam Dominicani Ordinis, mira virtutum et miraculorum varietate circumdatam. Oblita haec Populum suum et domum Patris sui, mirabiles in suo corde disposuit ascensiones, et in meditatione exardescens hausit flammas in gaudio de Fontibus Salvatoris, manumque misit ad fortia: Tantumque inde illius virtuti accessit decoris et incrementi, ut Virgo sapiens effecta fuerit et digna quae plena lampade obviam ire caelesti Sponso potuerit; eique illibatam

quam vivens servaverat, reddere moriens continentiae dignitatem, nequaquam sterilem, ut verbis utar Augustini, sed heroicarum foecundam matrem virtutum. Merito igitur tantae Mulieris nomen pluribus a Caelo signis commendatum, sanctarum Virginum Albo SANCTITAS VESTRA decernet inserendum.

CAMILLUS Tit. SS. Johannis et Pauli Presbyter Cardinalis Paulutius.

Nemini sane dubium esse potest, PATER BEATISSIME, quin ad celsissimum Sanctitatis fastigium beata Catharina de Ricciis felici properoque cursu pervenerit. Ipsa siquidem a teneris usque annis probe cognoscens, plenitudinem legis, Apostolo teste dilectionem esse praeter alias virtutes, tanta in Deum charitate aestuabat, ut dies noctesque in contemplandis Dominicae vitae mysteriis absumeret, ut sui omnino oblita ac solius Dei memor, nihil vel cogitaret, vel loqueretur, vel ageret, nisi quod ad majorem Dei gloriam pertineret, adeout de ea praedicari merito posset illa Pauli sententia: *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus.* Mirum proinde non est, quod divinus Sponsus cum ea alloquens mutui sui amoris eximia argumenta praestiterit, quodque amplissimis eam charismatibus cumulaverit, et sacris humanae Redemptionis Stigmatibus insigniverit. Quare aequissimum censeo, ut quam Virginem virtutes omnibus numeris absolutae, atque praeclarissima miracula decorarunt, eam SANCTITAS VESTRA in Sanctorum Album referre non dedignetur.

CAROLUS ALBERTUS Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Cardinalis Guidobonus Cavalchini.

BEATISSIME PATER. Catharinam de Ricciis Virginem Deo acceptissimam et plane electam ex millibus, cum qua caelestis Sponsus ineffabili comitate deliciaretur, quis non dijudicet meritissime sanctarum Virginum numero adjungendam? Gloria virtutum ejus quum Te praecinente ac imperante praedicata fuerit omni creaturae, recreabuntur summopere quotquot illecebris mundi abdicatis, loci mentisque recessu, tanquam columbae in foraminibus petrae, ceu in Christi latere absconditae meditantur tota die magnalia Dei. Laetabitur vero praesertim et exultabit vehementer universa a S. Dominico instituta Familia ob illustriorem ex altera Catharina redditam virgineae prolis suae foecunditatem (a). Quanto enim (ut verbis Cypriani utar) plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.

FRIDERICUS Tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Lantes.

Cum virtutes B. Catharinae in eminentiori gradu, ac praeclara miracula rite ac ordine probata sint, nullam profecto moram interponendam esse arbitror, quominus Virgo sapiens et una de numero prudentum sacris Altaribus propius admoveatur. Virginis Sanctitatem enarrarunt gentes et laudem ejus annunciavit Ecclesia. Paulus III. Pont. Max. Catharinae viventis adhuc fama permotus, post sedulum ejus vitae examen, Roberto nempe Puccio Cardinali in id cura demandata, Sanctimonialis Foeminae virtutem est demiratus. S. R. E. Cardinales amplissimi Cervinius, Medices, Aldobrandinus, qui omnes deinde ad Apostolatus apicem evecti sunt, alii insuper Italiae ac Germaniae Proceres, inter quos Hetruriae, Bavariae, ac Mantuae Principes, qui ad eam invisendam Pratum se contulere, de mira Catharinae Sanctitate gravissima testimonia reliquere. Illam quod instar omnium sit, S. Philippus Nerius in primis coluit, et licet absens in spiritu quandoque est allocutus. Illam S. Maria Magdalena de Pazzis ad Superos evolantem conspexit. Tot igitur documentis confirmata sanctitate Virginis, quae in terris angelicam prope vitam duxit, et cujus odor meritorum sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus, aequum censeo, BEATISSIME PATER, haud diutius in sacris ei decernendis honoribus immorandum.

(a) *Lib. de Discipl. et habitu Virg. cap. 2.*

FRANCISCUS Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Cardinalis Riccius.

BEATISSIME PATER. B. Catharina de Ricciis morum integritate atque innocentia usque a pueritia clarissima Patriam, et paternam nobilissimam Domum relinquens, in Coenobio Pratensi reliquum suae vitae cursum transegit; ubi ad altissimum humilitatis, obedientiae et charitatis fastigium ita celeriter pervenit, ut mereri potuerit ab ejus caelesti Sponso tantis ac tam specialibus charismatum donis cumulari, ut vix unum aut alterum similia amoris indicia habuisse compertum sit.

Decet igitur, PATER BEATISSIME, quod huic mulieri virtutibus et miraculis adeo illustri tuae vocis oraculo novi cultus honores decernantur, ceterarumque sanctarum Virginum choro ejus etiam nomine adscripto.

ANTONIUS Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.

Fecit Dominus magna in corde B. Catharinae de Ricciis. Magna quidem fecit qui potens est, dum innocentiam cum poenitentia mirabiliter conjunxit, dum fide quae per dilectionem operatur, ad superna jugiter transferret, caelestia semper contemplaretur, Deiparam oculis visibiliter conspiceret, Puerum Jesum tenerrime complecteretur. Quinimmo annulo fidei ab ipso Redemptore, data dextera desponsaretur, eidemque semper adhaerens, unus spiritus fieret cum eo, ascensiones in corde suo disposuit Dominus, cum tamen superba non sapuit, profunda humilitate profecit, sibique ipsi perpetuo viluit. Respexit Dominus humilitatem Ancillae suae, cum precibus et lacrymis ejus liberaliter concessit, quod exteriora Sanctitatis signa in ea nulla apparerent, quod ad manus humilis Virginis perveniret volumen, in quo Moniales ejusdem virtutes et dona diligenter collecta exaraverant, statimque flammis addixit. Profecto, BEATISSIME PATER, haec est Virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quaeque obviam ivit Sponso lampade non vacua. Restat ut non sub modio, sed supra Ecclesiae candelabrum statuas lucernam, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

PHILIPPUS MARIA Tit. S. Agnetis extra Moenia Presbyter Cardinalis de Montibus.

Maturo examine satis comprobatum deprehendimus, beatam Catharinam de Ricciis Monialem Ordinis Praedicatorum non solum vitae sanctitate, sed etiam signis ac prodigiis divinis et dum viveret et post obitum claruisse. Eluxit in ea a teneris annis morum innocentia, illibata virginitas ac ardentissima in Deum et Proximum charitas, eamque adeo supernis divinae gratiae muneribus locupletaverat Dominus, ut cum Seraphicis ardoribus ageretur, vel caelesti annulo subharrata, vel spinea Corona redimita, vel Stigmatibus insignita non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totam in Christi similitudinem se transformandam agnoverit. Quamobrem Apostolatus Vestri, BEATISSIME PATER, dignitas exposcit, ut Virgo haec vere de numero prudentum non amplius lateat sub modio, sed super Ecclesiae candelabrum collocetur.

D. FORTUNATUS Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis Tamburinus.

Quinque prudentes Virgines Catharinae nomine vocatas referunt Ecclesiae Tabulae. Catharinam nempe Virginem et Martyrem Alexandrinam, Catharinam Suecorum S. Birgittae filiam, Catharinam Senensem, et quae nostris temporibus sanctarum Virginum Canoni inscriptae sunt, Catharinam Bononiensem, et Catharinam Adurnam. Hae jam cum Sponso ad nuptias intraverunt. At vero janua clausa non est. Etenim Catharina de Ricciis earum heroicas plane virtutes aemulata, easdemque assecuta, nuptiarum particeps intrare digna est; ac digna propterea, quam ad illas aggreges, BEATISSIME PATER, ut quae consors extitit earundem virtutum, et par meritorum gloria, parem item cum eisdem sanctis Virginibus in Ecclesia cultum obtineat.

D. JOACHIMUS Tit. S. Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis Besutius.

Optimos Virginitatis flores non tantum in memoriam redigere hominum, verum etiam in exemplum proponere atque in Tutelares destinare, tui summi Pontificii muneris est, BEATISSIME PATER, modo rite probatae fuerint ceterae virtutes heroicae, quibus lampades suas ornaverint sapientes Virgines. Cum autem luculentis Testibus expensae illae fuerint, quibus beata Catharina de Ricciis adornatur, easdemque Deus Optimus Maximus veras fuisse miraculis perspicuum fecerit, nihil esse quod impediat existimo, quin ipsam SANCTITAS VESTRA unam ex virginibus de numero prudentum, quarum in evangelica Parabola fit mentio, fuisse decernat. Ut quae vivens olim a caelesti Sponso beneficii loco petierat atque impetraverat, ut universis privaretur externis Sanctitatis indiciis et argumentis, modo in Caelis posita Virgo haec humilissima Apostolicae Sedis Oraculo gloria et honore in Ecclesia coronetur ac exaltetur.

CAROLUS S. Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis Marinus.

Beata Catharina de Ricciis, quae ultimo hic loco ratione sexus SANCTITATI VESTRÆ proponitur, tantum abest, ut pro ultima haberi debeat, quod potius in heroicis virtutibus caelestiumque donorum charismatibus, vel prae ceteris effulgere, vel eos saltem aequa sorte aemulari comperta fuerit.

Licet enim frequentibus sui Angeli, sanctissimaeque Deiparae Puerum Jesum in sinu gestantis et sibi sponsae annulum imponentis apparitionibus insigniri meruerit; adeo tamen humilis in tam sublimi gratiarum elargitione permansit, ut nihil ardentius quam in his pro viribus occultandis Sacramenta Regis abscondere concupierit.

Et adeo quoque fortis et patiens, ut non modo tot in corpore aegritudines et in spiritu ariditates alacriter sustinuerit, sed suaviora quoque in iisdem oblectamenta repererit.

Cum vero ob haec eadem perfectissimae charitatis opera et argumenta pluribus etiam miraculis aucta, nedum alias consueto minori ritu Beatae nomen adepta fuerit, sed duo alia post hunc cultum noviter subsecuta miracula ita efficaciter piissimis SANCTITATIS VESTRÆ auribus insonuerint, ut illis rite discussis et approbatis infallibili ejus judicio declaraverit, adeo insignem ejusdem Beatae sanctimoniam esse ubique terrarum solemni veneratione colendam

Nulli dubium esse potest, quin hunc maximum Apostolicae potestatis usum, quem ipsa eadem SANCTITAS VESTRA Deo aspirante faciendum esse decrevit, illo adjuvante non exequatur.

ALEXANDER S. Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Albanus.

Ad probandam B. Catharinae de Ricciis Monialis ex Ordine S. Dominici excelsam Sanctitatem nullum majus haberi potest testimonium quam ipsemet Servator noster Christus Dominus, qui eam data dextera et annulo Sponsae nomine appellavit, disjunctis a Cruce brachiis fuit amplexatus, et acerbissimae Passionis suae Stigmatibus insignivit. Tantis motus argumentis dignissimum duco, ut praeclarae Virgini, quae jam plaudentibus Angelorum Choris ad Sponsum evolavit, modo SANCTITATIS VESTRÆ Decreto universa plaudat Ecclesia.

NERIUS S. Eustachii Diaconus Cardinalis Corsinus.

Beata Catharina de Ricciis Civis mea tanta Sanctitate praefulsit, ut etiam dum viveret ea fuerit a Pontificibus Maximis, ab illustrioribus Sacri nostri Collegii Patribus, a Principibus totius Europae Viris, et, quod caput est, a sanctis hominibus spiritu caelesti adflatis, non solum oculato testimonio adprobata, verum etiam summa admiratione celebrata: Quapropter, BEATISSIME PATER, eam in Sanctarum Fastis describendam esse non dubitanter existimo.

AGAPITUS S. Agathae Gothorum in Suburra Diaconus Cardinalis Mosca.

Catharina de Ricciis nondum idonea pugnae, sed jam matura victoriae ostendit cur-

sum aetatis vincendum in se fuisse festinatione virtutis. Hinc perfectionis fastigium quam citissime conscendens, unguentorum suorum ita longe lateque diffudit odorem, ut sanctum Philippum Nerium ex Urbe, quin Urbem desereret, ad se traxerit, dulcesque secum sermones instruxerit. Ubi vero dulci Angelorum concentu, superventurae jam mortis praenuncio, facta est Civis Sanctorum et domestica Dei, vidit sancta Maria Magdalena de Pazzis qua celebritatis pompa, quove gaudiorum imbre perfusa in perpetuas introierit aeternitates. Quae igitur Sanctorum testimonio probata fuit dum viveret; quaeque plurimis effulget signis post mortem, hanc, BEATISSIME PATER, inter sanctas Virgines oraculo Tuo recensere exoptamus.

CAROLUS MARIA S. Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis Sacripantes.

Beatae Catharinae de Ricciis satis equidem est habere heroicae suae Sanctitatis in terris, et gloriae in Caelis assertores et testes luculentissimos sanctum Philippum Nerium, et sanctam Magdalenam de Pazzis, necnon Te ipsum, BEATISSIME PATER, qui divino prorsus consilio judicium certum daturus es, quod ab unoquoque nostrum est expectandum. Itaque non intexo praeconium splendidissimae vitae, neque recenseo praeclarissima miracula, sed Tibi gratulor, BEATISSIME PATER, qui tam ardentem lampadem inter ceteras in Domo Domini collocabis: Gratulor Dominicanae Familiae et Genti de Ricciis tanto decoratis ornamento: Gratulor denique toti Orbi christiano, cui licebit venerari in terris praeclarissimam Virginem, quam viventem Jesus elegerat sibi Sponsam et annulo suo subbarraverat.

MARIUS SS. Cosmae et Damiani Diaconus Cardinalis Bolognettus.

Id unum, BEATISSIME PATER, pro tantae solemnitatis corona, pro amplificanda Ecclesiae gloria superesse videbatur, ut una cum Martyris Confessorumque celebritate, aliqua sacra Virgo afferretur in laetitia et exultatione, et adduceretur in templum Regis Fidelium cultu excipienda. Occurrit propterea sacra Virgo Catharina de Ricciis, quam sancti Philippi Nerii, et S. Mariae Magdalenae de Pazzis probatam fuisse testimoniis, Signorumque coruscare gloria dixisse sat est, ut eam inter sanctas Virgines merito recensendam esse intelligamus (a): *O vere igitur beata Mater Ecclesia .... quam vincentium gloriosus Martyrum sanguis exornat, quam inviolatae confessionis candida induit virginitas! Floribus ejus nec rosae, nec lilia desunt, enumerat coronas vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas.* Tibi demum, BEATISSIME PATER, gratulandum quam maxime, cujus ministerio Ecclesia tanta circumamicta varietate refulget.

PROSPER S. Georgii Diaconus Cardinalis Columna de Sciarra.

Decreto solemni a Te jam pronunciato de tuto ad Canonizationem progressu B. Catharinae de Ricciis, post exactam discussionem virtutum et miraculorum patratorum etiam post indultam laudatae Beatae venerationem, restat, BEATISSIME PATER, ut annuere non dedigneris precibus inclyti Praedicatorum Ordinis, qui petit, postulat, flagitat adscribi inter Sanctas, ac in sanctarum Virginum Albo collocari B. Catharinam de Ricciis; et quamquam preces hujusmodi versari noscantur in arduo ac difficili negotio, cujusmodi est Sanctorum Canonizatio; attamen merito jureque optimo crederem tuto a Te ad dictae Beatae Canonizationem deveniri posse. Equidem B. Catharina de Ricciis, quam constat non solum vitae sanctitate, sed etiam signis et prodigiis divinis claruisse, si inter Sanctas accenseatur, erit veluti fax clarissima, quae in edito loco posita Mortalibus omnibus ad perfectionem facem praelucebit: In beata enim Catharina habebunt potissimum Virgines quod imitentur ad castitatem sartam tectamque servandam: Habebunt ceteri omnes quod sequantur, qui si dictae Beatae vestigia sequi non detrectabunt, brevi culmen heroicarum

(a) *Beda Serm.* 18. *de Sanctis.*

virtutum attingent, *ibuntque meae*, ut Propheta inquit, *de virtute in virtutem quousque videatur Deus Deorum in Sion*.

ALEXANDER S. Mariae in Aquiro Diaconus Cardinalis Tanarius.

Beata Catharina de Ricciis magnae fidei magnaeque spei et charitatis Virgo ab Angelo visibiliter erudita, ab Angelorum Regina frequenter adjuta, a Christo peramanter desponsata, innumeris a caelesti Sponso ornata charismatibus, innumerisque omnium virtutum meritis locupletata, cum Christo constanter vixit, ut perenniter cum ipso regnaret. Jam vero sapientem hanc Virginem feliciter ad Deum vivum pervenisse, in quem cum Regio Psalte cor ejus et caro ejus exultaverunt, et caelestibus Agni Nuptiis quas ardenter concupiverat, tranquille frui, clara et approbata miracula manifestant. Quam ergo sancti Martyres et Confessores in triumphanti Ecclesia immortalitatis aeternaeque gloriae sociam habent; eam quoque in militanti Ecclesia, pari qua ipsi fruuntur Sanctorum gloria et veneratione gaudere, nobiscum videant et laetentur.

HIERONYMUS S. Adriani Diaconus Cardinalis de Bardis.

Coronam quinque Sanctorum quam Altissimi Solio SANCTITAS VESTRA divino afflata spiritu proxima ac praeclarissima celebritate formabit, claudit B. Catharina de Ricciis, pretiosa illa Margarita non procul et de ultimis finibus quaesita, sed in propinqua et Sanctorum foecundissima Matre, Florentina Civitate inventa. Istam virginitate decoram et omnium genere perfectionum longo vitae curriculo claram Deus insignibus illustravit miraculis, quae vivens etiam in conspectu omnium Populorum et Principum ita patravit, ut Ecclesia usque tunc certo sciverit, quod Dominus Sanctam suam mirificavit.

Beatam hanc igitur Civem meam, laetitiam et honorificentiam Populi nostri, super qua Dominus dedit benedictionem, et terra nostra dedit fructum suum, humillime deprecor Sanctorum Fastis adscribi, ut quae triumphantis Ecclesiae gloriam novis titulis augebit, ita militanti patrocinium adaugeat et columen.

DOMINICUS SS. Viti et Modesti Diaconus Cardinalis Ursinus.

Beatissime Pater. Infallibili Sanctitatis Vestrae judicio divarum Virginum Fastis adscribenda merito est beata Catharina de Ricciis: Ista enim vere Virgo sapiens et una de numero prudentum usque ab adolescentia sua oculos avertens, ne respicerent in vanitates et insanias falsas, assidua heroicarum virtutum exercitatione perennem dedit suavitatis odorem: Hinc Angeli Custodis aspectu et sermonibus frequentissime recreari promeruit, Deiparam Christumque Dominum vel colloqui, vel amplecti, in admirabiles Ecstases rapi, sacris Stigmatibus imprimi..... Quid plura? Si ejus Sanctitas ex ipso divi Philippi Nerii, ac S. Mariae Magdalenae de Pazzis testimonio jam satis abunde est comprobata? Accipiat igitur de manu tua, BEATISSIME PATER, in terris coronam gloriae, quae jam de manu Domini recepit in Caelis Regnum decoris et vitae.

ANTONIUS MARIA Pallavicini Patriarcha Antiochenus Assistens.

Sanctiores Virgines alacriori virtutum studio aemulata Catharina de Ricciis a divino Sponso eisdem meruit charismatum donis locupletari. Ab ipso etenim desponsata, Redemptionis signis transfixa, Puerumque Jesum a Deipara in sinum excipiens, Dilectum suum ad se conversum, ac sua inter ubera commorantem laetanter gloriata est. Admirabilis insuper ejus Sanctitas divi Philippi Nerii, et S. Mariae Magdalenae de Pazzis testimonio comprobata, plurimis illustrata prodigiis jure expostulat, ut solemniori ritu novum beatae Catharinae decus accedat.

THOMAS Cervini Patriarcha Hierosolymitanus Assistens.

Beata Catharina de Ricciis, quae Virginitatem perpetuo illibatam servavit; quae Deum semper in corde habuit, semper in ore, sem-

per in opere; quaeque Christo ita semper adhaesit, ut illius Passionis ac sacrorum Stigmatum particeps fieri meruerit; vere dici potest Sponsa Christi: Cumque id ipsum plura testentur miracula, aequum est, ut inter prudentes Virgines Christi Sponsas ritu solemni adnumeretur.

ALEXANDER Borgia Archiepiscopus Firmanus Assistens.

BEATISSIME PATER. Inter electas Virgines quas Deus praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, beata Catharina de Ricciis Florentina Ordinis Praedicatorum adeo enituit, ut hujusmodi conformitatem conceperit mente, concupierit corde, retinuerit animo, exhibuerit corpore, donata a caelesti Sponso qui eam sibi mature delegit in hujus perfectae conformitatis argumentum, exterioribus signis mirum in modum carni ejus impressis. Quod si amoris magnitudinem ex acceptis donis metiri licet, profecto fateamur oportet Catharinam summo amore flagrasse erga Dominum nostrum Jesum Christum, cujus effigiem non in tabulis accepit manu figuratam Artificis, sed in membris carnis suae descriptam digito Dei vivi. Grande quidem privilegium et paucis admodum concessum. Fructum hunc illa tulit ex dominicae Passionis meditatione assidua, qua non solum summopere studuit se illi conformare, cui ex charitate nimia crucifigi complacuit, sed insuper in illum non per martyrium carnis, verum per incendium mentis ex ardentissimae charitatis vi transformari promeruit. Haec igitur Virgo a Clemente XII. Praedecessore Tuo Beatorum titulis ornata, novis (ut accepimus) a Deo illustrata miraculis a Te, BEATISSIME PATER, supremo judicio sanctis Virginibus adscribenda videtur, ac ubique gentium praedicanda et colenda, ut Christifideles ejus exemplo excitati, ejus precibus ac patrocinio adjuti Passionem Domini jugiter meditentur.

FELIX Solatius Archiepiscopus Thebarum Assistens.

Virtutes omnes, quibus vera Sanctitas comprobatur in beata Catharina de Ricciis in gradu heroico floruisse, ex ejusdem Actis satis evidenter apparet. Ipsa namque ab ineunte aetate igne divini amoris accensa, Mundi illecebras invicta fortitudine respuens, in profunda Passionis Christi contemplatione jugiter defixa, sacra Redemptionis Stigmata et Crucifixi imaginem corpori suo impressam meruit obtinere, dulcissimo Sponsae nomine a Crucifixo condecorari, et in divinos ejus amplexus admitti. Admirabili etiam charitate, humilitate, patientia, obedientia, Regularis Instituti exacta observantia excellens, continuisque orationibus, jejuniis et poenitentiis intenta, effecta est clarissimum christianae perfectionis exemplar. Hanc igitur Virginem virtutibus omnibus ornatam et dono miraculorum, Prophetiae, et cordium abscondita penetrandi eximiam, summis Populorum, Magnatum, Principum laudibus exaltatam, et testimoniis sancti Philippi Nerii, ac S. Mariae Magdalenae de Pazzis pro Sancta habitam, in Fastis pariter sanctarum Virginum supremo et infallibili Tuo judicio recensendam existimarem.

GABRIEL Eva Archiepiscopus Cypri Syrus Maronita Assistens.

Beata Catharina de Ricciis Florentina Monialis Ordinis sancti Dominici, tam amplis et plane singularibus dum viveret, illustrata a Deo fuit et cumulata charismatibus, ut ex iis certissima admirandae ipsius Sanctitatis argumenta evincantur. Memoriae siquidem proditum est, non modo illam Angeli sui Custodis aspectu frui consuevisse, sed etiam Angelorum Reginam seipsam saepe conspiciendam contemplandamque ei praebuisse, et Puerum Jesum in quem desiderant Angeli prospicere, in ejus sinu amantissime collocasse. Ut vero perfectam quantum hominibus fas est in se gereret Christi Domini imaginem, sacra Redemptionis Stigmata sinistro ipsius lateri, manibus, pedibusque, sanguineis quibusdam rutilisque notis fuisse insculpta; Spinoso diademate caput ejus transfixum; Crucis denique vestigia tergo ipsius profunde impressa. Tantarum autem Catharinae virtutum famae summam adjungunt auctoritatem sanctus Philippus Nerius, et sancta Maria Magdalena de Pazzis, qui tam admirabilem illius Sanctita-

tem non tam celebritate nominis, quam Deo auctore perspectam habuerunt. Itaque quam in terris Sancti suspexerunt, quam in Caelis Angeli, Deipara, et Christus ipse Sanctam praedicavit; eam sanctarum Virginum catalogo adscribi tuto posse sine ulla dubitatione pronuntio.

JOANNES ANDREAS Tria Archiepiscopus Tyri Assistens.

Ante diem legi Compendium vitae B. Catharinae de Ricciis huic, Te Praeside, Te Judice, augusto Coetui mihique ceteroquin opportune communicatum. Legi, inquam, et obstupui admirans quibus virtutibus a puerili aetate fuerit ornata, quibusque donis miserator Dominus ipsam illustraverit. Eo inter alia quod Angeli sui Custodis, et B. Virginis Mariae colloquiis non perraro frueretur, passim in Deum rapta mirabiles ecstases pateretur, in quibus arcana caelestia penetrabat; talisque inter Ipsam et Deum erat unio, ut Deus et Catharina foret quasi unus et idem spiritus, et cum Paulo dicere poterat: *Vivo non equidèm amplius ego, vivit autem in me Christus.* Hinc miro quodam splendore micabat, ubi praesertim Redemptionis recolebat mysteria, cujus Stigmatum signa sculpta, et spinoso diademate caput suum largiente Domino transfixum habere promeruit, nec ab acerbissimis Passionis Domini tormentis per duodecim annos fuit immunis. Mirabile est, quod Deipara pronuba ab ipso Redemptore data dextera caelesti annulo Catharina fuerit desponsata.

Interea ita de se demisse sentiebat, ut indignam se appellaret, et omni poenarum genere per annos quadraginta et octo se cruciari nunquam praetermisit. Unde fama Sanctitatis Catharinae, ac Deo auctore commoti S. Philippus Nerius, et S. Maria Magdalena de Pazzis literarum commercium cum ea inire voluerunt. Idem S. Philippus Romae commorans illius aspectum praesentem vidit, et cum ea pios sermones habuit, et eadem S. Maria Magdalena, cum Catharina ad Sponsi sui amplexus evolasset, Angelorum gaudio, quo in illa Caelesti patria fuit excepta, se interfuisse narravit.

Tot itaque stantibus, aliisque quampluribus praetermissis Catharinae Sanctitatis testimoniis, miraculis tam ante quam post ejus obitum comprobatis, dignum censeo, ut praesignata ejus Canonizatio ulterius non protrahatur.

SIMON Gritti Archiepiscopus Tyanensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Beata Catharina de Ricciis divina charitate, qua mirabiliter ab ipso propemodum rationis usu aestuabat, vulnerata, puerilibus amandatis longissime oblectamentis tumulata quodammodo viva, quod de sancta Melania Romana perhibetur, Mundo vixit tumulata; Angeli sui Tutelaris dignata vel in terris aspectu: Christum quoque Dominum in Cruce pendentem ex Icone a se adorata clare sibi colloquentem meruit audire, et auctioribus deinde cumulari de die in diem caelestibus donis, quibus in religioso avidissime suscepto, ac sanctissime consummato uberrime coruscavit ditata Instituto. Hujusmodi Angelicam in terris vitam Altissimus multifarie signis et prodigiis testatam voluit ac miraculis comprobavit, ut idcirco tutissimum supernae gloriae, qua copiose Catharinam frui haudquaquam superest ambigendum, SANCTITATIS VESTRÆ Decretum universa peroptet Ecclesia, tantae Virginis adornata fulgoribus, in qua sibi ornamentum statuit ac praesidium.

JOSEPH MARIA Ferronus Archiepiscopus Damascenus Assistens.

In speculum sine macula, auctorem fidei, et consummatorem Jesum jugiter aspexit (a) B. Catharina, posuitque eum, ut signaculum super cor suum et super brachium suum (b), ac fecit secundum exemplar (c). Semper enim mortificationem Jesu in corpore suo circumferens (d), tum interius per nimiam dilectionem, tum exterius per actiones quascumque, veluti totidem lineamenta conformis facta est

(a) *Heb.* 12. 2. (b) *Cant.* 8. (c) *Exod.* 25. (d) 2. *Cor.* 4.

sponsi caelestis imagini, unde non solum decorata fuit corona, sed etiam Redemptionis Stigmatibus mirabiliter obsignata ab eo, qui facit mirabilia magna solus. Eximiam itaque tantae Virginis Sanctitatem Apostolicae hujus Cathedrae testimonio censeo rite comprobandam. Justum est enim, ut quae vitae ac Dominicae Passionis fuit imitatrix assidua, exaltationis et gloriae particeps quoque efficiatur.

JOANNES FRANCISCUS Stoppani Archiepiscopus Corinthi Assistens.

Felix et vere beata Virgo Catharina de Ricciis, quae ab ineunte aetate gustavit et vidit quam suave ac leve sit onus Crucis; Seculi namque spretis illecebris totam se caelestium rerum contemplationi, Angelo Custode ac Duce addixit devovitque, adeoque profecit, ut dispendium putaverit, si vel temporis momento ab iisdem divelleretur. Quapropter corpore quamvis circa plurima Marthae exemplo saepe saepius distenta in obeundis explendisque sui Ordinis officiis, mente quidem et affectu tanquam altera Magdalena, nonnisi suum Jesum et hunc crucifixum effusa mentis et cordis charitate fovebat, complectebatur. Hinc est quod caelestis ille Sponsus, qui adhaerentibus sibi dat gratiam affluenter, nedum sibi conformem sacris impressis Stigmatibus reddiderit, verum etiam dato annulo subarrhaverit; Quodque longe lateque diffusa tot heroicarum virtutum germina uberes quotidie referant honestatis et honoris fructus, quorum merces ut in dies augeretur, utque in terris eà, quae Ancillae Dei meritis aeque ac signis illustri debetur, reponatur corona justitiae, expedire censerem, B. Catharinae de Ricciis ab SANCTITATE VESTRA supremos Canonizationis honores esse decernendos.

MICHAEL de Palma Archiepiscopus Theatinus Assistens.

In beata Virgine Catharina de Ricciis suaveolet Mysticus Hortus sacri Ordinis Praedicatorum, et laetabundus nitescit Ager Dominicus, qui est Ecclesia, dum coram Te, PATER BEATISSIME, pro ejus Canonizatione demississime instamus. Agitur de Virgine in cujus *lampade oleum nunquam defecit*, tot heroicarum virtutum ornata fulgoribus, tot charismatum cumulata muneribus, tot miraculorum fulgida signis tum comitantibus vitam ejus mirabilem, tum pretiosam mortem subsequentibus.

Alterius inclytae Catharinae (Senensis videlicet) in ea habes imaginem, sive virtutum cumulum spectes, sive caelestia dona demireris. Utraque enim *Stigmata Christi portavit in corpore, ut vitam Jesu in carne mortali manifestaret.* Philippus Nerius Catharinam de Ricciis corpore absentem alloquitur: Quid ni Sanctus cum Sancta loqueretur? Magdalena de Pazzis cum gaudio exceptam in Caelis, Deo revelante conspexit; quid ni Sanctam Coelorum curia laeta susciperet? Hinc splendent undique in mirabili hac Virgine argumenta et notae Sanctitatis.

Age igitur, PATER BEATISSIME, et opus ex praxi veteri ab Auditoribus Rotae inchoatum, quodque Praedecessores Tui Clemens XI. Benedictus XIII., Clemens XII. prosequuti sunt, fausto fine digneris perficere, beatamque Catharinam de Ricciis ceterarum sanctarum Virginum Catalogo adscribe.

STANISLAUS Poliastri Archiepiscopus Rossanensis Assistens.

Quod reliquum tandem, SANCTISSIME PATER, quid demum ultra deerat, ut sanctarum Virginum adscriberetur in Albo meritissima illa, nobilitate non minus quam Sanctitate clarissima, Catharina de Ricciis Florentiae in Hetruria praestantissima Urbe in lucem edita, quam ut Sanctitas Vestra Spiritus sancti magisterio instructa atque munita, non solum sermone praedicando, sed ad posterorum saluberrimam instructionem scriptis tuis inditam, Sanctorum numero adscriberet atque referret? Et sane quidem, nam sicuti de perantiqua ac praeclarissima illa Catharina sanguine purpurata rutilat Alexandria splendore; et de sua Catharina virtutum omnium Magistra congaudet universa Senensis Familia, ac laetabunda postmodum sanctarum Virginum Choris, suam quam genuit appellatione sanctam, jactat se reddidisse

Catharinam, illa numquam satis laudata, et a SANCTITATE VESTRA litteris et dignitate illustrata, inclyta simul ac famosa Bononia; aequum erat, SANCTISSIME PATER, ut de sua demum, quam Deo potius, quam Mundo peperit, Catharina mereatur Florentia habere suffragia et gaudere triumpho. Et quidem profecto, nam siculi ceterae hujus nominis inter Æthereos Virginum Choros, et unaquaeque pro modulo suo Sanctitatis laurea insignita rutilat atque coruscat; Florentina Virgo nemini illarum secunda, et ejusdem nominis decorata vocabulo, quaeque ab infantia Angelicae perfectionis rore perfusa Custodis Angeli meruit gaudere consortio! Quaeque tantae ac tam eximiae puritatis signaculo, cum pari obedientia et paupertate ac humilitate conjuncta, non modo Deiparam ipsam conspiciendam, contemplandam, colloquendamque, sed Puerum Jesum ab ipsa Deipara in sinu ejus amantissime collocatum meruit confidenter habere, familiariter alloqui, et pretioso caelestique annulo data dextera digna fuit desponsari! Quaeque privilegio amoris praecipui ceteris altius Crucifixi dulcissimos et sub nomine Sponsae obtinuit amplexus, et sacrae Redemptionis Stigmata, aliaque Passionis vestigia in corpore impressa, cum suimet ipsius Redemptionis imagine in suo vultu depicta et repraesentata gestare! Jure dixerim quod tot charismatum dotibus, tot Sanctitatis clarissimis argumentis testibusque oculatis, cum miraculorum quibus catholica fides roboratur, et Sanctorum merita comprobantur auctoritate; Catharinae admirabile nomen Sanctarum adscribatur in agmine, et Virginum excipiatur in gremio.

FERDINANDUS MARIA de Rubeis Archiepiscopus Tarsi Assistens.

BEATISSIME PATER. Pluries de virtutibus et miraculis B. Catharinae instaurato judicio, pronunciatum. Rursus mandato SANCTITATIS TUÆ redintegrato examine, prolata sententia est. Ita eximiam Catharinae sanctitatem, sicut aurum in fornace probatum, Deus voluit; et sicut argentum igne examinatum purgatum septuplum. Opus igitur plurimorum Pontificum studio antea inchoatum, pro summa qua polles Apostolica auctoritate, solemni tandem Canonizationis Decreto video absolvendum.

MICHAEL MARIA Vincentini Archiepiscopus Theodosiae Assistens.

Praeclarissimam sane intuebimur B. Virnem Catharinam de Ricciis, si fortem ultra sexus imbecillitatem omni in virtutum genere aequa lance perpendamus. Verum inspecta qua mirifice aestuabat in Deum charitate, ac impressis Passionis Christi vestigiis virgineo in corpore, nec non frequentibus cum Sponso Jesu ac Deipara colloquiis, haud mirum est, si addendi Virginem praestantissimam glorioso Sanctarum Coetui, SANCTITATI VESTRÆ incesserit animus.

NICOLAUS Carafa Archiepiscopus Philippensis Assistens.

Gesta beatae Catharinae ita egregia ac in gradu heroico plena virtutum: Ita singularia et cumulata prodigiis: Ita a seculis inaudita, quod unumquodque magnum theatrum orationi meae praeberet, si eam exornandam atque laudandam aggrederer. Super hanc sacram Heroinam adhuc a teneris annis Spiritus sanctus caelestium donorum, quae ceteris per partes, ita abunde divitias effudit, ut speciali privilegio Angeli Custodis ab infantia in conspectu ejus visibiliter adstantis, cujus colloquiis fruebatur, decoravit. Quod sane non obscurum ipsius praeclarae et excelsae futurae vitae fuit indicium, quatenus ipsa in terris degens conversationem suam habitura esset in Caelis. Ne autem illius innocentiam mundiali contubernio consortioque expositam callidus Aspis aliquo modo humana contagione attingere auderet, a divo Dominico e seculo in suum Praedicatorum Ordinem non sine divini Numinis singulari vocatione est sublata. Ibi altissimae perfectionis fundamenta a gratia sanctificante in anima ipsius jam recondita statim incrementum accepere, ut ad Caelum pertingere totus christianus Orbis aspiciendo admiraretur. Cetera omitto, unum dicam. Illud praeclarum

vitae genus, quod sacris Virginibus est commune, contemplationi, orationi, ceterisque piis exercitationibus deditis; tanquam unum necessarium ex Dominico oraculo, non modo ut optimam partem elegit; sed nihil alienae salutis omittens, divina charitate in Deum et Proximum flagrans, non minus Mariae quam Marthae partes ita explevit, ut Sponsi sui dilecti sacra Stigmata, non in tabulis depicta, sed in proprio suo immaculato corpore deferre mereretur. Haec cum ceteris amplissimum argumentum mihi praebent sanctarum Virginum Coetui adscribendam esse; dummodo SANCTITATIS TUÆ supremum judicium accesserit.

ANTONIUS Fonseca Episcopus Æsinus Assistens.

Non tantùm, BEATISSIME PATER, Hetruriae Urbes, inclyta praedicatorum Familia, et universus christianus Orbis, verum etiam sanctarum Virginum Coetus, superni Angelorum Chori, necnon gloriae Dominus B. Catharinae de Ricciis sublimiores honores flagitant. Sanctae enim Virgines Catharinam adhuc in terris degentem, ob illibatum candorem, ob singularem prudentiam, ob flagrantissimam charitatem duxere secum ad Agni nuptias; Angeli tradiderunt illi precandi formam, praecepta virtutum, mysteriorum intelligentiam, ac Dominus amore languentem dulcissimis recreavit amplexibus, sacris Stigmatibus insignivit, et tanquam Sponsam annulo suo subarrhavit. Æquum est igitur ut communia terrenae et caelestis Jerusalem vota, mortalibus ac superis plaudentibus impleantur.

NICOLAUS XAVERIUS Santamaria Episcopus Cyrenensis Assistens.

Ineffabilis Dei sapientia, quae miro consilio suis opportune temporibus cuncta disponit, quo tempore Lutherus ejusque detestabiles Asseclae castitati maxime detrahebant, inter ceteras Virgines mulierem vere fortem suscitavit in Ecclesia sua B. Catharinam de Ricciis, quae accincta robore et in spiritu ambulans mirabili victoria carnem perpetua virginitate, Mundum profunda humilitate, Daemonem eximiis virtutibus superavit. Digna profecto Virgo quam Christus Dominus supernis donis, splendidioribus charismatibus ornatam, Deipara pronuba, caelesti annulo desponsaret, eamque de Cruce amplexando Sponsae nomine compellaret. Insignem ejus sanctitatem quam in mentis excessu intellexerunt, et vulgaverunt S. Philippus Nerius, et S. Maria Magdalena de Pazzis, testatam nobis abunde faciunt miracula accurate discussa et plene probata. Rationi propterea consentaneum videtur, ut praeclaram hanc Virginem in Ecclesia colendam Apostolica auctoritate decernas, eamque Christifidelibus Protectricem apud Deum et Advocatam concedas, cujus preces sibi acceptissimas esse Deus ipse affirmavit.

BERNARDUS ANTONIUS Pizzella Episcopus Constantiae Assistens.

Habemus sanctarum Virginum ornamentum; habemus Virginem divinis charismatibus illustratam, beatam scilicet Catharinam de Ricciis Ordinis Praedicatorum Sanctimonialem, quae praecipui amoris privilegio a Deo cumulata, singulari pietate ac solicitudine Deum ipsum diligere semper in deliciis habuit. Sicuti vero elegit Deus ac sibi praeelegit in Catharina Sponsam, Columbam, Dilectam, sic Catharinam vicissim Sponsae fidem, Columbae innocentiam, Dilectae pios affectus in eum omni studio atque cura servasse, monumenta testantur. Habemus Virginem Christo Domino accensis lampadibus occurrentem, sacrorum Stigmatum honore nobilitatam: Sponsam Christo sociatam: Matri Virgini alloquutam: Habemus denique Virginem miraculis clarificatam, quae decet demum, ut sanctarum Virginum Syllabo solemni ritu adscribatur.

LUDOVICUS ANTONIUS Valdina olim Cremona Episcopus Hermopolitanus Assistens.

Ecclesiae militantis veneratione dignissimam, et Senensi Catharinae adjungendam esse in Sanctorum Catalogo Florentinam Catharinam de Ricciis, nullo modo dubito. Id

aperte comprobant Sancti ejusdem Concives Maria Magdalena de Pazzis, et Philippus Nerius; ambo enim Deo inspirante sanctam animorum consensionem cum illa habuerunt, et litterarum spirituale commercium. Maria Magdalena praeterea praesens in spiritu adfuit, quando Catharina triumphans supernam Hierusalem est ingressa, et Philippus Romae degens, Prati in Hetruria fuit divina virtute quodammodo praesens, ut longo Catharinae colloquio frueretur. Divinum quoque Sponsum dici potest Catharinam in Sunamitide invitasse, ut de libano veniret in Caelum ad coronam: Nám etiam haec mystica Christi Sponsa in horto concluso sancti Dominici tota pulchra fuit candore puritatis omniumque virtutum, suavis caelestium rerum contemplatione, decora rubore poenitentiae et Dominicae Passionis, cujus dolores et Stigmata pertulit in corpore suo, ut olim Senensis Catharina. Illam etiam Christus Dominus dato annulo sibi desponsavit in terris, revulsis e Cruce brachiis amplexatus est, et coronavit in Coelis. Sic ergo coronatam splendoribus Sanctorum jubeat SANCTITAS VESTRA venerari.

FABRICIUS Borgia Episcopus Ferentinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Opportunius nihil contingere poterat quam quod quatuor sanctitati Virorum publicis decretis honoribus, triumphalis gloriae comes accedat et foemina, ut dum in omne hominum genus tam uber divinae gratiae largitio spectanda proponitur, habeat etiam fragilis sexus, unde et incendatur ad pugnam et alliciatur ad palmam. Jure optimo idcirco honores in praestantioris Sanctitatis testimonium institutos B. Virgini Catharinae deferendos existimo: Illa enim virili priusquàm animo, spretis opibus, Mundique blanditiis ac seculi illecebris, se Deo perjucundam hostiam in sacrificium praebuit sub severiori Dominicanae Familiae disciplina. Corpus suum in assiduam servitutem redegit, humilitatem cum charitate admirabili caelestium charismatum nexu conjunxit; tantaque demum spiritualis perfectionis excellentia enituit, ut aliis etiam ad eam comparandam dux data, seque et Magistra divinitus videretur. Postulant igitur eximiae hujus Virginis virtutes, postulant superna, quibus enituit, dona, postulant edita post Beatificationem signa, ut ejus nominis memoria a Te, BEATISSIME PATER, ad ampliorem cultum promoveatur.

NICOLAUS Spinelli Episcopus Aversanus Assistens.

Admirabilis vitae sanctimonia ac incomparabilis morum probitas beatae Catharinae de Ricciis Hetruriae fines praetergressae, ita per Italiam omnem, Galliam ac Germaniam longe lateque vulgatae percrebuerunt, ut omnes in sui admirationem rapti, undique ad eam frequentissimi confluxerint, vel difficillima quaeque in rebus omnibus sive corpus, sive animam spectantibus consecuturi: Nec segnis in ejus integerrimam vitam Summorum Pontificum diligentia fuit, de quorum imperio omnia ad severissimum revocata examen, nullum dubitandi locum reliquerunt: Quibus si supremum SANCTITATIS TUÆ judicium accesserit, existimarem posse huic eum honorem decerni in terris, quem jam pie credimus consecutam in Caelis.

HIPPOLYTUS e Rubeis Sancti Secundi Episcopus Senogalliensis Assistens.

Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis in B. Catharina de Ricciis! Porro nil mirum, tot ac tantis divinitus illam effulsisse charismatibus: Stigmatum Redemptionis, praecipue et spineae Coronae insignibus donatam fuisse a Christo Domino, cujus et vivam quamdam similitudinem exteriori specie expressit atque repraesentavit, cujus colloquiis, amplexibus, osculis, nuptiis tandem pronuba eademmet Deipara Virgine dignata fuit: nil mirum, inquam, nempe (divo Bernardo teste) non mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. Quantum vero in utraque Catharina praestiterit, ejus vitae Acta, ejus animi sensus, honorum et laudum contemptus, voluntariae atque asperrimae corporis afflictationes, illibatus inte-

gritatis candor ad mortem usque servatus, reliquae item virtutes, quarum omnium humilitas parens est, decor virginitas, gratiarum quoque et prodigiorum splendor atque frequentia luculente declarant, suoque veluti jure praeclarissimam hanc Mulierem Apostolica auctoritate sanctarum Virginum Choro adjungi proclamant.

D. PAULUS THOMAS Marana Episcopus Asculanus in Piceno Assistens.

Mirum non est, BEATISSIME PATER, B. Catharinam de Ricciis humana adhuc corporis contagione gravatam quaesivisse semper ea, quae sursum sunt, nullo ad terrena depressam desiderio, utpote quae affectuum nostrorum fontem cor caelesti temperie constitutum divinitus accepisset. Inde etiam fuit ut Christus Dominus, quem ardentissime semper adamavit, in ejus Sponsam annulo subarrhaverit, sanguineis ejus signaverit Stigmatibus, ac in extremo vitae confine tanquam Sponsam electam ad caelestem coronam angelicis vocibus advocaverit. Congruum itaque existimarem, ut sicuti speciali Dei providentia cum S. Catharina Senensi eodem charismatum genere insignita tam parem in terris habuit vivendi rationem, ita per SANCTITATEM VESTRAM habeat post mortem similem cultum.

Fr. SILVESTER Merani Episcopus Porphyrien. Assistens.

Beata Catharina de Ricciis jam inde ab ipsa pueritia cogitavit quae Domini sunt, fuit enim in caelestium rerum, praesertim in Dominicae Passionis contemplatione per altissimas mentis elevationes, perque admirabiles Ecstases fere semper defixa. Solicita indesinenter fuit quomodo placeret Deo per assiduum humilitatis et orationis studium, per juges carnis afflictationes, per ferventissimam in Deum et Proximum charitatem. Quare non est dubitandum quin per magnam excellentiam sancta fuerit, uti loquitur Apostolus, corpore et spiritu. Et sane arbitror non sine divino consilio solemnem illius Canonizationem ad hoc usque tempus fuisse dilatam, ut nimirum praestantissimae Virginis virtutes, quae omnes implent numeros, SANCTITATIS VESTRÆ par judicium exornaret.

MARCUS ANTONIUS Amalphitanus Episcopus Ortonen. et Camplen. Assistens.

BEATISSIME PATER. Inter alias stellas innumeras, quae sacri Ordinis Praedicatorum Caelum exornant, una profecto est B. Catharina de Ricciis, quae virginitatis lilium illibato semper candore custodiens, charitatis erga Deum et Proximum, humilitatis, obedientiae virtutumque omnium fudit odorem. Haec Virgo illam, quam hausit a lustrali fonte innocentiam, moribus usque ad ultimum vitae spiritum retinuit. Seraphicae Catharinae Senensis Sectatrix et gratiarum Socia, nedum Angeli Custodis familiaritate et colloquiis, sed Christi Jesu, in quem desiderant Angeli prospicere, promeruit aspectum. Hunc caelestem Sponsum quem ab infantia dilexit, anima illius charitate perfecta tenuit, nec unquam dimisit. Ipsa dilecto suo et dilectus illi, qui faciem suam ei ostendere, saepius illam alloqui atque amplexari: Data dextera ac caelesti annulo eam desponsare, Sacra Redemptionis Stigmata et Crucis vestigia in ejus virgineo corpore imprimere: Spinosum Diadema capiti transfigere, aliaque divini amoris signa praeclara ostendere dignatus est. Sublimibus charismatibus cumulata prophetico lumine meruit illustrari, cordium secreta funditus penetrare, nec defuere admirabiles Ecstases, quibus per dies integros sensibus destituta, et in aera quandoque sublata unice cum Deo conversabatur. Sacrae hujus Virginis heroicas virtutes et admirabilem sanctitatem incomparabiles Viri dignitate conspicui probarunt, ac supra omnes divus Philippus Nerius, et sancta Maria Magdalena de Pazzis tunc coaevi intellexerunt et admirati fuere. Æquum igitur erit, SANCTITATEM VESTRAM exorare, ut discussis et approbatis virtutibus, ac discussis pariter et approbatis miraculis, eam in Catalogo Sanctarum Virginum dignetur adscribere.

ANTONIUS **Cantoni** ***Episcopus Faventinus Assistens.***

Divitias misericordiae et bonitatis suae in B. Catharina de Ricciis ostendit Deus, qui complexam ineffabili charitate et sublimioribus charismatibus cumulatam, quasi sponsam ornatam corona, et decoratam monilibus suis annulo suo subarrhavit. Quam porro dum viveret in deliciis habuit, nunc in gloria miraculorum manifestare dignatus est, ut tuum sit, BEATISSIME PATER, induta virtute ex alto, hanc ponere in lucem et laetitiam Plebis suae, quam exemplis provocet, et foveat auxiliis.

CÆSAR ***Bonajuti Episcopus Pharensis Assistens.***

Speciosa est inter filias Jerusalem Catharina de Ricciis, quae maximum semper Sanctitatis praebuit argumentum. Haec vere virginitatis florem a Deo traditum intactum servavit, nullam unquam habuit maculam, neque rugam, sed semper in fide, in spe, in charitate incorrupta permansit. Habuit Sponsum non terrenum, sed eum qui in Caelis est, eum qui super omnem Principatum et Potestatem, qui super Cherubim sedet, non solum Sponsum, sed amatorem omnium hominum ardentissimum et speciosum prae filiis hominum.

Meretur igitur, BEATISSIME PATER, haec Virgo sapiens et una de numero prudentum, ut in Altare aureo ante oculos Domini collocetur, atque in caelesti Sanctuario et ipsa ad ornamentum omnium Sanctorum, in quibus Dominus requiescit, recenseatur.

PAULUS ***Bonavisa Episcopus Spoletinus Assistens.***

Beata Catharina de Ricciis est illa Virgo sapiens et una de numero prudentum, quae meruit intrare ad nuptias Domini sui: Oleum namque devotionis semper conservavit in lampade sua, et solicite quaesivit Sponsum suum attenteque ambulavit in viis ejus: Etiam in viis asperis secuta est illum, cum paupertate, vigiliis, inedia, aliisque poenis se conformari Cruci Christi ferventissime satagit: Unde meruit mirabiliter portare crucem Domini sui, et corona ejus spinea coronari, pluribusque aliis donis caelestibus cumulari, quibus mirifice ornata fervide aspiravit intrare ad gaudium Domini sui jugi amore languens. Exaudivit Dominus preces dilectae suae, posuitque in ea thronum suum, et in habitaculo caelesti facit illam habitare, signisque miraculorum nobis ostendit in choro sanctarum Virginum adscriptam, ut ejus memoria etiam recolatur in terris.

MARIUS ***Maffei Episcopus Fulginas Assistens.***

Ad Christum Dominum in Caelis, cujus vices tanta pietate geris in terris, BEATISSIME PATER, hodierna luce conversus non immerito dixeris, *Domine dilexi decorem Domus tuae:* Ubi namque militantem Ecclesiam et Martyris sanguine et Confessorum virtutibus illustrasti; ne quid postremo deesset quod posset decorem ejus augere, hodie in Catharina de Ricciis virginitatis etiam honore eandem amplificabis. Per Te igitur, BEATISSIME PATER, aderit Regina a dextris divini Sponsi in vestitu sanguine Martyris deaurato, et circumdata varietate virtutum atque concupiscet decorem ipsius, quoniam post tot praeclaros sanctitate Viros adducetur hodie Catharina in Templum Regis (a), *cum angelica virginitate, altissima humilitate, sublimissima charitate.* Talium unguentorum odore Catharina ad se traxit Philippum Nerium dum viveret. Talium virtutum copia tantam sibi gloriam comparavit in Caelis, quantam Magdalena de Pazzis enarrare vix potuit in terris. Ea demum signorum claritate Catharina de Ricciis coruscat, quae ut in sanctarum Virginum Albo recenseatur, tuum modo Oraculum, BEATISSIME PATER, praestolatur.

(a) *S. Petrus Cluniacensis Epist.* 39.

GUIDO Ursellus Episcopus Caesenae Assistens.

Ea est Catharinae de Ricciis Florentinae, lectissimae Virginis, atque sanctissimae cum Senensi illa morum vitaeque similitudo, ut nisi Temporum, Patriae atque cognominis perquam diligens ratio habeatur, una eademque videri possit. Utraque enim ex sacra Praedicatorum Familia, jam tum ab infantia castissimo Virginum Sponso conjuncta, dici non potest quanto divini amoris igne aestuaverit. Ceteris vero virtutibus sic abundarunt, ut hortulus ille conclusus merito dicendae sint, non floribus modo, sed fructibus quoque dulcissimis refertissimus honoris et honestatis. Dignae propterea quas caelestis idem Sponsus divinorum charismatum, prophetiae nimirum, discretionis spirituum, ecstasum fonte largissimo rigaret, rutilisque sacrorum Stigmatum insculptis notis in maximi amoris argumentum quodam quasi signo suo communiret. Utramque tandem ad aethereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet Solio, evectam esse, miracula ipsarum mortem consecuta satis aperte demonstrant. Reliquum igitur est unum, BEATISSIME PATER, ut quod de Catharina Senensi gravissimo Pii Secundi judicio declaratum est, id de Florentina quemadmodum universa christiana Respublica vehementer exoptat, infallibili testimonio a SANCTITATE VESTRA declaretur.

HYACINTHUS de Silvestris Episcopus Nepesinus et Sutrinus Assistens.

Incoeptum jamdiu opus per plures Romanos Pontifices de B. Catharina inter Caelites recensenda, credo divinitus factum, ut perficiendum tandem in hoc tempus recideret, quo Tu catholicae Ecclesiae praees, BEATISSIME PATER, cujus in hisce pertractandis rebus diu noctuque versati, pro ea qua polles scientia pene incredibili, exploratissimum est judicium. Siquidem in hac causa minime ambigendum puto: Tot enim virtutum omnium, quae in eminentiori gradu adornandam illustrandamque Virginem inter sese veluti conspirarunt, tamque praeclara nobis monumenta, tot insuper Virorum Principum de admirabili ejus vita testimonia supersunt, et quod plus est Philippi Nerii et Mariae Magdalenae de Pazzis, quorum memoria in benedictione est, quosque proinde commemorare decet; ut aequum omnino appareat, illam, veluti unam de numero prudentum, in sanctarum Virginum Tabulas publice venerandam referri.

AEGIDIUS Isabelli Episcopus Alliphanus Assistens.

BEATISSIME PATER. *Scit omnis Populus, qui habitat intra portas Urbis*, idest militantis Hierusalem, Catharinam de Ricciis fuisse virtutis tam eximiae, ut Mulierem fortem sciscitanti obviam sit Foemina illustris, cujus heroicae virtutes plurimae animique dotes excelsae adeo placuerunt caelesti Sponso, ut eam in propriam agnoscens atque Crucis et plagarum suarum Stigmatibus obsignatam, innumeris propemodum cumulaverit donis, atque stupendis miraculis sat reddiderit praeclaram: Oportet ergo, ut per medium SANCTITATIS VESTRAE supremi Ecclesiae Vigilis et Pastoris, idem Populus nunc sciat pergrandes ei cum Sanctis decretos fuisse honores, ut quam tot meritis undique onustam, divinisque charismatibus tam liberaliter locupletatam, jam semper fuit admiratus, humillimis jugiter frequentet obsequiis, quae ad calcandas arctissimas virtutum semitas universum aliarum Virginum Coetum fortiter et suaviter excitent.

JOANNES ANTONIUS Bachetoni Episcopus Anagniae Assistens.

In lucernis Tuis; PATER BEATISSIME, mystica haec Jerusalem jam scrutata est: Beatae etenim Catharinae de Ricciis nobilis Virginis Florentinae, vix natae et a Deo praeordinatae, Constitutiva Sanctitatis juxta eas, quas de Canonizatione Sanctorum inoffenso decurrendas pede, maximi nominis Doctor jamdiu absolutissimas dedisti Regulas, ita probata manent, ut nil supersit quominus ea, quae hactenus Te Auctore et tam claram praebente facem, peracta sunt, Te etiam

Pontifice Summo definiente et declarante impleantur. Agnosce ergo, BEATISSIME PATER, hanc Ovem: Ovem hanc tuam, jam divi Philippi Nerii, jam divae Mariae Magdalenae de Pazzis, jam virtutum et miraculorum testimonio comprobatam; quin imo ab ipsomet cujus geris vices, supremo Pastore vocatam et electam; electam sibi in Sponsam, electam in deliciis, suisque Stigmatibus signatam: Agnosce, inquam, hoc vas electionis charismatibus omnibus abundans et superfluens; et divino illo qui semper Pontificiae Cathedrae praesto est, spiritu afflatus hac tam prudenti, tam Deo et Proximo solicita, et lampadibus tam plenis parata de quinque Virginibus Virgine, quintum Divum Canonizationis solemniis, quae tanto studio tantaque assiduitate disponis, adde et comple: Novum Hetruriae opportuno tempore mitte praesidium; Obsecranti Praedicatorum Ordini novum decus: Et Pontificatus Tui augustissima et intemerata monumenta auge, atque aeternitati commenda, BEATISSIME PATER.

FRANCISCUS ANTONIUS Spadea Episcopus Aquinas et Fregellarum Assistens.

BEATISSIME PATER. Non splendet tot stellis Caelum, sicut inclytus Praedicatorum Ordo tot syderibus fulgentissimis Sanctorum utriusque sexus ornatur. Horum duo inter cetera nobis contemplanda se offerunt. Unum scilicet Catharina Senensis jamdudum Sanctorum Fastis adscripta, alterum Catharina de Ricciis Florentina a diuturno domicilio Pratensis postremo inter Beatas adjuncta. Duo haec luminaria ita aequaliter inter se lineata, et a divina gratia elaborata noscuntur, ut unum potius, quam duo sint dicenda. Utraque enim a teneris usque annis praeventa fuit in benedictionibus dulcedinis, atque ad summae Sanctitatis apicem elevata, et utraque eodem charitatis igne succensa divinis charismatibus apparuit repleta. Quid enim virtutis in una praeluxit, quod in altera desiderari queat? Non humilitas totius sanctimoniae fundamentum, non patientia in adversis, non poenitentiae rigor, non altissimae contemplationis munus, non prophetiae spiritus, non discretio spirituum, non scrutatio cordium, non miraculorum multitudo: Ambae aequali sorte ab eodem Sponso Jesu Corona Virginum, pronuba ipsa Deipara pretiosissimo caelesti annulo desponsatae, ambae sacris Stigmatibus insignitae ac spineo redimitae diademate, ut vivae essent Sponsi patientis imagines, et cum Apostolo dicere possent: Christo confixa sum Cruci et Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. In hoc tantum differre videntur, quod Senensis aetatem Sponsi tantum aequaverit: Pratensis vero dupliciter vixerit, sed hoc in augumentum meritorum istius cessit, ut ejus virtus tanquam aurum in fornace diu probaretur, et ejusdem Sanctitas inter morbos et voluntarias corporis afflictationes tam longe protractas plus nimio augeretur. Restat igitur, BEATISSIME PATER, ut sicut Catharina Senensis Canonizationis honore decorata fuit, ita et altera Catharina de Ricciis Florentina Pratensis a Sanctitate Vestra in Album describatur Sanctorum, ut hoc lucis orto sydere magis resplendeat catholica Ecclesia, et sacratissimus Praedicatorum Ordo mirabiliter illustretur.

LEO LUCAS Vita Episcopus Oppidensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Inter cetera praecipua dona, quibus Altissimus cumulavit B. Catharinam de Ricciis, illud memoriae proditum est, quod cum ferventius oraret, Deipara Virgo se conspiciendam praebuerit, Puerum Jesum in ejus sinu amantissime collocaverit, et ab ipso Redemptore annulo suo fuerit desponsata, quod sufficit ad ejus solemnem Canonizationem. Cum enim desponsaverit eam Christus Dominus, etiam coronam gloriae recepit ab eo, quae cum sit corona justitiae, necesse est, ut bonum opus praecesserit, et quod fuerit ex quinque prudentibus Virginibus, quae sumpserunt secum oleum cum lampadibus. Equidem bonum opus operata est B. Catharina de Ricciis, virtutum omnium, scilicet profundissimae humilitatis, charitatis eximiae, obedientiae aliarumque, praecipue vero virginalis integritatis, qua fidem Sponso ad mortem usque illibatam servavit. Cum igitur Christus Dominus

sibi Sponsam elegerit, eique dederit coronam gloriae in Caelis, SANCTITAS VESTRA solemni ritu declarare dignetur in terris. Haec autem omnia supremo ac infallibili judicio tuo, BEATISSIME PATER, libenter submitte, qui Petri Cathedrae insides, quique scientiarum omnium, praecipue vero in historiis Servorum Dei et Canonizatione Sanctorum principem locum tenes.

SCIUM ILUMURI AT.

Elumura Caterinae tae Riccevet Eberʒ Ωasc e Kalogree e sceitit Domenikae, gnera saa roi mbaiti fert, fakienae, e scemaeliynae aetsn Ϛoti Kyè Kriivoi, me pastriminae esaaÿae. Paschisi, eumaendua saa maenbi tae scaemaeteneg ede Ϛotit Chrisclae Kyae na scpraeblei me vet mundimet etiy. Ma pte me fukiyvnae esay naene mundi tae Kiscktae te Maʒe hiir. Yia ʒuroi vet Chriscti ʒotsn me seegnet e mundimevet kyae itiposi mbae tae kriominae Kufomae tae asay Aʒa gnae vasc asctù ekriurae, asctù e munduarae, eʒe kakoe scium edaesciurae caa Ϛotsn, eʒe ascti e nderturoe me scium seegne tae sceitae riis. Isct e ggiiggsae tae ndeersc eʒe ti scium Ilumuri At. E tae scruasc embrin esaay me tae tierat scietaera vascia. Asctù se tae yeet, embri e se maʒes sciet Katerinae kaa Siena, eʒe ay i asay, hiae isct caa Fiorenza.

Josefi Schirò Arçbiscupu i Durrsit, eʒe Vicar Apostolycu i Hymarrs ndae Arbaenit.

Ejusdem Versio latina.

JOSEPH Schirò Archiepiscopus Dyrrachinus olim Vicarius Apostolicus Cimarrae in Epiro.

BEATISSIME PATER, B. Catharina de Ricciis candidissima Virgo et Monialis Ordinis Praedicatorum, per admirabilem totius vitae suae innocentiam summi Dei Creatoris imaginem et similitudinem ad mortem usque perfectissimam servavit. Egit quoque omni conatu omnique adhibita industria, ut decebat delectissimam Sponsam, ut sese etiam Deo Redemptori et in carne passo simillimam redderet; sed quod illa tentavit per austerissimam diuturnamque poenitentiam et non est assequuta, non sine stupendo dilectionis artificio divinus ipse Sponsus perfecit, imprimendo scilicet in ejus virgineo corpore singula pretiosae Redemptionis nostrae signa ac vestigia. Virgini igitur innocenti et poenitenti, tantisque miraculis et eximiae Sanctitatis ornamentis condecoratae, aequum censeo, ut etiam sancta Mater Ecclesia coronidem addat. Ac per os tuum loquente divino Numine, BEATISSIME PATER, magnae in sanctarum Virginum Tabulis, ubi Catharinae Senensis nomen, etiam Florentinae adscribatur.

Alia ejusdem Archiepiscopi Versio Graeca.

ΜΑΚΑΡΙΩΤΑΤΕ ΠΑΤΕΡ.

Η' ο'σία κὶ πανάμωμος παρθένος Αἰκατερίνα ἡ Ρ'ιχχὶς, ἡ ἀσκητικῶς μονάζουσα ὑπὸ τὸν κανόνα τῆς βῶν Γ'εροκηρύκων κοινῶς λεγομένης τάξεως, τῇ μὲν θαυμαςῇ τοῦ βίου καθαρότητι τελειοτάτην ἐτήρησε τήντε εἰκόνα, καὶ ὁμοίωσιν τοῦ ὑπερτάτου Θεοῦ καὶ Κτίςου μέχρι θανάτου, πάσῃ δὲ σπουδῆτε καὶ ἐπιμελείᾳ, ὡς ἔοικε φίλτατῃ Νύμφῃ, ἠγωνίσατο ἐκταςεῖναι ὁμοιοτάτην τῷ Λυτρωτῇ, ἰσχύτως καὶ ἐν σαρκὶ παθόντι Θεῷ. 'Αλλ' οὗ τινος, κἂν ἀυτὴ μὲν λίαν ἐπειρᾶτο, δὶ ἀνςηροτάτης διὶυνεκοῦς τε σκληραγωγίας τοῦ σώματος, ἐσπιτυχηῖν δὲ οὐκ ἠδύνατο, τοῦτο διέπραξεν ἀυτὸς ὁ ἐπουράνιος Νυμφίος Θεὸς, καὶ δὴ οὐ χωρὶς ἐκςατικες, καὶ παραδύξου τῆς ἀγάπης ἐυτεχνίας ἐγχαράξας δηλαδὴ εἰς τὸ ταύτης παρθενικὸν σῶμη πάντα καθ' ἕκαςον, τὰ τῆς ἡμῶν σωταρίου ἀπολυτρώσεως ςίγματα καὶ σημεῖα.

Παρθένῳ γοῦν ἀκάκῳ καὶ ἐν δεινῇ ἀσκήσει διαγαγούσῃ, ἔτι δὲ καὶ τηγικούτοις τῦς ἄκρας ἁγιωσύνης καὶ σημείοις κοσμουμένη, δίκαιον οἶμαι καὶ τὴν τῶν Ε'κκλησιῶν Μητέρα ἐπιτιθῆναι τὴν κορωνίδα· καὶ διὰ ςόματος σου τοῦ Θεοῦ λαλοῦντος, Μακαριώτατε Πάτερ. εἰς τὰ τῶν ἄλλων ἁγίων Παρθένων ἱερὰ δίπτυχα, ἔνθα τὸ τῆς ἐκ τῶν Σενῶν χώρας Αἰκατερίνης μέγα ὄνομα, καὶ τὸ τῆς ἐκ τῆς Φλωρεντίας ὁμοῦ ἐγγραφθῆναι.

'Ιωσὴφ ἰσχυρὸς 'Αρχιεπίσκοπος Δυρ'ρ'αχίου, καὶ πάλαι 'Αποςολικὸς ἐπίτροπος τῆς ἐπαρχίας τῦς χειμάρ'ρ'ας ἐν τῇ 'Ηπείρῳ,

***SERGIUS ALEXANDRI** Armenus Archiepiscopus Caesareae Cappadociae.*

Dum Florentinam Virginem Catharinam de Ricciis cogito tot tantisque virtutum et miraculorum donis a Deo insignitam, in mentem mihi venit celeberrimum illud Concilium in Florentina Urbe celebratum, in quo Orientalis Ecclesia et praesertim Armena Romanam fidem professa est. Catharinae charitas tam erga viventes Peccatores, Haereticos et Infideles, quam erga solutas corporibus animas in Purgatorii poenis existentes, tanta erat tamque eximia, ut se ad quaelibet pro illorum salute tormenta libentissime Deo offerret, et voluntarios proprii corporis animique cruciatus pro eorumdem beneficio dicaret. Itaque e re Orientalium meorum fore censeo, ut hanc Virginem Florentinam Sánctorum Fastis SANCTITAS VESTRA adscribat; quo fiet ut ejus precibus et sacra illa Synodus animis Orientalium insideat, et qui fuerat ibi damnatus, negantium Purgatorium error radicitus exstirpetur.

***STEPHANUS** Evodius Assemanus Archiepiscopus Apameae.*

Sibi (a) uni viro, BEATISSIME PATER, despondit Christus Virginem castam B. Catharinam de Ricciis Monialem Professam perillustris Pradicatorum Ordinis. Haec vero (b) cogitavit quae Domini essent, ut esset Sancta corpore et spiritu (c), vas suum possideret in sanctificatione et honore (d), sibique abesset gloriari, nisi in Cruce Domini Jesu Christi, per quem sibi mundus crucifixus erat, et ipsa mundo (e). Christo confixa Cruci vivebat, jam non ipsa, vivebat vero in ea Christus, cujus (f) Stigmata in corpore suo portabat, quia (g) *fortis est ut mors dilectio.* Ubi autem dilectum suum invenit Virgo prudens (h), tenuit nec dimisit, donec ipsam introduceret in aethereum thalamum. Cui itaque Miraculorum claritas cum omni virtutum laude consonans testis adfulsit, id unum superest ut eam BEATITUDO VESTRA sanctarum Virginum Sponsarum (i), Episcopo animarum nostrarum Christo charissimarum Catalogo accenseri decernat, atque praecipiat.

***JOANNES** Innocentius Episcopus Fagarasiensis.*

Quod sancti Francisci privilegium fuerat, ut Stigmata Domini Jesu in corpore suo portaret, hoc Deus duabus Catharinis Ordinis S. Dominici Virginibus commune fecit, Senensi nimirum et Florentinae, utraque enim ad manus, pedes et cor sacras Redemptoris cicatrices divina virtute insculptas gessit. Sed Florentina Virgo id prae ceteris singulare habuit, ut spinosum diadema in capite et Crucis vestigia in tergo impressa portaret. Admirabilis haec Crucifixi imago tam vivis coloribus in corpore et anima expressa, quis dubitet quin inter sanctas Virgines a SANCTITATE VESTRA recenseri possit? Cujus in caelesti Patria exceptae, et conformis imagini filii Dei factae triumpho, etiam sancta Maria Magdalena de Pazzis, dum adhuc in vivis esset, Deo adeo illi favente interfuisse perhibetur.

***BERNARDINUS** Vari Episcopus Civitatis Castellanae et Hortae.*

BEATISSIME PATER. Beata Catharina de Ricciis dum virginitatem suam Deo dicavit, eamdemque usque ad mortem exactissime custodivit, proculdubio se omnibus virtutibus ornatam ostendit. Virginitas enim paritur abstinentia, poenitentia, humilitate: alitur prudentia, fortitudine, obedientia: perficitur solitudine, silentio, charitate, oratione aliisque virtutibus; omnes quippe virtutes circa virginitatem excubant, ut eam tuean-

(a) 2. *Cor.* 11.
(b) 1. *Cor.* 7.
(c) 1. *Thes.* 4.
(d) *Gal.* 6.
(e) *Gal.* 2.
(f) *Gal.* 6.
(g) *Cant.* 8.
(h) *Cant.* 3.
(i) 1. *Petr.* 2.

tur, servent et ornent. Quod si virginitas ut docet Ambrosius (a), de Caelo venit, necesse est, ut beata Catharina excellenti virginitate, imo tot virtutibus praedita in Caelis resplendeat: Cumque hoc ipsum plura miracula praedicent, par est, ut per Ecclesiae judicium id totus Mundus agnoscat.

JACOBUS PHILIPPUS Consoli Episcopus Amerinus.

BEATISSIME PATER. Beata Catharina de Ricciis Parentibus pietate et nobilitate conspicuis Florentiae nata, eo Agro relicto, quo non nisi vepres et cardui Patrisfamilias sementem suffocantes abundant, alium sibi excolendum suscepit, ubi cultus utilior, ubi fructus uberior esset: Sacro igitur in Pratensi sancti Vincentii Monasterio Ordinis Praedicatorum habitu Religionis induto, nunquam satis explicari potest, quanta animi contentione gloriosas illas, quibus idem Ordo illustratus est, Virgines aemulari niteretur, ut opus nempe suum magno praemio destinatum consummaret, et Domino a quo mercedem expromissae virginitatis expectabat, placeret, crescens aetate crescebat ibi sapientia atque prudentia, et ambulans de virtute in virtutem, ut Deum Deorum videret in Sion, virtutum omnium demississimae praecipue humilitatis atque ardentissimea charitatis exemplar effecta est; vitam propemodum caelestem agens in terris crebro supernae suavitatis dulcedinem praegustavit, et de illo Torrente voluptatis quo nunc potatur in Patria, etiam in via bibit, atque eo tunc demum inebriata est, cum vel Deiparae, vel Pueri Jesus in quem desiderant Angeli prospicere, aspectu amplexibusque frueretur.

Odoratus autem Dominus tantarum virtutum odorem, quibus in gradu heroico ab ortu fere sui usque ad occasum Catharina refulsit, non his tantum caelestibus beneficiis suae Sponsae Sanctitatem comprobavit, sed et miracula adjecit, quibus rite legitimeque probatis Decretum de ejus peragenda Canonizatione jam pridem, PATER SANCTISSIME, pronunciare dignatus es: Quibus propterea stantibus hanc Virginem, quam semper Dominus vigilantem invenit, veramque Christi Sponsam sacris ab eo Stigmatibus condecoratam, et Corona spinea transfixam, annulo desponsatam, dulcissimoque amplexu delectam, atque hinc in Caelis per amoena virentia sequentem Agnum quocumque ierit, ne ultra, PATER BEATISSIME, inter sanctas Virgines adscribere protrahas, humillime deprecor.

JOSEPH Coppola Episcopus Aquilanus.

Canonizatio B. Catharinae de Ricciis ad haec usque tempora tamdiu potracta, jure quidem et merito Tibi utpote in hoc maxime omnium, quotquot fuerunt, Romanorum Pontificum scientissimo reservata est. Opus igitur ab Urbano VIII. rite incboatum, quodque Clemens XI. Benedictus XIII., et Clemens XII. prosecuti sunt, feliciter absolve, et sapientem Virginem Catharinam, quam Dominus semper vigilantem invenit, Sanctarum Diptychis decorans ad veram tutamque pacis viam per quam divum Philippum Nerium popularem suum ascendentem vidit in Caelum, omnes in Christo credentes manu ducere, illius imitatione dignetur.

JOSEPH Rossi Episcopus Venafranus.

Beata Catharina de Ricciis Monialis inclyti Praedicatorum Ordinis una est de numero prudentum Virgo, cui oleum non defuit, quin lampade accensa caelesti aeterno Sponso obviam iret; solicita enim, BEATISSIME PATER, semper fuit, ne ignis ille divini amoris quo ardebat, extingueretur vel tepesceret, imo magis magisque augeretur; quapropter Christus Dominus caelestis Sponsus Redemptionis Stigmata Catharinae corpori impressit, et in acerbissimae Passionis suae tormentis corpori extrinsecus, et cordi intrinsecus communicatis, Catharinae erga divinum Sponsum charitatem, et Sponsi divini erga illam amorem perfectissimum testatus est; et insuper ipsa Beatissima Deipara Virgo Maria se conspiciendam cum Puero suo

(a) *De virginib. lib. 1. c. 3. et. 5.*

praebuit, et Puerum ipsum Jesum in ejus sinu amantissime collocavit, atque eademmet Deipara pronuba, data dextera, pretioso caelestique annulo fuit desponsata. Haec et multo plura charitatis argumenta inter plaudentes Angelorum Choros in caelestem Patriam immenso suscepta fuit cum gaudio, et coronam accepit, quam caelestis Sponsus sibi praeparaverat. Virginis igitur, quae nos in virtute praecessit, diligenter sequamur exempla, et sedula devotione colamus in Aris.

JOANNES FRANCISCUS Cavallini Episcopus Alatrinus.

Insigne heroicarum virtutum ac praesertim maximae erga Redemptorem nostrum charitatis, quibus enituit beata Catharina de Ricciis, exhibent testimonium sacra Stigmata ejus corpori alte profundeque insculpta, atque acerbissimi Dominicae Passionis dolores singulis hebdomadis per longum duodecim annorum cursum renovati. Quod quidem divini amoris argumentum in suam Sponsam expressum tot subinde miraculis meruit comprobari, ut iis de more a Sanctitate Vestra admissis, id unum superesse videatur, quod dignissima Virgo inter Caelites referri omnino debeat, sicuti et ipse censeo supremo, SANCTITATIS VESTRAE, Judicio me ipsum humillime submittens.

NICOLAUS Cioffi Episcopus Soranus.

Quaecumque de beata Catharina de Ricciis comprobata referuntur, ea manifestissime ostendunt, beatam Catharinam non solum in terris angelicam egisse vitam, verum etiam sempiterna in Caelis beatitudine gaudere, Innocentiae candor, frequentia cum Angelis, cum beata Virgine Maria, cum Jesu Christo, qui sibi eam Sponsam elegerat, colloquia, eximiae virtutes, res praeclare gestae, tot miracula testimonia equidem sunt locupletissima. Sed auctoritas ipsa sancti Philippi Nerii in ejusdem Canonizationis Bulla confirmata, et attestatio sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis, cui a Deo ut triumpho ad ingressum beatae Catharinae in Caelis celebrato interesset, impertitum fuit, postulant ut Catharinae eadem, qua Philippus et Maria Magdalena recoluntur, veneratio per SANCTITATEM TUAM decernatur.

JOANNES ANTONIUS Castelli Episcopus Catharensis.

Et vita B. Catharinae de Ricciis et res ab ea sancte praeclareque gestae id tandem a BEATITUDINE VESTRA postulant, ut in sanctarum Virginum numerum referatur. Etenim jam usque ad ineunte infantia castissimis integerrimisque moribus fuit; obedientiam, paupertatem, humilitatem maxime coluit consequutaque est, ut et Stigmatibus Christi Servatoris Cruci affixi insignita, et donis aucta, et prodigiis clara ex aerumnis hujusce Mundi ad Beatorum patriam migraret. Quamobrem votis Ecclesiae universae mea quoque adjungo, atque a SANCTITATE VESTRA humillime postulo, ut ei cultus exhibeatur is, qui ceteris sanctis Virginibus merito exhibetur.

NICOLAUS MARIA Calcagninus Episcopus Civitatis Ducalis.

Electa Christi Sponsa B. Catharina de Ricciis inclyti Ordinis S. Dominici lilium, alterius Catharinae Senensis aemula arduum perfectionis iter, quod a teneris annis arripuit, Deo postea consecrata tanta animi contentione prosequuta est, ut virtutum omnium exercitio, et quidem in gradu heroico Monialibus ceteris praeluxerit. Maxima illius in pauperes liberalitas, humilitas profunda, exacta obedientia, invicta in laboribus fortitudo sunt virtutes illae, quibus veluti monilibus ornatam Sponsam suam Dominus concupivit. Praecipuum vero quod in hac Virgine admiramur spirituale ornamentum, est ardor supernae contemplationis, cujus dulcedine perfusa aestuque voluptatis abrepta gratiis cumulari, atque impressione sacrorum Stigmatum imagini Redemptoris nostri Jesu Christi meruit fieri conformis. Hanc igitur prudentem Virginem tot ac tantis praeclarissimis charismatibus, dum viveret a caelesti Sponso condecoratam, signisque post obitum illustratam, in sanctarum Virginum Fastis jure merito a

SANCTITATE VESTRA describendam esse affirmo.

D. INNOCENTIUS Gorgoni Episcopus Pinensis et Hadriensis.

Beata Catharina de Ricciis eximia puritate ac divinarum rerum contemplatione ab ipsa infantia celebris Sanctimonialium Ordinis Praedicatorum Institutum professa, ita in Dei amore ac supernis virtutibus profecit, ut et digna Christo Sponsa habita ac caelestibus favoribus declarata, et singularis ipsius Sanctitas a sanctis Philippo Nerio, ac Maria Magdalena de Pazzis divinitus agnita, palam praedicata, ac multis a Deo miraculis in vita et post mortem confirmata fuerit; quamobrem dignam ipsam censeo, quae suprema qua Tu polles auctoritate, in Sanctorum Censum referatur.

Sententiis omnium auditis, haec subjecit Pontifex novas preces indicens, et celebrandae quinque Beatorum Canonizationi diem designans vigesimum nonum currentis Junii, qui SS. Petri et Pauli Apostolorum martyrio erat consecratus.

Venerabiles Fratres. Maximam sane voluptate percepimus ex suffragiis vestris, quae solemnem beatae Catharinae de Ricciis Canonizationem deposcunt. Eandem prorsus laetitiam sensimus in quatuor praecedentibus Consistoriis, in quibus suffragia tulistis de Causis aliorum quatuor Beatorum, de quorum Canonizatione pariter agebatur. Itaque, Deo juvante, diem vigesimum nonum hujus mensis Junii, qui Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Festo celebrando consecratur; illum, inquam, diem constituimus, ut ritu solemni, numero Sanctorum adscribamus quinque Beatos, nempe Fidelem a Sigmaringa, Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, Josephum a Leonissa, ac Catharinam de Ricciis. Interea preces vestras ad Deum convertite, ac vehementer ab ipso exposcite, ut ope sua potentissima caelestique inspiratione Nobis adsit propitius, suumque lumen impertiat, ut hanc rem gravissimam perficiamus ad gloriam Divini Nominis augendam, catholicam Fidem magis efferendam, et christianam Religionem propagandam.

Cognitae Patribus jam inde a principio Consistorii Protonotariorum et Procuratoris Fiscalis absentiae pro re nata et potestate sua consuluit Pontifex; novissimi hujus enim sibi vindicavit munus; quod vero ad primos spectabat, id Caeremoniarum Praefecto commisit, et ne novitas perturbaret animos, accommodata oratione, licet ex tempore suadere studuit, hoc ab Caeremoniariorum Apostolicorum officio alienum non esse censendum; quippe qui de actu omnium praecellentissimo, de Canonica scilicet novi Summi Pontificis electione ejusque dignitatis acceptatione semper et quandocumque contingat, sese rogare solent; quapropter satis consonum videri et aequum, si Protonotario Magistrum Caeremoniarum in hoc munere sufficeret. Hic itaque Pontificiis obtemperans Mandatis, unum aut plura Instrumenta se confecturum promisit appellatis testibus, qui aderant Pontificis Familiaribus, et consuetis usus verbis: *Conficiam. Vobis Testibus*: Ita utriusque Consistorii Actio absoluta, Coetusque prope meridiem dimissus.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Pateat in perpetuum cunctis omnibus ubique ac evidenter notum sit singulis praesens hoc publicum Instrumentum Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Divina Providentia Papae XIV. jussu editum lecturis pariter vel

audituris, quod anno a Dominica Incarnatione millesimo septingentesimo quadragesimo sexto Indictione nona: Die vero 14. mensis Junii feria tertia: Pontificatus autem ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae anno sexto: Cum idem Sanctissimus Pater in Consistorio semipublico, ultimo quidem ex quinque, quae pro absolvendis Causis beatorum, Fidelis nempe a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Josephi a Leonissa, et Catharinae de Ricciis jam indixerat, assideret, in eoque ex ordine Causa B. Catharinae foret pertractanda, animadversum est Protonotarios Apostolicos de numero Participantium, quorum interest Acta omnia colligere, et super his publicum vel publica, unum aut plura conficere Instrumentum vel Instrumenta, etsi specialiter admonitos, a praefato Consistorio abesse, unaque simul cum ipsis Procuratorem Fiscalem Reverendae Camerae Apostolicae, cujus est apud eosdem Protonotarios Pontificis nomine instare, ut ea quae pertractantur in publicis referant Tabulis: Ne ab hominum memoria abscederet integra hujus Consistorii series, deque isto pariter prout de aliis per ipsosmet Protonotarios actum jam fuerat, perenne ad Posteros permanaret documentum tam disertissimae Allocutionis, qua Summus idem Pontifex Actionem Consistorialem incepit, quam suffragiorum, quibus Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales, necnon Reverendissimi Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi omnes in Urbe degentes, et ad hoc speciatim etiam Sanctitatis Suae nomine per literas Secretarii Congregationis sacri Concilii Tridentini acciti, apud eumdem Sanctissimum pro complemento solemnis Canonizationis indictae suppliciter institerant: Mihi infrascripto Primo Apostolicarum Caeremoniarum Magistro, ac Apostolicae Sedis Notario, Protonotario nuncupato stupentibus ac admirantibus omnibus promptitudinem animi, ingenii felicitatem ac providam Sanctitatis Suae curam, qua inopinatis etiam casibus extemporanee consulit, formaliter injunxit, mandando ut unum vel plura eorumdem Protonotariorum de numero Participantium, ut dictum est, absentium loco publicum Instrumentum, vel Instrumenta conficerem super sententiis, consilio et unanimi consensu tum Reverendissimorum DD. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione et deliberatione super solemni Canonizatione B. Catharinae de Ricciis una cum aliis quatuor suprarecensitis Beatis habenda in Basilica Vaticana die 29. praesentis mensis Junii Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli hujus Almae Urbis Patronorum Principalium Martyrio consecrata. Cujus suprema mandata venerabundus excepi, atque in genua provolutus respondi: *Conficiam*: et ad Familiares Pontificios conversus advocando eos in Testes, dixi: *Vobis Testibus:*

Quare ut injuncto mihi muneri faciam satis, Actorum omnium seriem hic referendo testor, quod hodie idem Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Divina Providentia Papa XIV. hora 13. de suis intimis Cubiculis Palatii Apostolici Quirinalis in Aula Paramentorum jam Falda praecinctus processit, ibique per Eminentissimos de Marinis, et Albanum Diaconos Cardinales antiquiores fuit sacris indutus vestibus una cum Pluviali rubro et Mitra simplici redimitus: Tum praeeunte Papali Cruce ab Auditore Rotae ex more delata exiit in illam Aulam, quae loco Ducalis substituta fuerat; pro Consistorio paratam: Statim ac fuit in sede compositus, sacrae Consistorialis Aulae Custos per consueta verba: *Extra omnes*: Cunctos admonuit, ut foras exirent: Clausisque subinde januis Papa cum Cardinalibus secretum habuit Consistorium, a cujus negotiis expeditus mandavit, ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi suffragaturi intromitterentur; sicque executioni cum fuerit demandatum, injunxit, ut nemo amplius intus accederet, etsi ex postea adventaret, ne inceptam actionem suo deturbaret ingressu: Cum itaque accidisset, quod Protonotarii et Procurator Fiscalis ducti forsan spe, ut secretum Consistorium longiori tempore esset duraturum, tardius quam opus erat, Quirinale petiissent, prae foribus remanere coacti sunt. Considentibus igitur Eminentissimis DD. Cardinalibus, caeterisque aliis stantibus praefatam habuit Papa Allocutionem; eaque expleta qui stabant, assiderunt: Tunc Eminentissimus Carafa Epis-

copus Albanensis, utpote inter praesentes Cardinales omnibus antiquior primus protulit sententiam suam, et institit apud Sanctitatem Suam, ut beatam Catharinam de Ricciis inter sanctas Virgines allegeret: Non absimili voto eumdem Sanctissimum Patrem rogarunt praesentes alii Eminentissimi Cardinales, nempe.

Franciscus Tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Burghesius.

Antonius Xaverius Tit. S. Stephani in Monte Caelio S. R. E. Presbyter Cardinalis de Gentilibus.

Fr. Joannes Antonius Tit. SS. Silvestri et Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Cardinalis Guadagni.

Trojanus Tit. S. Caeciliae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Acquaviva.

Dominicus Tit. SS. XII. Apostolorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Riviera.

Joannes Baptista Tit. S. Mariae Angelorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Spinola.

Raynerius Tit. S. Sabinae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Ilcio.

Dominicus Tit. S. Bernardi S. R. E. Presbyter Cardinalis Passionei.

Silvius Tit. S. Priscae S. R. E. Presbyter Cardinalis de Valentibus.

Fr. Joachimus Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Portocarrero.

Camillus Tit. SS. Joannis et Pauli S. R. E. Presbyter Cardinalis Paulutius.

Carolus Albertus Guidobonus Tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyter Cardinalis Cavalchinus.

Fridericus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Lantes.

Franciscus Tit. S. Mariae de Populo S. R. E. Presbyter Cardinalis Riccius.

Antonius Tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter Cardinalis Rufus.

Philippus Maria Tit. S. Agnetis extra Moenia S. R. E. Presbyter Cardinalis de Montibus.

D. Fortunatus Tit. S. Matthaei in Merulana S. R. E. Presbyter Cardinalis Tamburinus.

D. Joachimus Tit. S. Crucis in Hierusalem S. R. E. Presbyter Cardinalis Besutius.

Carolus S. Mariae in Via Lata Diaconus S. R. E. Cardinalis Marini.

Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus S. R. E. Cardinalis Albanus.

Nereus S. Eustachii Diaconus S. R. E. Cardinalis Corsinus.

Agapitus S. Agathae in Suburra Diaconus S. R. E. Cardinalis Mosca.

Carolus Maria S. Mariae in Porticu Diaconus S. R. E. Cardinalis Sacripantes.

Marius SS. Cosmae et Damiani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bolognettus.

Prosper S. Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Columna de Sciarra.

Alexander S. Mariae in Aquiro Diaconus S. R. E. Cardinalis Tanarius.

Hieronymus S. Adriani Diaconus S. R. E. Cardinalis Bardi.

Dominicus SS. Viti et Modesti Diaconus S. R. E. Cardinalis Ursinus.

Postquam DD. Cardinales a suffragiis se expedivere, adstantes Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi supplices et ipsi apud Sanctissimum Dominum Nostrum sigillatim assurgendo, dum loquebantur, pro ejusdem Beatae Canonizatione insteterunt. Erant hi RR. PP. DD.

Antonius Maria Pallavicinus Patriarcha Antiochenus.

Thomas Cervini Patriarcha Hierosolymitanus.

Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanus.

Felix Solatius Archiepiscopus Thebarum.

Gabriel Eva Archiepiscopus Cypri Syrus, qui patrio prius, deinde latino idiomate tulit suffragium.

Joannes Andreas Tria Archiepiscopus Tyri.

Simon Gritti Archiepiscopus Tyanen.

Joseph Maria Ferroni Archiepiscopus Damascenus.

Joannes Franciscus Stoppani Archiepiscopus Corinthi.

Michael de Palma Archiepiscopus Theatinus.

Stanislaus Poliastri Archiepiscopus Rossanen.

Ferdinandus Maria de Rubeis Archiepiscopus Tarsi.

Michael Maria Vincentini Archiepiscopus Theodosiae.

Nicolaus Carafa Archiepiscopus Philippensis.

Antonius Fonseca Episcopus Æsinus.

Antonius Xaverius Santamaria Episcopus Cyrenen.

Bernardus Antonius Pizzella Episcopus Constantien.

Ludovicus Antonius Valdina, olim Cremona Episcopus Hermopolitanus

Fabricius Borgia Episcopus Ferentinus.

Nicolaus Spinelli Episcopus Aversanus.

Hippolytus e Rubeis S. Secundi Episcopus Senogallien.

D. Paulus Thomas Marana Episcopus Asculanus in Piceno.

Fr. Silvester Merani Episcopus Porphyriensis.

Antonius Amalphitanus Episcopus Ortonen. et Camplen.

Antonius Cantoni Episcopus Faventinus.

Caesar Bonajuti Episcopus Pharensis.

Paulus Bonavisa Episcopus Spoletinus.

Marius Maffei Episcopus Fulginatensis.

Guido Ursellus Episcopus Caesenae.

Hyacinthus de Silvestris Episcopus Nepesinus et Sutrinus.

Ægidius Antonius Isabelli Episcopus Alliphanus.

Joannes Antonius Bachetoni Episcopus Anagninus.

Franciscus Antonius Spadea Episcopus Aquinas et Fregellarum.

Leo Lucas Vita Episcopus Oppiden.

Omnes Pontificio Solio Assistentes, quibus pari ritu et unanimi sententia Episcopi non Assistentes in emittendis pro Canonizatione suffragiis accesserunt. Videlicet RR. PP. DD.

Joseph Schirò Archiepiscopus Dirrhachinus, qui patrio prius, deinde latino idiomate tulit suffragium.

Sergius Alexandri Armenus Archiepiscopus Caesareae Cappadociae, qui patrio prius, deinde latino idiomate tulit suffragium.

Stephanus Assemanus Archiepiscopus Apameae.

Joannes Innocentius Episcopus Fagarasiensis, patrio prius, deinde latino idiomate suffragium emisit.

Bernardinus Vari Episcopus Civitatis Castellanae et Hortae.

Jacobus Philippus Consoli Episcopus Amerinus.

Josephus Coppola Episcopus Aquilanus.

Joseph de Rubeis Episcopus Venafranus.

Joannes Franciscus Cavallini Episcopus Alatrinus.

Nicolaus Cioffi Episcopus Soranus.

Joannes Antonius Castelli Episcopus Catharensis.

Nicolaus Maria Calcagnini Episcopus Civitatis Ducalis.

Innocentius Gorgonius Episcopus Pinnen. et Hadrien.

Consistoriali Actioni finem tandem imposuit altera brevis Sanctissimi Allocutio, a qua cum esset expeditus, stante Procuratoris Fiscalis et Protonotariorum Participantium absentia, demandavit mihi ut supra relatum est, quod praesens hoc prout exequor, conficerem Instrumentum.

Acta sunt haec in Quirinali Palatio die, mense et anno, quibus supra adstantibus DD. Paulo Zani Bononiensi, et Josepho Maria Puoti Neapolitano ab intimo Sanctitatis Suae Cubiculo Testibus ad hoc specialiter adhibitis, atque rogatis.

Ita est etc.

Ignatius Reali Apostolicis Caeremoniis Praefectus.

Loco ✝ Signi.

Consistorialibus Actionibus coronidem imponant etiam nunc, quae adnectuntur, suffragia DD. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum absentium ab illis.

THOMAS Episcopus Ostiensis et Veliternensis Sacri Collegii Decanus, Vice-Cancellarius Cardinalis Rufus.

Non absque peculiari divinae Providentiae consilio contingere arbitror, ut SANCTITAS VESTRA quatuor Viris ex fortibus Israel ad bella Domini doctissimis, simulque B. Catharinae de Ricciis Religiosissimae Dominicanae Disciplinae Sectatricis Sanctorum cultum solemniter decernere cogitet. Haec namque ab ipso aetatis diluculo agere incipiens, et pati fortia omnium humani generis hostium superavit insidias, viresque protrivit. Assidua ac pene ad miraculum jejunia, corporis à flagris, a ciliciis, a ferreis catenis afflictationes, transmissae inter orandum aliaque pia opera integrae fere noctes, vulgaria haec erant virtutum ejus exercitia; virtutibus quidem omnibus sed divinae praesertim charitati litabat: Eratque ipsamet ejus sacrificii victima, quam incendebat ac veluti decinerabat, quae fortis est ut mors dilectio. Hinc ejus oratio sine intermissione, et perpetuus ille in Christi Domini passionem, doloresque affectus, atque ejusdem e Cruce pendentis contemplatio amoris plena. Hinc quoque Proximi dilectio nunquam non ignea in Catharina fuit, illius tamen corporis opportunitatibus ita aderat, ut ardentius curaret animas et spiritualia commoda. Ita vero commiserabatur peccantium statum, ut impense non semel a Domino petierit, ut tela quae in illos elimaverat, in eamdem ipsam jaceret, atque exaudita gratulabatur magnopere ab aliorum traducta ad suum caput supplicia. Jure itaque optimo Mulierem hanc fortem, heroicarum virtutum meritis adeo illustrem, omnium charismatum donis praelucentem, et plurium miraculorum luce coruscantem, Sanctam esse et debito Sanctis cultu esse honorandam, SANCTITAS VESTRA suprema qua pollet auctoritate, pronunciabit.

ANNIBAL Episcopus Portuensis Cardinalis Albanus S. Clementis nuncupatus.

Beata Catharina de Ricciis Monialis Virgo ex Ordine Praedicatorum tam eximia morum sanctitate claruit, ut nulla vitae ejus pars fuerit, quae christiana virtute non maxime spectetur et habeatur illustris. Aucta in dies aetas perfectionem addidit, protractumque tempus admirabiliora exhibuit spectatae sanctitatis incrementa. Illa Virgines Deo sacras, inter quas fuit adscripta et vixit; illa seculares homines variae conditionis et ordinis ad virtutem inflammavit; illa compluribus saluti fuit; illa denique a Civibus perinde ac Exteris, quibus innotuit, celebrata est. Multi etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales amplissimi, quorum tres nimirum Cervinus, Mediceus et Aldobrandinus Summi Pontifices evasere, aliique Viri Principes supremo Urbium ac Regionum imperio clari, praesentes sunt ipsam venerati. Admirabilem Catharinae sanctitatem divinitus cognitam S. Philippus Nerius, et S. Maria Magdalena de Pazzis suspexerunt. Venerando religiosae vitae exemplo, donisque caelestibus longe praecipuis, quibus a Deo affluenter ditata fuit, altera S. Catharina Senensis est habita. Neque id mirum. Ita enim Catharina de Ricciis in terris egit, ut plane animo, corde, spiritu tota in Deum rapta videretur; sibique penitus mortua uni Deo ejusque gloriae viveret. Digna proinde illo honore est, qui ceteris sanctis hominibus ex Apostolicae Sedis praescripto tribui solet: Quum illis nulla parte Catharina sit inferior.

VINCENTIUS Episcopus Praenestinus Cardinalis Petra Major Poenitentiarius.

Non est, cur B. Catharinae de Ricciis Virginis Ordinis Praedicatorum sanctitatem pluribus praedicem, quam cum viveret multi Episcopi et Cardinales, qui spiritum ejus probarant, dignam esse dixerunt, quae in Album sanctarum Virginum referretur. Ea namque cum spretis amplissimae domus divitiis, relictaque Patria in Monasterio sancti Vincentii Civitatis Prati in Etruria Institutum sancti Dominici fuisset amplexa, nihil antiquius habuit, quam ut mortificationem Jesu semper in suo corpore circumferret. Pertulit ea quidem acerbissimos cruciatus ob Jesu Servatoris amorem, quo maximopere flagrabat, obtinuitque, ut Corona spinea suum ca-

-put transfigeretur, et Stigmata Domini Jesu in corpore suo portaret. Humilitate, obedientia, virginitate, paupertate, charitate, misericordia, omnibus denique virtutibus clara, insignisque dono miraculorum a caelesti Sponso in Caelum evecta est, ubi gloria sempiterna frueretur. Quare nemo Catholicorum est, qui non desideret, ut ei novum decus per solemnem Canonizationem accedat.

JOSEPH Episcopus Tusculanus Cardinalis Accorambonus.

Quoniam Deo Optimo Maximo, cujus sermocinatio est cum simplicibus, nedum placuit praeclara beatae Catharinae merita supernis charismatibus, cum viveret, liberaliter cumulare, verum etiam uberrimam qua nunc in Caelis fruitur, gloriam singularibus miraculis testatam facere: Jure proinde meritoque SANCTITAS VESTRA eam Divorum Fastis adscribet.

VINCENTIUS Episcopus Sabinensis Cardinalis Bichius.

Profecto Virgo sapiens fuit beata Catharina de Ricciis Monialis professa in Monasterio Pratensi Ordinis Praedicatorum, quae in diebus peregrinationis suae divini spiritus infusione Apostolicum consilium secuta cogitavit quae sunt Domini, ut esset sancta corpore et spiritu, atque cum caelesti Sponso in beata regnaret aeternitate. Nec in praeconcepto desiderio defuit Catharinae divina gratia, quae illam specialibus prosequuta beneficiis, ea omnia mirabilia ipsi concessit, quae de sanctis Virginibus Rosa Limana, et Agnete a Monte Politiano in earum Canonizationum Apostolicis literis continentur. Impletum vidit Catharina Oraculum divinum: *Sponsabo Te mihi in fide;* et facta Sponsa Christi, illius experta fuit Passionem, ut cum ipso esset in caelesti gloria. Hujus B. Catharinae magnum fuit sanctitatis indicium, quod ipsa Prati commorans S. Philippi Nerii Romae degentis praesentem habuerit aspectum, ipsumque fuerit allocuta, ut testatur Bulla Canonizationis ejusdem S. Philippi; cumque plena meritis beata Catharina ad Caelum evolasset, tanta sunt ejus miraculorum post mortem patratorum testimonia, ut de illius sanctitate non sit relictus ambigendi locus; et ideo mereatur inter sanctas Virgines adscribi.

NICOLAUS MARIA Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Lercari.

Gloriosas Ordinis praedicatorum Virgines aemulata beata Catharina de Ricciis, oratione, humilitate, altissima rerum caelestium contemplatione, ac divini amoris ardore adeo fuit eis simillima, ut parem cum eis caelestium donorum partem in terris vivens receperit, eadem in corpore suo patentia signa portaverit, eandemque in Caelis coronam vitae inde promeruerit: Quod cum testatum faciant miracula ac prodigia ejus intercessione divinitus patrata, merito catholicae Ecclesiae Fastos ejus nomine augeri enixe postulamus.

RAPHAEL COSIMUS Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis de Hieronymis.

BEATISSIME PATER. Sponsus divinus qui pascitur inter lilia, pulcherrimos in sacris hortis excolere consuevit flores, quorum caelesti odore ad Angelicam Virginitatis virtutem suaviter capta B. Virgo Catharina de Ricciis, tanto divini amoris aestu in mediis Virginitatis nivibus arsit, tantaque ejus fuit caelestium virtutum fragrantia, ut caelestem Sponsum allexerit ad illam annulo subarrhandam. Illam igitur, quam Deus ante et post mortem miraculis quoque dignatus est illustrare, Sanctarum numero adscribendam a SANCTITATE VESTRA dignam existimo ad solatium non minus quam ad exemplum ceterorum Fidelium, qui eamdem Angelicam sectantur virtutem.

CAROLUS Tit. S. Mariae de Ara-Caeli Presbyter Cardinalis Calcagninus.

Omnipotens Dominus! quia in sanctitate nullam vult inter utrumque sexum meritorum disparitatem, eligit infirma Mundi, ut fortia confundat; sicuti ostendit in beata Virgine Catharina de Ricciis Florentina, quae

ab ipsa fere infantia ita omnium virtutum rudimenta praesetulit, ut Angeli sui Custodis aspectu frui ejusque colloquiis recreari frequentissime mereretur. Crescente vero aetate, abdicatis hujus Mundi pompis, spretisque Parentum blanditiis, inter S. Dominici filias adnumerari voluit. Ibi orationi jugiter intenta inter Coelites potius quam inter homines versari visa fuit. Amplexus dulcissimos Christi Jesu in Cruce pendentis sibi acceptissimam Sponsam esse dicentis meruit obtinere. Caelestium visionum et prophetici spiritus particeps fuit; tamen abjectissimam toto corde se reputabat; tandem caelestis Sponsus, ut Sponsae suae argumenta praecipuae charitatis exhiberet, sacra Redemptionis Stigmata ejus sinistro lateri manibus pedibusque impressit, ut in omnibus sibi similis appareret; quae mature considerans Clemens XII. ei primos Religiosi cultus concessit honores; quibus novis deinde adjectis signis et probationibus, ardentissime deprecor SANCTITATEM VESTRAM, ut beata Catharina sanctarum Virginum Catalogo adscribatur, sic ejusdem praeclaris meritis exposcentibus.

HIERONYMUS S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.

Quae laus esse solet communis omnibus cum Christo Regnantibus, ut eos ex *massa perditionis electos praedestinaverit caelestis Pater conformes fieri imagini Filii sui*, eamdem praecipua quadam ac plane singulari ratione propriam esse B. Catharinae de Ricciis saepe mecum cogitavi, BEATISSIME PATER. Illam siquidem in *benedictionibus dulcedinis ita praevenit miserator ac misericors Dominus*, ut sanguinea Redemptionis Stigmata ipsius sinistro lateri, manibus praeterea ac pedibus insculpserit, spinea Corona Sponsae suae caput transfixerit, nescias utrum majori honoris an doloris praerogativa, tergo profunde impresserit vestigia salutaris Crucis, *quae facta fuerat principatus super humerum Redemptoris*, per annos duodecim horis viginti octo in hebdomadas singulas communicaverit acerbissimos sacrae Passionis cruciatus, quibus *olim Dei Filius peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, denique ne quid ad absolutissimam, quae haberi posset, imaginis perfectionem deesset, exteriorem Christi Domini speciem exprimi ac repraesentari aliquando voluit Catharinae vultu, ut quemadmodum olim aeternus Pater in *Dilecto Filio* ita simili quadantenus ratione in sancta hac Virgine *sibi bene complacuisse testaretur*; Nemini autem fas est suspicari, quin tanta tamque prodigiosa corporis cum Christo similitudo sejuncta fuerit ab interiori ejusdem imitatione, qua piissima haec Virgo omnium virtutum exercitatione *carnem suam crucifixerit tum vitiis et concupiscentiis*. Aequum proinde censeo, BEATISSIME PATER, ut quae *cum Christo compassa est*, *cum Christo etiam in Ecclesia regnet* sanctarum Virginum Catalogo inscripta, et quae Christi dolorum particeps fuit, consortium aliquod habeat in publicis honoribus, quibus Deus Filium suum exaltans *magnifice cum eo fecit*, *annunciari jubens nomen ejus in universa terra*.

MUNDILLUS Ursinus Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

Habes in beata Catharina, BEATISSIME PATER, Mulierem fortem non procul et de ultimis finibus, sed in proximis Regionibus natam, quae ab ipsis pene incunabulis manum suam mittens ad fortia oblectamentis omnibus bellum indixit, et gloriosissimas de inferno Hoste victorias reportavit. Habes prudentem Virginem, quae sumpto secum divini amoris oleo praeclarissimarum virtutum lampadem accensam semper praesetulit; quamque Dominus in omni patientia, in profunda humilitate, in contemplatione sublimi, in intensissima charitate assidue vigilantem invenit. Habes demum dilectissimam Sponsam, quam Christus subarrhavit annulo suo, cui Stigmata Redemptionis impressit; in cujus sinu saepe thronum suum posuit; et quam revulsis e Cruce brachiis amplexatus est. Dignissimam propterea censeo, quae sanctarum gloria sublimetur; ut in ejus odorem currentes aeterno Regi plurimae Virgines post eam adducantur.

JOSEPH MARIA Rufus Archiepiscopus Capuanus Assistens.

In concluso caelestis Sponsi horto virentes semper apparuere flores: Beatae vero Catharinae de Ricciis virginitatis, humilitatis ac charitatis lilium micavit, velut inter stellas luna minores: Haec enim aetatem, sexum naturam praetergressa Angelicam in terris vitam peregit, hinc tot splendidiora charismatum dona in cor ejus fuerunt a sancti Spiritus liberalitate effusa, ut vix aliqua imitanda sed Posteris admiranda potius collata esse viderentur.

Nec mirum videri debet, quod Deus talia ac tanta in beata Catharina congesta esse voluerit dona caelestia, siquidem cum prius de fundamento cogitasset humilitatis, ideo misericorditer ac copiose respexit humilitatem Ancillae suae: Quapropter cum jure emanatum sit Decretum de publice peragenda Virginis Canonizatione, ut executioni mandetur, enixe postulat tota Ordinis Praedicatorum Familia, cui annuendum censeo, SANCTITATIS VESTRAE accedat Oraculum. Et ita etc.

D. FERDINANDUS ROMUALDUS Guiccioli Archiepiscopus Ravennae Assistens.

Beatae Catharinae de Ricciis Acta legenti, SANCTISSIME PATER, occurrit statim ipsissima imago Catharinae alterius, Senensis videlicet, occurrit Teresiae et Magdalenae de Pazzis imago. Idem in ea illibatae virginitatis flos; idem humilitatis, poenitentiae, omnisque virtutum generis miraculum; idem vero et praecipue admirabilis, suavissimus, prodigiosus in Deum amor. Occupant legentem charismatum dona, ineffabilia divinae in amantissimam Sponsam dilectionis argumenta: Occupant caelestia sponsalia, Crucifixi Stigmata, compassivus Sponsi in Cruce morientis dolor, mutuique tenerrimi amoris incomprehensibilis communicatio. Quis ergo talia recogitans non obstupescat, mirabilemque Deum in hac Sancta sua non fateatur et praedicet? Innumerabilia demum, quae viventem comitata sunt prodigia, et innumerabilia, quae seculo defunctam secuta leguntur, totidem sunt ineluctabilia signa, totidem voces, quibus eam in altissimis Paradisi sedibus inter sanctas Virgines collocatam, in terris etiam cum sanctis Virginibus venerandam esse, ipsi Caeli apertissime demonstrarunt ac demonstrant.

Fr. ANTONINUS Camarda Episcopus Reatinus Assistens.

BEATISSIME PATER. Beata Catharina de Ricciis Florentiae nata postquam perplurimos fructus honoris et honestatis edidit, inaestimabilem illam gloriam obtinuit, ut ejus Sponsa mereretur esse, in quem desiderant Angeli prospicere, et cujus pulchritudinem Sol et Luna mirantur. Unigenitus namque Filius Dei revelata ei facie festivus in sinu Matris occurrit, tenensque manum dexteram ejus, et in voluntate sua deducens eam, ac cum gloria suscipiens, annulum in signum perennis amoris sui ei praebuit, desponsavitque in fide. Et ut Vir dolorum ac Sponsus sanguinis eam visibilibus Redemptionis nostrae signis, quinque scilicet vulneribus suis condecoravit, ut quae Socia esset in passione, Socia quoque foret in ejus glorificatione; ideoque connumeranda censetur Oraculo SANCTITATIS VESTRAE inter sanctas Virgines, quae regnant cum Deo, et Agnus Dei cum illis.

Fr. PAULUS Alpheran de Bussan Episcopus Melitensis Assistens.

BEATISSIME PATER. Quatuor Beatorum triumphos beata Catharina de Ricciis Monialis Ordinis Praedicatorum, eximiis et excelsis virtutibus quae Virginibus imitandae proponuntur, decorat ac perficit, et sic utriusque sexus Christifidelibus vestigia sanctitatis sectanda exhibentur. Enim vero gloriosa Virgo per quadraginta duos annos Monasterii Pratensis regimini praefuit, in quo humilitate, patientia, prudentia, vitae austeritate praeluxit. Divino amore jugiter accensa sublimibus charismatibus a caelesti Sponso insigniri meruit. Perfice, BEATISSIME PATER, divinum tam praeclarae Virginis Canonizationis opus, et fac illam auctoritate suprema qua omnibus in Domo Domini emines, cum san-

etis Virginibus connumerari, et esse triumphalis gaudii participem.

D. PLACIDUS Pezzancheri Episcopus Tiburtinus Assistens.

Beata Catharina de Ricciis adhuc pene infans non obscura futurae sanctitatis praebuit indicia; siquidem ab eo tempore pueriles lusus exosa pietatis exercitationes in deliciis habuit; rationemque orandi ab Angelo suo tutelari, qui se illi conspiciendum dabat, edocta precibus ac rerum divinarum contemplationi assidue vacavit. Aetatis anno tertio decimo, aegre impetrata a Patre venia convolans ad Coenobium Pratense Tertii Ordinis S. Dominici ante et post Professionem vitam vixit Angelicam. Et sicut sanctam illam Virginem Senensem ejusdem Instituti sectatricem, cujus nomen sortita fuerat, aemulata Virgineum corpusculum inedia, vigiliis, flagellationibus jugiter afflictavit; ita iisdem ac illa donis supernaturalibus meruit cumulari. Saepissime enim extra se rapiebatur; interdum etiam corpore elevata Christi Domini, ejus sanctissimae Matris Mariae, aliorumque Caelitum aspectu et colloquio fruebatur, cogitationes cordium videbat, praevidebat futura: Cor sibi commutari sensit ab eodem Christo Domino, a quo etiam mysticum annulum, velut castissimarum nuptiarum arrham, seu potius tesseram accepit, sacrisque Stigmatibus et spinea Corona decorata fuit. Et quia ad haec accessere miracula, quibus caelestis Sponsus eam illustravit, in sanctarum Virginum numerum solemniter cooptandam existimo.

ALEXANDER de Abbatibus Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis Assistens.

Familiaris qua cum Tutelari Angelo utebatur consuetudo; Angelici concentus quibus in Domino placide obdormivit; frequentia cum Deipara Virgine colloquia, initae cum Agno caelesti nuptiae, insculpta in carne divinae Passionis signa satis superque attestantur heroicis B. Catharinae de Ricciis virtutibus; iis inquam virtutibus, quibus illa in Caelum evecta est ad castissima Divini amoris oscula, quibus etiam fruebatur in terris, dum refixis e Cruce brachiis Christus Dominus in ejusdem ruit amplexus. Quae quidem omnia cum B. Catharinae conciliaverint apud omnes meritam sanctitatis famam miraculis corroboratam, aequum sane videbitur, ut SANCTITAS VESTRA humillimis indulgeat eorum precibus, qui ob publicam tantae Virginis venerationem novum adscisci vellent Ecclesiae decus et praesidium.

NICOLAUS FRANCISCUS de Bonhome Episcopus Carpasiensis Assistens.

In beata Catharina de Ricciis Monialis Ordinis Praedicatorum verificatur illud ab Ecclesiastico depraedicatum: Initium sapientiae timor Domini, et cum fidelibus in vulva creatus est, et cum electis foeminis graditur, et cum justis agnoscitur; ab infantia enim timuit Deum, et mandata ejus custodivit, virginitatem inviolabiliter semper conservavit, atque omnium virtutum mirabile fuit complexum, ab Angelo edocta egregiam ac sanctissimam devotionem erga Deiparam Matrem amabilissimam et Jesum ejus Divinum Filium patientem et morientem in Cruce amplexa est in perpetuum; speciali favore desponsata cum Christo carnem jugiter crucifixit, et Stigmata Jesu crucifixi ac hujus Passionis signa in corpore indelebiliter portavit; spiritu vixit, spiritu ambulavit, conversatioque ejus fuit in Caelis, atque per heroicam humilitatem, ardentemque et perfectam charitatem quam mirari facilius est, quam exprimere, ad se in terris attraxit e Caelo Deum, qui eam tanquam suam Sponsam dilectam elevavit ad regna Caelorum, et ei reddidit coronam gloriae, quam repromisit diligentibus se, illudque sequentibus signis prodigiosis, et ostentis declaravit; itaut in Albo sanctarum Virginum inserenda videatur, ideoque istam insertionem a SANCTITATE VESTRA supplicabundus deprecor.

NICOLAUS Simoni Episcopus Marcianensis Assistens.

Virginem castam semper se Christo exhibuit beata Catharina, contrariis Patris conatibus igne superni amoris devictis ac supera-

tis. Lilium pudicitiae natum ferme inter spinas, ac custoditum nunquam exaruit, dedit siquidem etiam post mortem odorem suavitatis. Sponsae igitur corpore et cogitatione incorruptae convenit Domi Sponsi caelestis locus, ac nomen melius, nomen sempiternum quod nunquam pereat.

NICOLAUS Mancinforti Episcopus Anconitanus Assistens.

Beata Catharina de Ricciis vere fuit *Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini.* Utrumque egit, nimirum *et castitate praeeminuit, et per bona opera se exercuit. Restat igitur ut consummetur opus suum magno praemio destinatum;* scilicet ut a SANCTITATE VESTRA praeclara Virgo tot miraculis et spiritualibus gratiis illustrata inter caelestes Christi Sponsas veneranda, in foecundae Matris Ecclesiae gaudium ac Puellarum se Deo voventium incitamentum infallibili Decreto suo proclametur.

LUDOVICUS Savageri Episcopus Tempensis.

Beata Catharina de Ricciis a primis annis magno virginitatis desiderio clara, Sanctimonialium sancti Dominici regulam professa, et Christo desponsata morum puritate, Angelica innocentia, charitate qua flagrabat, et divino quo succensa erat, amore, quoque saepe in ecstasim rapiebatur, meruit passim in hac vita Angelica uti consuetudine, digna Christo Sponsa signis ac prodigiis declarari, ac denique sancta Maria Magdalena de Pazzis caelesti visione admirante, in Caelo virginitatis palmam gloriaeque aeternae coronam obtinere. In cujus quidem rei confirmationem, cum multa Deus sit operatus miracula solemni nunc Canonizatione auctoritate Tua, BEATISSIME PATER, Sanctorum honores ipsi decernendos esse arbitror.

THOMAS ALEXIUS de Rubeis Episcopus Aprutinus.

Nihil habeo. SANCTISSIME PATER, quod pro Sanctificatione B. Catharinae de Ricciis; nihil habeo quod possim afferre, nisi quae Patrum diligentia de illius sanctitate comperta sunt, si quid de mea sententia dicere amplius voluissem superfluum censeo.

Solummodo afferam: florem recentem inclyti Praedicatorum viridarii, qua doctrina, qua sanctitate jam a seculis florescentis, dignum esse in aeternae illius mansionis amoenissimo campo repositum declarari.

Virtutes ejus exposcunt, miracula clamant: Poenitentia etenim cum primis in ciliciis afflixit, flagellis, frigore, nuditate atque omnium poenarum genere sese cruciavit.

In altissimam contemplationem rerum caelestium addicta Angeli sui colloquium et praesentiam, quia et quandoque Sponsi caelestis dulcissimos sermones promeruit audire: Corporis infirmitates, animi ariditatem: Quid plura? Maledicta in se jactata, ac etiam obtrectationes stultorum hominum aequo semper animo tulit.

Nihil habuit antiquius, quam sui voluntatem a consilio Directoris non abhorrere.

Haec in vita et post ejus felicem obitum mira suis orationibus patrasse facinora solerti diligentia probatum est.

Idcirco Sanctam declarari Sanctissimum Patrem Nostrum et Pontificem Maximum in praesentiarum humillime deprecamur demisseque obtestamur. Amen.

HIERONYMUS Lorenzi Episcopus Acernensis.

BEATISSIME PATER. Quod in Canticis est: *Ego dilecto meo et ad me conversio ejus;* vere de se dicere B. Catharina de Ricciis potuit. Caelestem enim Sponsum per omnes virtutum gradus sequuta ipsa est, et unice dilexit: Ille spineo diademate sacrisque Stigmatibus cum ea communicatis Passionis etiam suae cruciatibus per duodecim annos singulis hebdomadis in eam transfusis tam conformem imagini effecit suae, ut sua etiam ipsius externa oris specie a Catharinae vultu aliquando repraesentata in eadem vivere videretur. Tam egregiam virtutum Magistram, quam caelestibus tot donis in viventem, tot post mortem miraculis Ecclesiae suae Deus commendavit, ut inter sanctas Virgines referre velis, BEATISSIME PATER, oro Te et obtestor.

ANTONIUS Franci Episcopus Crasseti.

Ab ipso pene vitae suae exordio Catharina de Ricciis lampadem suam aptavit, sumptoque oleo ardentissimae charitatis Virgo sapiens et prudens inextinguibilem fecit. Hinc est, quod veniente Domino cum eo ad nuptias introivit, et intendens prospereque procedens specie sua, et pulchritudine sua digna habita est, quam inhabitare Dominus faceret in tabernaculo suo; quam data dextera caelesti annulo sibi desponsaret; quam singulari sanctitatis diademate coronaret. Decet igitur, BEATISSIME PATER, ut quam Dominus elegit et praeelegit, quam se dignam invenit, quam tot charismatibus locupletavit, a Vicario ejusdem Domini honore et gloria qua potest maxima, haec etiam in terris coronetur.

Diebus Jejuniorum elapsis, cum solemnes essent preces saepius iterandae; prima autem pro iis statio apud Lateranum, ubi publicae venerationi proponendum erat Augustissimum Sacramentum, indicta, ut supra memoratum est, in Dominicam diem 19. Junii jam immineret, significavit Pontifex se praedictam Basilicam, ut et Rem divinam ibi faceret et Deum precaretur impensius, eo die petiturum frequentiori non tantum suorum Familiarium, sed Praesulum etiam et Procerum comitatu: Quare per hanc privatam schedulam admoniti fuere Eminentissimi Domini Cardinales, ut si et ipsi accedere illuc voluissent praesertim acquirendae Indulgentiae gratia, rubri coloris vestibus uterentur.

EMINENTISSIMO E REVERENDISSIMO SIGNORE.

Domenica prossima 19. *del cadente Mese di Giugno la Santità di Nostro Signore all' ore* dodici e mezza *partirà dal Palazzo Quirinale per portarsi alla Basilica di San Giovanni in Laterano, ove dopo venerato il SANTISSIMO SACRAMENTO esposto, celebrerà Messa per implorare la divina Assistenza nella grave deliberazione della prossima Canonizazione de' Beati* FEDELE DA SIGMARINGA, CAMILLO DE LELLIS, PIETRO REGALATO, GIUSEPPE DA LEONESSA, *e* CATARINA RICCI: *Li Signori Cardinali che vorranno intervenirvi, anche ad oggetto di conseguire l' Indulgenza a tal' effetto dalla Santità Sua concessa, si troveranno vestiti di Rocchetto, Mantelletta, e Mozzetta di colore rosso.*

Porro viginti ferme Eminentissimi Patres voluptati Pontificiae obsecundantes stata hora ad Lateranensem Basilicam venere, quam Romani Populi multitudine, ut peccatorum suorum Indulgentiam a Deo peterent, pene completam invenerunt: Tanta virtus est boni operis et exempli. Haud ita multo post advenientem Sanctitatem Suam solemni pompa obviam facti Cardinales cum salutassent, descendentem de sella exceperunt; et quia ratione comitatus Sacri Collegii collegialiter Pontifex accedere dicebatur, ideo antequam Basilicam ingrederetur, ex Subdiaconis Apostolicis Romanae Rotae Auditoribus junior Rocchetto et Mantelletto indutus R. P. D. Alphonsus Clemens de Aroztequi Hispanus medius inter duos Magistros *de Virga Rubra* nuncupatos Crucem gestavit intra dictae Basilicae ambitum, ab ipso statim accessu Pontificis usque ad recessum. Ac Papam quidem Clavigeris Pontificiis hinc et inde incedentibus progredientem, ut Sanctissimum Sacramentum adoraret, Cardinales comitati fuerunt: Hostiam vero immolanti in Ara Principe adfuerunt ante parata scabella flexis genibus; Sacro demum et precibus peractis eum iterum ad sellam deduxere.

Postridie altera schedula hujus exempli nunciatum est iisdem DD. Cardinalibus, Sanctissimum Patrem proxima quarta feria iturum ad Basilicam Vaticanam, ut quemadmodum fecerat in Laterano, ibi etiam Eucharisticum Sacramentum publice expositum veneraretur, et Sacrificium conficeret.

EMINENTISSIMO E REVERENDISSIMO SIGNORE.

Volendo la Santità di Nostro Signore BENEDETTO *Papa XIV. con reiterate preghiere ricorrere all' Altissimo, perchè si degni assisterlo coll' abbondanza de' suoi lumi nell' importantissimo affare della futura Canonizazione, si porterà Mercoledì prossimo* 22. *del*

cadente mese di Giugno, *partendo dal suo Palazzo del Quirinale* all' ore dodici e mezza *alla Basilica Vaticana per ivi adorare il Santissimo* SACRAMENTO *a tale effetto alla publica venerazione esposto; e susseguentemente celebrare ancora la Messa: Si rende pertanto consapevole Vostra Eminenza, a fine volendosi ritrovare presente alle sopraddette sagre funzioni, si vesta in detta mattina dell' abito Cardinalizio rosso con il Rocchetto.*

Concursus idem Populi, idem Cardinalium numerus: Similes quoque ritus, similes Caeremoniae cum descensus comitatusque, tum assistentiae et deductionis a Cardinalibus erga Pontificem exhibitae. Quare inutile foret in iisdem describendis diutius immorari.

Ecclesiam vero Sanctae Mariae supra Minervam, quam in Liberianae locum suffecerat, statuit Pontifex adire post meridiem sequentis feriae sextae, qui dies erat Natalis Praecursoris Domini; ne si mane id faceret, Eminentissimi Patres avocarentur a Lateranensi Basilica, in qua Sacrificio Missae in honorem S. Joannis Baptistae solemni ritu decantatae solent adesse. Quod autem ex eo Festo die non minor futurus conjici poterat ad Ecclesiam Sanctae Mariae populi concursus, quam ad Basilicas antea fuisset; congruum videbatur, ut non sine Cardinalibus Pontifex ad eam accederet: Quamobrem et hac vice, ut per schedulam iidem admonerentur, tempestive curatum est.

EMINENTISSIMO E REVERENDISSIMO SIGNORE.

La Santità di Nostro Signore BENEDETTO PAPA XIV. *perchè incessanti siano le sue suppliche all' Altissimo*, *approssimandosi il giorno destinato a determinarsi per la Canonizazione de' Beati* FEDELE *da* SIGMARINGA, CAMILLO *de* LELLIS, PIETRO REGALATO, GIUSEPPE *da* LEONESSA, *e* CATARINA RICCI, *vuole anche Venerdì il giorno* 24. *del mese di Giugno*, *partendo alle* 22. *ore in circa dal Quirinale*, *portarsi alla Chiesa di S. Maria sopra Minerva per ivi venerare l' Augustissimo* SACRAMENTO *esposto*, *come ha parimente eseguito in questi passati giorni nelle due Basiliche per il menzionato effetto. Del tutto se ne dà notizia a V. E.*, *acciò volendo intervenire*, *possa trovarsi in detta Chiesa in abito Cardinalizio rosso*, *e Rocchetto*, *conforme nelle altre due consimili occasioni si è praticato.*

Qua igitur die et hora constituerat, adivit praedictum Templum Sanctissimus Pater; et licet tres supra viginti eo convenissent Cardinales, vix uni aut alteri eorum etiam Militum Helveticorum praesidio licuit Sanctitatem suam propius comitari. Tanta enim hominum multitudo confluxerat, ut eam Templum ipsum, quamvis amplum sit, capere non posset. Quare cognita illacrymavit prae gaudio supremus Gregis Christi Custos creditarum sibi ovium religione commotus, quae tanti Pastoris exemplo ita sibi propitiare Deum precibus studebant eo tempore, ut ei quem (a) constitutum super se speculatorem a Deo noverant (b), spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et scientiae poterent dari, qui eidem adesset, cum jam novellos (c) Agnos aurea Corona signo Sanctitatis expressa redimitos quamprimum ostendere toti parabat Ecclesiae.

Ac Pontifex quidem post fusas preces redux in Quirinale Palatium eadem in causa sacros Ecclesiae thesauros iis iterum aperuit, qui Canonizationis Actioni vel Supplicationi interfuissent, aut si qui essent, qui impedirentur quominus id facerent, certas quasdam hi preces recitassent; dummodo prius, aut saltem inter Octiduum futurum confessionis Sacramento expiati Eucharisticae mensae omnes accumberent; quod Pontificis Edictum, ut in locis Urbis frequentioribus proponeretur impressum, curavit Eminentissimus Cardinalis Guadagni Sanctissimi Domini Nostri Papae Vicarius, aliis praeterea mandatis ad omnes urbis Ecclesias transmissis juxta instructionem, quam Sanctitatis Suae imperio ab Apostolico Caeremoniario acceperat.

(a) *Ezechiel. cap.* 33. *v.* 2. (b) *Isai. cap.* 11. *v.* 2. (c) *Eccli. cap.* 45. *v.* 14.

Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Vicarius mandet affigi per Urbem schedulam publicationis Indulgentiae plenariae, quam Sanctissimus elargitur omnibus interessentibus solemni Canonizationi beatorum Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Josephi a Leonissa, et Catharinae de Ricciis, Deo inspirante peragendae die Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli feria quarta 29. Jun.

Mandet insuper Mandatariis, ut utrumque Clerum Secularem et Regularem, nec excepti Capitulis trium Basilicarum Urbis, et duarum Collegiatarum Insignium, necnon Monachis quantumvis exemptis, admoneant, etiam dimissa copia typis imprimenda, ut summo mane scilicet hora nona dictae diei feriae quartae 29. Junii cum eorum Crucibus, sicuti solent in festo Corporis Christi, ad Vaticanum contendant, et in Atrium magnum Palatii Pontificii simul conveniant, inde supplicabundi consueto ordine discessuri, et a Porta majori Palatii ad Obeliscum; indeque ad Portam Basilicae hinc inde dispositi Pueri Hospitii Apostolici S. Michaelis et Orphani, necnon Clerus Regularis et Secularis, exclusive ad Capitula dictarum Collegiatarum insignium stationes agentes Sanctissimi adventum expectent. Capitulum S. Petri in suo ordine procedat, et sub Porticu hinc inde dispositum Sanctissimo pariter adventuro assistentiam consuetam praestet. Capitula vero Collegiatarum Insignium, necnon Basilicarum Liberianae et Lateranensi, Basilicam ipsam Vaticanam ingrediantur, ibique disposita per alas adventum Sanctissimi similiter expectent.

Mandet etiam intimari, Domi quoque dimissa copia ut supra imprimenda, omnibus et singulis Rectoribus, Sacristis, Cappellanis, seu quovis alio nomine nuncupatis Ecclesiarum et Oratoriorum omnium Custodibus, necnon Monialibus Urbis, ut die praedicta 29. Junii, cum primum audierint bombardarum strepitum ex Arce S. Angeli, seu pulsum Campanae Capitolinae inter duodecimam, et decimam tertiam horam circiter pulsent, seu pulsari faciant Campanas omnes hilariter per integram saltem horam.

Fr. GIO. ANTONIO del Titolo de' SS. Silvestro e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Nostro Signore Vicario Generale etc.

La santità di Nostro Signore Papa BENEDETTO *XIV. concede Indulgenza Plenaria, e remissione de' Peccati a tutti i Fedeli Cristiani dell' uno, e l' altro sesso, che confessati, e communicati, ovvero con fermo proposito di comunicarsi dentro la ventura settimana interverranno alla Processione, o alla solenne Canonizazione delli beati* FEDELE *da* SIGMARINGA *Martire dell' Ordine de' Cappuccini*, CAMILLO *de* LELLIS *Fondatore dei Cherici Regolari Ministri degl' Infermi*, PIETRO REGALATO *dell' Ordine de' Minori Osservanti*, GIUSEPPE *da* LEONESSA *parimente del suddetto Ordine de' Cappuccini, e di* CATARINA RICCI *dell' Ordine Domenicano; che coll' ajuto Divino si farà dalla Santità Sua Mercoledì prossimo 29. del corrente mese di Giugno Festa de' gloriosi SS. Apostoli* PIETRO *e* PAOLO *principali Protettori di Roma, nella Basilica Vaticana, ed a quelli che ritenuti in Casa o in Carcere, ed alle Monache, ed altri esistenti in Clausura ed ad ogni altro in qualunque modo legittimamente impedito; che allo sparo di Castello, e al suono delle Campane in detta mattina genuflessi, o altrimenti come potranno, diranno tre* Pater Noster, *e tre* Ave Maria, *e renderanno grazie a Dio della solenne Canonizazione de' suddetti Beati, per la gloria che in essa si aggiunge alla Religione Cattolica.*

Premendo però sommamente alla Santità Sua, che tutti quei Fedeli parimente dell' uno, e dell' altro sesso, di qualsisia grado o condizione siano, che vorranno intervenire alla suddetta Processione, o Canonizazione, vi assistino con quella maggior modestia, e divoto raccoglimento, con cui tanto interiormente, quanto esteriormente merita di essere accompagnata una sì sagra azione: D' ordine espresso della Santità Sua se ne dà loro questo speciale ricordo, col quale strettamente s' incarica a ciascheduno di essi di praticare in tale occasione tutta quella pietà e divozione, che conviene alla santità della funzione che si fa, onde non solo abbia ad essere rimossa ogni occasione di scandalo, che si darebbe da chi facesse diversamente, ma per lo contrario abbia

a darsi motivo a chiunque vedrà l' istessa funzione, di ritrarne edificazione e profitto. Avverta perciò ogn' uno di conformarsi colla dovuta obedienza alla giustissima mente di Nostro Signore per non incontrare l' indignazione della Santità Sua, e molto più per non incorrere quella di Dio, che con severi castighi suol punire le irriverenze, che si commettono nelle azioni ordinate all' accrescimento del suo culto, e alla maggior propagazione della sua gloria, quale appunto è la solenne Canonizazione de' Santi. Dato in Roma li 24. Giugno 1746.

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gasparo Arciprete Ori Segretario.

Fr. GIO. ANTONIO del Titolo de' SS. Silvestro e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Nostro Signore Vicario Generale etc.

La Santità di Nostro Signore comanda a tutti li Canonici delle Patriarcali, e Collegiate anche insigni, Curati Secolari e Regolari, Monaci, Frati, et altri tutti del Clero Secolare, e Regolare di Roma soliti ad intervenire alla Processione del Corpus Domini, *che Mercoledì 29. del presente Mese di Giugno, festa delli gloriosi Apostoli e principali Protettori di Roma SS. Pietro, e Paolo debbano ritrovarsi ad* ore nove *nel Cortile superiore del Palazzo Apostolico Vaticano per intervenire alla generale e solenne Processione della Canonizazione da farsi con l' ajuto Divino nella Basilica di S. Pietro, delli beati* FEDELE *da* SIGMARINGA *Martire dell' Ordine de' Cappuccini*, CAMILLO *de* LELLIS *Fondatore de' Cherici Regolari Ministri degl' Infermi*, PIETRO REGALATO *dell' Ordine de' Minori Osservanti*, GIUSEPPE *da* LEONESSA *parimente del suddetto Ordine de' Cappuccini, e* CATARINA RICCI *dell' Ordine Domenicano, sotto pena a nostro arbitrio. Dato in Roma li 24. Giugno 1746.*

La Processione comincierà dalla Porta maggiore del Palazzo, e d' indi alla Basilica di S. Pietro, nella quale ciascun Corpo che la compone, resterà disposto secondo gli verrà ingiunto, e aspetteranno l' arrivo di Sua Santità.

Si ricorda d' ordine espresso e speciale della Santità Sua a tutti quelli, che interverranno alla suddetta Processione di praticare in tale occasione tutta quella modestia, pietà, e divozione, con cui tanto interiormente, quanto esteriormente merita di essere accompagnata un' azione sì santa.

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gasparo Arciprete Ori Segretario.

Fr. GIO. ANTONIO del Titolo de' SS. Silvestro e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Nostro Signore Vicario Generale etc.

D' Ordine espresso di Nostro Signore si comanda a tutti i Superiori tanto Secolari, quanto Regolari, Rettori, Sagrestani, Cappellani, Custodi, ed a qualunque altro Ministro di tutte le Patriarcali, Basiliche, Collegiate, Chiese, Oratorj, e Monasterj di Roma, che Mercoledì prossimo 29. del corrente Mese di Giugno Festa de' gloriosi SS. Apostoli Pietro, e Paolo principali Protettori di Roma, nel qual giorno si farà dalla Santità Sua, mediante l' ajuto Divino la solenne Canonizazione delli beati FEDELE *da* SIGMARINGA *Martire dell' Ordine de' Cappuccini*, CAMILLO *de* LELLIS *Fondatore de' Cherici Regolari Ministri degl' Infermi*, PIETRO REGALATO *dell' Ordine de' Minori Osservanti*, GIUSEPPE *da* LEONESSA *parimente del suddetto Ordine de' Cappuccini, e* CATARINA RICCI *dell' Ordine Domenicano, subito che udiranno le Bombarde di Castel Sant' Angelo, o sonare la Campana di Campidoglio nella mattina suddetta faccino sonare tutte e singole Campane delle loro Patriarcali, Basiliche, Collegiate, ed altre Chiese, anche di Monache, ed Oratorj per lo spazio di un' ora sotto pena a nostro arbitrio. Dato in Roma li 24. Giugno 1746.*

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gasparo Arciprete Ori Segretario.

Interea ut omnia, quae ad tantam celebritatem spectabant, rite fierent atque ordine, non destitit idem Caeremoniarum Praefectus praemonere de scripto utrosque Duces Custodiarum Pontificiarum equestrium, tam levis armaturae, quam Cataphractorum, eosque docere, quo indumento Milites ornati, quo modo in acie dispositi, quave hora insidentes equis consisterent in Platea sancti Petri ipso Sanctorum Apostolorum festo die, quo peragenda erant Canonizationis solemnia.

Praesulem quoque Generalem armorum monuit, ut Peditum copiis ita custodiri mandaret praescriptum iter Supplicationis ex utroque viarum latere, ut necui liceret ex confluenti Populo, aut eas transgredi, aut in iisdem subsistere; ita enim consultum iri significavit, ne progredientium Ecclesiasticorum et Ministrorum turmae aut tramite nimis angusto, aut turbatis ordinibus cogerentur incedere; Curaret propterea, ut Pedites contis armati in duplices oblongos ordines instruerentur hinc et inde ab Principe Basilicae Janua usque ad prima Theatri Canonizationis repagula; quo liber expeditiorque pateret transitus ad ipsum Theatrum tum Sanctissimi Patris, tum ceterorum Ordinum, qui ipsum comitabantur. Helvetiae Custodiae Ducem et Arcis sancti Angeli Pro-Praefectum edocuit, ut per Libratores suos alter in Area Vaticana, statim ac Excellentissimi D. Ducis de Comitibus Magistri S. Hospitii concinuissent tubae, quae prope Æneum B. Petri simulacrum consistent, et cum alteris Romani Populi simul tympana concrepuissent; alter in ipsa Adriani Mole, primo bombardarum strepitu audito, minora omnia et majora tormenta bellica in publicae laetitiae significationem exploderent; Ut Helvetii Milites ferreo thorace et galea induti partim relinquerentur ad custodiendum de more Pontificem Maximum descendentem in Basilicam, partim tuerentur Cancellos, ex quibus aditus est in Theatri caveam, et ducunt ad pegmata superiora, qui tamen Cancelli Nobilibus tantum Advenis, Dynastis, ac praefinito Religiosorum numero ex Beatorum Canonizandorum Familiis recluderentur solo praefati Excellentissimi D. Ducis de Comitibus imperio, a cujus proinde nutibus ipsi Milites omnino pendere debebant; de quo seorsim idem Excellentissimus Dux est etiam admonitus: Actum etiam est cum D. Fiscali Fori Capitolini, ut Tympanistae et Tubicines Senatus Populique Romani omnes praedicto festo die sanctorum Apostolorum Petri et Pauli primo diluculo contenderent cum suis tympanis ac tubis ad Vaticanam Basilicam; ibique prope majus Templi ostium expectantes statim ac coepisset cani hymnus: *Te Deum laudamus*; et Excellentissimi Ducis de Comitibus tubae signum dedissent, confestim et ipsi clangerent tubis, ac tympana pulsarent saltem per horae quadrantem; praeterea ad primum bombardarum strepitum Æs campanum Turris Capitolinae, per horam integram assiduo pulsu quateretur, ut completae quinque Beatorum Canonizationis signum omnibus innotesceret.

His itaque per schedulas peractis, idem Caeremoniarum Praefectus adivit Eminentissimum D. Fr. Joachim Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Portocarrero, S. Joannis Jerosolymitani Hospitalariorum Equitum Baijulivum, prius Antiochenum Patriarcham a sanctae memoriae Clemente XII. renunciatum, postea a Sanctissimo Domino Nostro inter Cardinales adlectum, ut eum certiorem faceret a Sanctitate Sua Procuratorem futurae Canonizationis designatum fuisse: Quod quidem munus ut plurimum consuevere Romani Pontifices Nepotibus suis deferre, ut a fel. record. Clemente XI. hac nostra aetate factum est, qui anno millesimo septingentesimo duodecimo adjecturus Sanctorum Catalogo beatos Pium V., Andream Avellino, Felicem a Cantalicio, et Catharinam de Bononia, hujusmodi Provinciam demandavit Cardinali Annibali Albano tunc Diacono, nunc Episcopo Portuensi Nepoti suo praestantissimo. Cum annuisset libenti animo Eminentissimus Portocarrero, summamque erga se Pontificis benignitatem commendasset, de iis quae ab eo fieri oporteret, a Caeremoniario admonitus est.

Tantae fama celebritatis, quae jam imminebat, latius percrebrescente, augebatur in dies magis Nobilium Advenarum et Populorum finitimis ex oppidis concursus: Quo proximior vero dies is erat; eo acrius sata-

gebant Postulatores efficere, ut ad constitutum tempus parata essent omnia et bene provisa; quae ut coram inspiceret Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Hieronymus Columna Pontificiae Domui Pro-Praefectus triduo ante pervigilium diei festi ad Vaticanam Basilicam perrexit, quo cum jussu praefati Eminentissimi Cardinalis praemoniti convenissent Excellentissimus Dux Stephanus de Comitibus Magister Sacri Hospitii, R. P. D. Melchior Maggius Pro-Commissarius Armorum, R. P. D. Boccapaduli nuper a Sanctissimo D. N. Rocchetti usus, et loco in sua Pontificia Cappella post Protonotarios decoratus, D. Marchio Joannes Chisius Montorius Patritius Sanctissimi Domini Nostri Papae Florerius Major, D. Ludovicus Manfroni Dux Militum Generalis, una cum D. Laurentio de Molaria Militum Tribuno, D. Ludovico Phiffer Duce Custodiae Militum Helvetiorum, duobus praeterea ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, et Ludovico Vanvitelli totius ornatus Opifice, et R. Fabricae sancti Petri Architecto, postulavit a singulis idem Pontificii Palatii Pro-Praefectus, et summo studio contendit, ut spectarent diligenter omnia, et solerter animadverterent, si quid esset, quod aut oporteret perfici, aut pro loco et tempore minus opportunum videretur. Cum omnia probassent; ventum deinde est ad spatii totius, et locorum partitionem. Oratoribus Regiis, Gallo et Veneto, (quia adhuc in publica pompa Sanctissimum Dominum Nostrum non inviserant) Senatori Urbis, Magnatibus, atque Matronis supernae Pegmatum contignationes attributae: Locus iis qui Oblationes portarent, datus: Odaeum Cantoribus destinatum: Abacorum ac Mensarum situs designatus: Hinc Nobilium, inter quos, ita mandante Pontifice, seorsim ab aliis interfuere utriusque Collegii, Romani nempe et Clementini, Convictores, et Religiosorum admittendorum discreta confinia: Hinc sedilium partitiones; Custodiarum et Excubiarum statuta discrimina; munera distributa; Serenissimo autem Jacobo III., ob posthabitum religionis causa avitum Britannicum Regnum invictissimae pietatis, et constantissimae virtutis exemplo, eminens et multo amplior eo, qui alias erigi eidem consuevit, suggestus remoto ab aliis loco comparatus; ubi Majestas sua, una cum Serenissimo Duce Eboracensi Regio filio suo praesens, maxime hujus celebritatis dignitatem et ornamentum auxit.

Haec ita disposita, quae Sanctitas Sua pridie ejus diei, quo peragenda Canonizatio erat, cum Vaticanum adisset, inspectare coram voluit; haec inquam et facilius intelligantur, hoc loco apponitur Ichnographia muneris suis distincta.

Ut Eminentissimi Patres non ignorarent, quae scitu ipsis necessaria erant hoc tempore; ad proprias uniuscujuque aedes jussu Pontificis missa a Caeremoniarum Praefecto per Cursores Instructio est typis impressa; cui et altera adjecta erat vernacula lingua et hoc exemplo, pro iis dumtaxat Cardinalibus, qui Sacrorum Rituum Congregationi adscripti Oblationes inter Missarum solemnia erant Sanctitati Suae porrecturi.

INTIMATIO

Per Cursores facienda, Domi quoque dimissa copia.

Die 29. *Junii feria quarta, Festo SS. Apostolorum* PETRI, *et* PAULI *hujus Almae Urbis Patronorum Principalium*, hora undecima cum dimidio *Sanctissimus Dominus Noster* BENEDICTUS PP. XIV. *in Aulam Apostolici Sacrarii descendet, et inde sacris indutus ad Sacellum Sixtinum perget.*


Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales per Viam Burgi Pii Palatium Vaticanum petent, et per Scalam Atrii, vulgo di Belvedere, *superius ascendent.*

Cappas rubeas consueto in loco accipient, quibus in Aula Regia dimissis, Vestes sacras de more induent: nempe Cardinales Episcopi Pluvialia, Presbyteri Planetas, et Diaconi Dalmaticas rubri coloris; sicque amicti in supradicta Cappella Sixtina adventum Sanctitatis Suae praestolabuntur.

Summus Pontifex, postquam Hymnum Ave Maris Stella *ante Aram praedictae Cappellae intonaverit, sedemque Gestatoriam conscenderit, ac tres Cereos e manibus Eminentissimi Domini Cardinalis Portocarrero Canonizationis Procuratoris acceperit, supplica-*

Solium Pontificium
Aliud parvum ad Horam Tertiæ concinendam.
Suggestus ad prospiciendum pro Sermo Jac. III. Magnæ Britanniæ Rg.
Scamna ad Sacri Senatus Sessionem.
Subsellia pro Archiepiscop. et Episcop. non Assistentibus aliisque Prælatis.
Alia ad Penitentiariorum Sessionem.
Scamnū pro Oratore Bononiæ.

8 Quinque Oblationum Mensæ.
9 Parvū Cubiculū ad opportunū suæ Sanctitatis Secessum. 10. Contignatio pro Orat. Franciæ.
11 Alia pro Oratore Venetiarum
12 Contignatio pro Columnensiū Familia.
13 Alia pro Urbis Senatore. 14. 15. 16. Aliæ Contignationes pro Principissis Urbanis, exterisque Matronis.



21 Alia pro Oblationum Portitoribus.
22 Abaci inter repagula pro Sacri Ministerii Vasis tum Cimeliarchæ tum Pincernæ Summi Pontificis et locus pro Nobilibus Advenis.

17 Odæum pro Cantoribus.
18 Contignationes velis intus obductæ pro Postulatoribus.
19 Confinia pro Religiosis Familiis ex Institutis quinque Beatorum inter Repagula.
20 Scamna pro Sacræ Congregationis Rituum Consultoribus.

23 Locus pro Convictoribus Collegium Seminarii tum Clementini.
24 Contignatio pro Vaticano Capitulo
25 Alia pro Duce Guadi Magistro Sacri Hospitii
26 Contignationes pro Nobilibus Mulieribus.
27 Princeps inter repagula Ingressus.

28 Ænea B. Petri Statua.
29 Ara Maxima Vaticanæ Basilicæ
30 Loculamenta quatuor inter magni Toli pilas nempe Veronicæ S. Helenæ S. Andreæ ac S. Longini.

bundo ritu, praeeuntibus Eminentissimis Patribus dextera manu accensum Cereum gestantibus, ex eodem Sacello in Basilicam Vaticanam deferetur.

Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales, omni alio comitatu penitus excluso, Cubiculi Praefecto, et Caudatario tantum utentur.

In Basilica ante Augustissimum SACRAMENTUM *publicae venerationi expositum, et ante Principem Aram preces effundent. Mox ubi Sanctissimus Pater in Solio se composuerit, ei Obedientiam una cum aliis ex more praestabunt; sacraeque actioni sollemnis Canonizationis Beatorum* FIDELIS *a* SIGMARINGA, CAMILLI *de* LELLIS, PETRI REGALATI, JOSEPHI *a* LEONISSA *et* CATHARINÆ *de* RICCIIS, *Deo inspirante, per Sanctitatem Suam persolvendae, ac Missae per eamdem subinde celebrandae simul intererunt.*

Expleta Papali Missa, indumenta sacra omnes deponent, Cappas resument, et postquam Pontifex in Tentorio ad hoc praeparato Pontificales Vestes dimiserit, et a Basilica discesserit, ipsi ad propria pariter remigrabunt.

Quindecim Eminentissimi DD. Cardinales Congregationi Sacrorum Rituum praepositi, antiquiores in unoquoque ordine, si fas erit, tripartito assumendi Oblationes a duobus Nobilibus eorum respective Familiaribus talari Veste indutis delatas reverenter de more Sanctitati Suae praesentabunt.

Prima hac nocte, et pariter sequentis diei signa laetitiae fieri mandabunt cum luminaribus, et festis ignibus.

Ideo intimentur omnes, et singuli Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales, Reverendissimi Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi in Urbe praesentes tam Assistentes, quam non Assistentes, Abbates Generales locum in Pontificia Capella habentes, ac Poenitentiarii Basilicae Vaticanae.

Intimentur etiam Gubernator Urbis Vice-Camerarius, Principes Solii, Protonotarii Apostolici, Generales Ordinum Mendicantium, Conservatores Urbis, Oratores Civitatum Subditarum, Auditores Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae Justitiae, Abbreviatores, utriusque Signaturae Referendarii, et Advocati Consistoriales, ut omnes sub eamdem horam in praedictum Sixti Sacellum expedite conveniant.

Episcopi Assistentes, et non Assistentes, ac Abbates Generales cum Pluvialibus rubeis, et Mitra simplici ex lino.

Poenitentiarii cum Planetis rubeis, et biretis.

Protonotarii Apostolici cum Cappis.

Reliqui Praelati, nempe Auditores Rotae, Clerici Camerae, Votantes Signaturae Justitiae, Abbreviatores, et Referendarii cum Rochettis, et Superpelliceis.

Advocati Consistoriales cum Vestibus violaceis, atque Caputiis.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae.

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

EMINENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SIGNORE.

Mercoledì 29. del cadente mese di Giugno festa de' gloriosi Santi Apostoli Pietro, e Paolo si degnerà l' Eminenza Vostra mandare due Gentiluomini con abito talare la mattina della Canonizazione de' Santi FEDELE *da* SIGMARINGA, CAMILLO *de* LELLIS, PIETRO REGALATO, GIUSEPPE *da* LEONESSA *e* CATARINA RICCI, *per tempo nella Basilica Vaticana; con trasmettere anche due giorni prima i nomi dei medesimi al Sig. Duca di Guadagnoli Maestro del Sacro Ospizio per poterli introdurre nel luogo destinato, perchè siano pronti ad assistere a Vostra Eminenza nell' Oblazioni.*

Modo huic non absimili mandatum etiam est Rituum Congregationis Consultoribus, ut insignibus, ac indumentis ipsorum muneribus, et Ordinibus congruentibus Supplicationem utriusque Cleri tendentem in Beati Petri Basilicam ex praescripto Summi Pontificis, quocumque suorum sociorum comitatu excluso, prosequi non detrectarent.

REVERENDISSIMO PADRE.

Dovendo per ordine della Santità di Nostro Signore V. P. Reverendissima intervenire

con gl' altri Consultori della Sacra Congregazione de' Riti alla Solenne Canonizazione de' Beati FEDELE *da* SIGMARINGA, CAMILLO *de* LELLIS, PIETRO REGALATO, GIUSEPPE *da* LEONESSA, *e* CATARINA RICCI; *si troverà la mattina dei 29. di Giugno Festa de'* SS. *Apostoli Pietro, e Paolo, alle ore* dieci e mezza in punto, *fuori de' Cancelli della Cappella Sistina del Palazzo Apostolico Vaticano, di dove sarà avvisato per portarsi, escluso il proprio Compagno, in Processione, secondo il metodo dalla Santità Sua prescritto, alla Basilica Vaticana, nella quale fra gl' altri Ordini della Cappella Pontificia da uno de' Maestri di Cerimonie della Santità Sua le verrà assegnato il luogo per assistere alla detta Sacra Funzione.*

Porro diei Festi Apostolorum Principum Pervigilium, in quo modo versamur, opportunitatem praebet ejusmodi; ut quemadmodum ea celebritas incrementum acceperit, praetereundum non videatur. Etsi enim persuasum haberet Summus Ecclesiasticae Disciplinae Moderator, (a) *omnium Sanctorum solemnitatum, totum Mundum participem esse, et unius Fidei pietatem exigere, ut quidquid pro salute universorum gestum recolitur, communibus ubique gaudiis celebrandum sit;* tamen quod Petri et Pauli Festivitas *praeter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali ac propria Romanae Urbis exultatione veneranda est; ut ibi praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus; ibi in die Martyrii eorum sit laetitiae Principatus,* perpetuis futuris temporibus valitura sua Constitutione, quae inferius dabitur, praeter Festum diem, eorumdem Apostolorum cultum ad octiduum protraxit praecipiens, ut unoquoque die infra praedictam octavam in designata Ecclesia insigni aliquo ipsorum Apostolorum monumento celebri Pontificalis Missa mane cantaretur adstantibus per dies singulos singulis Romanae Curiae Praelatorum Ordinibus juxta gradum et dignitatem, ac praecipuae juxta locum, quem obtinent in Pontificiis Cappellis, et habitu eodem; quo utuntur, cum collegialiter iisdem intersunt. Quia vero exorta controversia erat inter Praelatos Votantes Justitiae, et Gratiae, uter nimirum ex his duobus Ordinibus alteri deberet praecedere, composuit litem Sanctissimus Pater datis Apostolicis literis, quas non injucundum erit hic inserere: Vicaria enim qua pollet, Jesu Christi potestate BENEDICTUS non destitit, dum nova Sanctorum accessione triumphanti Ecclesiae decorem augere satageret, et Militanti consulere, Hierarchicum Ordinem Praelatorum constituendo; Sanctionis tenor.

ORDINATIO, SEU STATUTUM,

Quo praescribitur Ordo praecedentiae per Votantes Signaturae Justitiae et Gratiae tum in Sedendo, tum in Votum ferendo servandus.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Militanti Ecclesiae, quae est sicut Castrorum acies ordinata, per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam, quamvis nullis nostris meritis praesidentes, illud praecipue inter cetera per magna et ampla Apostolicae procurationis nostrae munera studiosius curare debemus, ut eas providentissime tradamus, statuamusque regulas, quibus ab ipsis ejusdem Ecclesiae Praelatis in hac Romana Curia ad laboriosa et difficillima totius catholici Orbis expedienda sive Gratiae, sive Justitiae negotia Nobiscum adlaborantibus rite sancteque servatis, nulla potissimum quoad praecedentiam inter eos confusio et inordinatio inducatur, quemadmodum, iisdem regulis nondum apprime constitutis, experientia constat, maximam inductam fuisse confusionem inordinationemque. Duo in hac ipsa Romana Curia nostra sunt Tribunalia antiquissima sane, et aliis interdum, quam de praesenti, nominibus celeberrima, alterum quidem Signaturae Justitiae dictum, in quo duodecim tantum numerantur Praelati Votantes nuncupati, alterum vero Signaturae

(a) *S. Leo Serm. 1. in Natali Apost.*

Gratiae appellatum, in quo totidem Praelati Votantes habeantur. In horum sane numero Nos pariter olim, dum in Minoribus essemus, fuisse gloriamur. Porro nunquam utrique Votantes tanquam in sive Corporis, sive Tribunalis speciem conveniunt; ea propter nulla quidem hac in parte necessaria est Apostolicae nostrae providentiae ratio; sed hoc praesertim praecipimus et mandamus: ut quotiescumque tam ipsi Signaturae Justitiae, quam Signaturae Gratiae Votantes pro suis respectu proprii Tribunalis seorsim obeundis adimplendisque muneribus invicem convenire debent, idem inter ipsos tum in sedendo, tum in votum, sive suffragium ferendo praecedentiae Ordo servetur, qui ad hanc usque diem retentus servatusque est. Quoniam ut plurimum accidere potest, ut sive unus, sive plures ex utroque Signaturae Justitiae et Gratiae Tribunali Votantes quacumque ex causa sive Praelatitio, sive quocumque alio habitu induti quomodolibet et ubicumque insimul reperiri possint: Hinc est, quod Nos motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine volumus et mandamus, ut in hujusmodi conventu ille Votans, qui in suo Tribunali antiquior, et prior constitutus fuerit, hoc modo praecedat, videlicet: Ut Votans prior in Signaturae Justitiae Tribunali adlectus, quam Signaturae Gratiae Votans in suo admissus fuerit, huic secundo dicto Signaturae Gratiae Votanti praecedat ille Signaturae Justitiae Votans; ita pariter huic Signaturae Justitiae Votenti praecedere debeat ille Signaturae Gratiae Votans, qui antequam Signaturae Justitiae in suum Tribunal admitteretur, jam in proprium itidem Tribunal receptus fuerat: Quod si contigerit ambo alterius Signaturae Votantes eodem die quemque Tribunali constitutos fuisse, tunc praecedentia illi detur, qui in Praelatura quacumque antiquior et prior reperitur. Traditam itaque statutamque regulam in praemissis, dummodo nullus alius praecedentiae titulus intercedat, omnino servandam custodiendamque esse volumus et mandamus. Verum cum aliquis Votans alterius Tribunalis hujusmodi sive Episcopali charactere insignitus, sive Protonotarii Apostolici dignitate ornatus, sive quocumque alio ejusdem Romanae Curiae munere, vel officio decoratus reperiatur, praecipimus insuper et mandamus, ut nulla habita Signaturae Justitiae, aut Gratiae Votantis ratione, sed ea dumtaxat praecedentia illaesa remaneat, quae Votanti respectu sive characteris Episcopalis, sive Dignitatis Protonotarii Apostolici, sive cujusvis alterius muneris praecedentiam hac in re requirentis competit et debetur. Denique statuimus et decernimus hujusmodi praecedentiam, cum quivis Votans in utroque Signaturae Justitiae et Gratiae Tribunali adscriptus fuerit, a primaeva ipsius Votantis in altero utriusque Signaturae Tribunali receptione et admissione, et non aliter esse repetendam et definiendam. Decernentes ipsas praesentes Literas semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Junii MDCCXLVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

D. Card. Passioneus.

Toto autem eo octiduo voluit Pontifex, ut Vespere aliquae Laicorum Confraternitates ab Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario eligendae supplici ritu adirent eam Ecclesiam, ubi preces habitae mane fuerant; ultimo tandem solemnitatis die ad Lateranensem Basilicam, non solum composita supplicantium agmina procederent, sed Eminentissimi Patres, qui vellent, iterum vestibus, et quod peculiare est, etiam Cappis rubris, mane adessent Pontificali Missae. Post meridiem Senator, Conscripti, et Centuriati e Romano Populo homines, frequentiori quo possent,

comitatu, Capita Apostolorum veneraturi eo progrederentur: quod jam quater religiose servatum est.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Admirabilis Sapientiae Dei sublimitas, cujus provida dispositione mundana Regna constituuntur, ut Ecclesiae Fidelium, quae divino comitata adjutorio peregrinatur in terris, vel amplificandae, vel exercendae, vel custodiendae, alternantibus miro ordine vicibus, inserviant, voluntariam humani Generis caecitatem, et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio, et altiori pietate commiserans, cum adveniente temporum plenitudine, sedentibus in tenebris, et ambulantibus in umbra mortis Evangelicae Fidei lucem effundere decrevisset, Romanum praeparavit Imperium, ut promptiores ad omnes Populos praedicatio veritatis haberet accessus, quos unius Civitatis dominatio sociaret. Imbuendi autem Evangelio mundi partibus, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, duodecim Apostolis distributis, beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad Arcem Romani destinatur Imperii, ut ea capta, et in obsequium Fidei subjugata, facilius universus Orbis humilitati Crucis superba colla submitteret. Ad hanc postea Coapostolus ejus Paulus, aliis peragratis provinciis, adveniens, labore et meritis illi consociatus est, ut Roma tantorum Apostolorum edocta Magisterio, quae superstitionis studio profanos omnium gentium cultus atque errores receperat, veritatis amore sanctae atque immaculatae unius Dei Religionis Sedes evaderet. Isti enim sunt Romanae Urbis Patres verique Conditores, qui eam Regnis caelestibus adscribendam melioribus auspiciis et fortunatioribus initiis condiderunt; non illi, quorum manibus cognato sanguine pollutis prima moenium fundamenta locata sunt, e quibus is, qui ei nomen dedit, fraterna caede foedatam facinorosis hominibus, scelerum impunitate promissa, habitandam concessit. At vero isti e tenebris Idololatriae ad Fidei lumen evocatam, Evangelica veritate imbutam, christianis ornatam virtutibus, et ad Caeli sublimitatem erectam pretioso sanguine suo consecrarunt, et sacris Corporum suorum Sepulchris adversus furentium haeresum insidias, et frementis infernalis hostis impetus, tanquam duobus firmissimis munivere propugnaculis. Beatus autem Apostolus Petrus, Sacerdotali Sede Romam translata, cum privilegium potestatis a Christo Domino acceptae ad omnes suos transmittat haeredes, supremi culminis praerogativam quodammodo cum ea communicavit, adeo ut per beati Petri Cathedram Princeps ac Caput Orbis fieret, et in immensum Religione Divina ejus cresceret dignitas, cujus latius quam dominatione terrena per totum Orbem protendebatur auctoritas. Quare etsi in Sanctorum solemnitatibus commune universorum Fidelium deceat esse gaudium, cum ob fidei unitatem in acceptis a Deo per Servos suos beneficiis indiscreta sit omnium utilitas; (a) tamen Natalis Apostolorum Petri et Pauli festivitas praeter illam reverentiam, quam toto Terrarum Orbe promeruit, speciali et propria Romanae Urbis exultatione veneranda est, ut ubi praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit laetitiae Principatus.

Vivit adhuc in mente hominum, et nulla unquam delebit oblivio, vetus memoria et recordatio, quammerito et quanto per totum Orbem, sed praecipue in hac Alma Urbe nostra fuerit a primis Ecclesiae seculis celebri cultu, et splendida solemnitate Natalis dies beatorum Apostolorum celebratus. Siquidem ea die traditum est, Romanos Pontifices Praedecessores Nostros primum in Basilica beati Petri in Vaticano, deinde in altera Apostoli Pauli Via Ostiensi Sacrum immortali Deo in honorem Principum Apostolorum fecisse, et Romanum Populum frequentissimo coetu, et celebri concursu utramque Basilicam sacras Apostolorum Reliquias veneraturum invisere solitum; imo ad eamdem solemnem diem

(a) *S. Leo Serm. in Nat. Ap. Petr. et Paul.*

ex diversis Orbis partibus innumerabilem populi multitudinem linguis, moribus, et regionibus discretam, venerationis tamen erga beatos Apostolorum cineres, et triumphalem Natalis eorum memoriam concordi obsequio sociatum confluere consuevisse; Episcopos etiam aliosque sacros Antistites, sublimes Regiasque personas ad eamdem solemnitatem convenire solitos fuisse, supplicesque se suasque coronas ad pedes Piscatoris, et ad Scenofactoris monumentum, adstantibus Ducibus, et Praefectis militum, prosternere. Haec igitur et alia hujusmodi diligenti animi consideratione nobiscum reputantes vehementer soliciti sumus, ne Nos, qui in tantis periculis et adversitatibus constituti sanctorum Apostolorum valido indigemus auxilio, degeneres a Majorum pietate, et devii a sanctis eorum Institutis simus, et quibus in accipiendis a Deo per beatos Apostolos beneficiis et donis pares sumus, impares et ingrati in sacra eorum recolenda memoria, et gratiis immortali Deo agendis reperiamur, meritoque illorum destituamur praesidio, quorum negligimus solemnitatem.

Volentes itaque cupientesque, Romani Populi erga BB. Apostolos devotionem, de quorum praesidio hanc Urbem nostram eorum decoratam Corporibus, caelestibus illustratam doctrinis, et potenti apud Deum patrocinio semper adjutam maxime confidere decet, quantum in Nobis est, augere, atque amplificare, hac nostra in perpetuum valitura Sanctione statuimus ac decernimus, ut recurrente per ordinem Natali die eorumdem Apostolorum, non solum in Basilica Vaticana, ut nunc moris est, in pervigilio ejusdem Festi Vesperae solemnes celebrentur, quibus interesse solet Romanus Pontifex cum S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Romanae Curiae Praelatis, qui locum in Cappella Pontificia obtinent, et mane in eadem Basilica solemne Sacrum ab ipso Romano Pontifice peragatur, et secundae Vesperae ejusdem Venerabilis diei Ecclesiastico Cantu, ac Ritu a Capitulo et Clero praesente etiam S. R. E. Cardinali praefatae Basilicae Archipresbytero aliisque Cardinalibus ad eamdem Vesperarum solemnitatem devotionis causa accedentibus, persolvantur; sed ulterius per totam octavam singulis diebus in diversis Ecclesiis a Nobis, tanquam aliqua Apostolorum memoria aut praerogativa insignitis, electis et inferius nominandis Missa in Pontificalibus, concinente ac psallente schola Cantorum, aliorumque Pontificiae nostrae Cappellae Ministris inservientibus, ordine ac modo infradicendo rite peragatur, recolaturque memoria illustris triumphi eorum martyrii, quod toto Terrarum Orbi, sed praecipue Romanae Urbi decus contulit et dignitatem.

Secunda igitur intra octavam die Missarum solemnia in Pontificalibus celebrentur, praesentibus Ven. Fratribus Episcopis Pontificio Throno Assistentibus, in Basilica B. Apostoli Pauli Via Ostiensi, in qua celebris est utriusque Apostoli memoria, sacraeque Reliquiae servantur, et veteri instituto solemnis eadem die B. Apostoli Pauli commemoratio recolitur, qui, si adhuc vivens in Terris, adeo Romanos diligebat, ut sine intermissione memoriam eorum in suis orationibus faceret, vehementerque cuperet eos videre, et ad eos confirmandos aliquid spiritualis gratiae impertiri; quanto magis sperandum est, quod modo Beatus in Caelis pro Alumnis suis Deum orare non cesset, suamque opem humiliter postulantibus, afferre non recuset, ut in illa caelesti confirmentur doctrina, in qua eos ore suo, per quod Christus loquebatur, erudivit.

Tertia die in Ecclesia S. Pudentianae fiet solemne in Pontificalibus Sacrum, interventientibus dilectis filiis Protonotariis Apostolicae Sedis ex numero Participantium. Nam perhibent hoc loco fuisse domum Pudentis Senatoris, apud quem, cum primum Romam advenit, hospitatus est Princeps Apostolorum Petrus, qui in eadem domo Verbum Dei Gentibus annunciavit, sacras habuit Synaxes, Sacrum pluries fecit, et Sacramenta Christi administravit; adeo ut in ea jacta sint quodammodo prima Romanae Ecclesiae fundamenta omnium aliarum Ecclesiarum Matris et Magistrae, quam superbae inferorum portae non vincunt.

Quarta die in Ecclesia S. Mariae in Via Lata Missarum persolvantur solemnia; interventientibus dilectis filiis Causarum Palatii no-

stri Auditoribus. Locus enim iste antiqua est Religione celeberrimus; ibi primum, ut fertur, hospitio exceptus est Apostolus, et Magister Gentium Paulus, qui ut Acta Apostolorum testantur, (a) *mansit biennio toto in suo conducto, et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans Regnum Dei, et docens quae sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia sine prohibitione.*

Quinta die ad Missarum solemnia in Pontificalibus celebranda convenient dilecti filii Camerae Apostolicae Clerici in Ecclesia S. Petri ad Vincula seu Titulo Eudoxiae. Haec enim prima Ecclesia esse traditur, quae a Principe Apostolorum fuit Romae immortali Deo dedicata; in hac ejusdem beati Apostoli sacra Vincula servantur, quae semper summo in honore ac veneratione apud Fideles omnes fuerunt, pluraque benignissimus Deus miracula per ea efficere ad laudem et gloriam Servi sui dignatus est. (b) Haec enim sunt felices illi nexus, qui de manicis et compedibus in coronam mutandi Apostolum contingentes martyrem reddiderunt: Felices catenae, quae nudatis pene ossibus inhaerentes vivas reliquias de sanguinis sudore jam attrita carne rapuerunt: Felicia Vincula, quae reum suum usque ad Christi Crucem non tam condemnatura, quam consecratura miserunt.

Sexta autem die in Ecclesia S. Petri in Carcere, quo, ut ferunt, BB. Apostoli Petrus, et Paulus per plures menses arctissima custodia ad mortem usque detenti sunt, eorumque Custodes Processus, et Martinianus ad fidem conversi, subito ex proxima petra Divina virtute fonte enato, fuerunt a Petro sacro Baptismo abluti; et ubi in vinculis, et teterrimi carceris foeditate invisentibus se Evangelium Dei praedicare, curare infirmos, sanare aegrotos, et multa alia patrare miracula non desierunt. Missa autem in Pontificalibus in Ecclesia superiori, ob inferioris angustiam, adstantibus dilectis filiis Referendariis Votantibus Signaturae Justitiae, celebrabitur.

Septima die Missa in Pontificalibus, assistentibus dilectis filiis Abbreviatoribus de Parco Majori, celebrabitur in Ecclesia S. Petri in Monte Aureo, ubi, ut pia traditione fertur, beatus Apostolus Petrus Cruci affixus martyrio coronatus est capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis, asserens, se indignum, quod sic crucifigeretur, ut Dominus suus; sed ita e terra Caelum, quo iter parabat, suspiciens, admirandae humilitatis virtutem, novique mysterii disciplinam et inter tormenta servavit.

Demum octava die festiva BB. Petri, et Pauli Apostolorum Principum solemnitas in sancta Lateranensi Basilica absolvatur. Ibi enim supra Altare Majus in argenteis Imaginibus margaritis lapidibusque pretiosis ornatis sacra Apostolorum Capita, quae olim in Ecclesia S Laurentii ad Sancta Sanctorum servabantur, a fel. rec. Urbano Papa V. Praedecessore Nostro reposita fuerunt. Beata capita, quae Sanctarum illarum animarum sedes nihil humile, aut mundanum, sed caelestia solum ac Divina cogitarunt; quae non terrenum pulverem, aut humanas sordes, sed divinas revelationes, et caelestia Arcana recipere meruerunt; quae in novissima omnium mortuorum resurrectione aeternis ornanda sertis corporibus ac animabus suis supernae Patriae beatitudine fruitura conjungentur. Mane Missarum solemnia in Pontificalibus, praesente Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, eo majori ritu et solemnitate, qua sacri hujusmodi Cardinalium conventus peragi unquam solent, celebrentur. Vespere autem sacras Apostolorum Reliquias veneraturi solemni cultu et pari animi devotione ad eamdem Basilicam pergant dilecti Filii Nobiles Viri Senator Urbis, et Romanorum Civium, et Camerae Urbis Conservatores, quorum pietatis exemplo commotus ad debitas immortali Deo gratias reddendas pro ineffabili munere ei collato in beatorum Apostolorum Petri, et Pauli patrocinio universus Romanus Populus celebri frequentia et aemula festinatione accedere contendat.

Pomeridiano autem tempore aliorum dierum omnes Confraternitates hujus Almae Urbis, per Venerabilem Fratrem nostrum S. R. E. Cardinalem Vicarium pro tempore publico

(a) *Act. Apost. cap.* 28. *v.* 30. 31. (b) *S. Aug. Serm* 29. *de Sanctis.*

Edicto intimandae, statis suis quaeque diebus ad eam Ecclesiam, ubi mane Missa in honorem Apostolorum celebrata fuerit, pie ac devote procedant. Singulis autem Confratribus processionaliter accedentibus septem annos et totidem quadragenas, et aliis omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eamdem Ecclesiam, ubi Statio erit, religiose visitaverint, de omnipotentis Dei misericordia confisi centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Monemus autem in Domino, et instantius rogamus, omnes Christifideles in hac Alma Urbe natos et commorantes, ut pia Majorum exempla in veneratione erga beatos Apostolos laudabili studio aemulantes in Ecclesiis a Nobis constitutis devota celebritate conveniant, et spirituali laetitia exultantes laudantesque Deum, qui glorificatur in Sanctis suis, tantam Natalis diei Apostolorum celebrent solemnitatem. Siquidem de praesidio Divinitus Nobis ad exemplum patientiae, et confirmationem fidei praeparato in horum excellentia Patrum merito est exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantam altitudinem provexit, ut horum alteri magnum et mirabile consortium potentiae suae tribuerit Divina dignatio; alter vero Vas electionis, et specialis Doctor Gentium superno oraculo et caelesti sententia fuerit designatus. Praeterea meminerint saepe hanc Urbem potenti Apostolorum protectione a Barbarorum incursibus, a caede, a depopulatione, ab incendiis, a terraemotibus aliisque innumeris periculis et calamitatibus liberatam. In mentem revocent innumera illa prodigia et gratias, quas ad gloriam Servorum suorum Brandeorum, vel Catenarum contactu, vel sola oratione, aut nominis invocatione antiquorum Fidelium pietas ac devotio ab omnipotenti Deo obtinuit. Demum in memoria habeant verba illa B. Leonis Praedecessoris Nostri ad Romanum Populum ex beati Petri Cathedra clamantis et dicentis: (a) *Licet omnem Ecclesiam, quae in toto est Orbe Terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus; vos tamen praecipue inter ceteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolicae petrae arce fundatos, et Dominus Noster Jesus Christus cum omnibus redemit, et beatus Apostolus Petrus prae omnibus erudivit.*

Caveant igitur, ne sanctis suorum Pastorum monitis inobsequentes, ne immemores beneficiorum Dei, ne irreligiosi erga Servos ejus BB. Apostolos, et absimiles Majorum pietati inveniantur. Magnum enim periculum est, esse homines per oblivionem beneficiorum ingratos Deo, et Servis ejus, nec correptione corrigi, nec de gratiis recordari. Sciant denique, quod beatos Apostolos, qui apud Deum intercessores sibi esse non curat, suarum culparum severos Judices habebit, et quos conciliatores supernae miserationis habere contemnit, offensae majestatis sentiet ultores.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis, decreti, statuti, definitionis, monitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo tertio Calendis Aprilis Pontificatus Nostri anno tertio.

P. Card. Prodatarius. D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.
N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. N. JESU CHRISTI millesimo septingentesimo quadragesimo tertio Indictione quinta die vero 13. *Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et D. N. D.* BENEDICTI *Divina Providentia PP. XIV. Anno Tertio, supradicta Constitu-*

(a) *S. Leo Serm.* 11. *in die Assumpt.*

a darsi motivo a chiunque vedrà l' istessa funzione, di ritrarne edificazione e profitto. Avverta perciò ogn' uno di conformarsi colla dovuta obedienza alla giustissima mente di Nostro Signore per non incontrare l' indignazione della Santità Sua, e molto più per non incorrere quella di Dio, che con severi castighi suol punire le irriverenze, che si commettono nelle azioni ordinate all' accrescimento del suo culto, e alla maggior propagazione della sua gloria, quale appunto è la solenne Canonizzazione de' Santi. Dato in Roma li 24. Giugno 1746.

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gasparo Arciprete Ori Segretario.

Fr. GIO. ANTONIO del Titolo de' SS. Silvestro e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Nostro Signore Vicario Generale etc.

La Santità di Nostro Signore comanda a tutti li Canonici delle Patriarcali, e Collegiate anche insigni, Curati Secolari e Regolari, Monaci, Frati, et altri tutti del Clero Secolare, e Regolare di Roma soliti ad intervenire alla Processione del Corpus Domini, *che Mercoledì 29. del presente Mese di Giugno, festa delli gloriosi Apostoli e principali Protettori di Roma SS. Pietro, e Paolo debbano ritrovarsi ad* ore nove *nel Cortile superiore del Palazzo Apostolico Vaticano per intervenire alla generale e solenne Processione della Canonizazione da farsi con l' ajuto Divino nella Basilica di S. Pietro, delli beati* FEDELE *da* SIGMARINGA *Martire dell' Ordine de' Cappuccini*, CAMILLO *de* LELLIS *Fondatore de' Cherici Regolari Ministri degl' Infermi*, PIETRO REGALATO *dell' Ordine de' Minori Osservanti*, GIUSEPPE *da* LEONESSA *parimente del suddetto Ordine de' Cappuccini, e* CATARINA RICCI *dell' Ordine Domenicano, sotto pena a nostro arbitrio. Dato in Roma li 24. Giugno 1746.*

La Processione comincierà dalla Porta maggiore del Palazzo, e d' indi alla Basilica di S. Pietro, nella quale ciascun Corpo che la compone, resterà disposto secondo gli verrà ingiunto, e aspetteranno l' arrivo di Sua Santità.

Si ricorda d' ordine espresso e speciale della Santità Sua a tutti quelli, che interverranno alla suddetta Processione di praticare in tale occasione tutta quella modestia, pietà, e divozione, con cui tanto interiormente, quanto esteriormente merita di essere accompagnata un' azione sì santa.

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gasparo Arciprete Ori Segretario.

Fr. GIO. ANTONIO del Titolo de' SS. Silvestro e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Nostro Signore Vicario Generale etc.

D' Ordine espresso di Nostro Signore si comanda a tutti i Superiori tanto Secolari, quanto Regolari, Rettori, Sagrestani, Cappellani, Custodi, ed a qualunque altro Ministro di tutte le Patriarcali, Basiliche, Collegiate, Chiese, Oratorj, e Monasterj di Roma, che Mercoledì prossimo 29. del corrente Mese di Giugno Festa de' gloriosi SS. Apostoli Pietro, e Paolo principali Protettori di Roma, nel qual giorno si farà dalla Santità Sua, mediante l' ajuto Divino la solenne Canonizazione delli beati FEDELE *da* SIGMARINGA *Martire dell' Ordine de' Cappuccini*, CAMILLO *de* LELLIS *Fondatore de' Cherici Regolari Ministri degl' Infermi*, PIETRO REGALATO *dell' Ordine de' Minori Osservanti*, GIUSEPPE *da* LEONESSA *parimente del suddetto Ordine de' Cappuccini, e* CATARINA RICCI *dell' Ordine Domenicano, subito che udiranno le Bombarde di Castel Sant' Angelo, o sonare la Campana di Campidoglio nella mattina suddetta faccino sonare tutte e singole Campane delle loro Patriarcali, Basiliche, Collegiate, ed altre Chiese, anche di Monache, ed Oratorj per lo spazio di un' ora sotto pena a nostro arbitrio. Dato in Roma li 24. Giugno 1746.*

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gasparo Arciprete Ori Segretario.

Interea ut omnia, quae ad tantam celebritatem spectabant, rite fierent atque ordine, non destitit idem Caeremoniarum Praefectus praemonere de scripto utrosque Duces Custodiarum Pontificiarum equestrium, tam levis armaturae, quam Cataphractorum, eosque docere, quo indumento Milites ornati, quo modo in acie dispositi, quave hora insidentes equis consisterent in Platea sancti Petri ipso Sanctorum Apostolorum festo die, quo peragenda erant Canonizationis solemnia.

Praesulem quoque Generalem armorum monuit, ut Peditum copiis ita custodiri mandaret praescriptum iter Supplicationis ex utroque viarum latere, ut necui liceret ex confluenti Populo, aut eas transgredi, aut in iisdem subsistere; ita enim consultum iri significavit, ne progredientium Ecclesiasticorum et Ministrorum turmae aut tramite nimis angusto, aut turbatis ordinibus cogerentur incedere; Curaret propterea, ut Pedites contis armati in duplices oblongos ordines instruerentur hinc et inde ab Principe Basilicae Janua usque ad prima Theatri Canonizationis repagula; quo liber expeditiorque pateret transitus ad ipsum Theatrum tum Sanctissimi Patris, tum ceterorum Ordinum, qui ipsum comitabantur. Helvetiae Custodiae Ducem et Arcis sancti Angeli Pro-Praefectum edocuit, ut per Libratores suos alter in Area Vaticana, statim ac Excellentissimi D. Ducis de Comitibus Magistri S. Hospitii concinuissent tubae, quae prope Æneum B. Petri simulacrum consistent, et cum alteris Romani Populi simul tympana concrepuissent; alter in ipsa Adriani Mole, primo bombardarum strepitu audito, minora omnia et majora tormenta bellica in publicae laetitiae significationem exploderent; Ut Helvetii Milites ferreo thorace et galea induti partim relinquerentur ad custodiendum de more Pontificem Maximum descendentem in Basilicam, partim tuerentur Cancellos, ex quibus aditus est in Theatri caveam, et ducunt ad pegmata superiora, qui tamen Cancelli Nobilibus tantum Advenis, Dynastis, ac praefinito Religiosorum numero ex Beatorum Canonizandorum Familiis recluderentur solo praefati Excellentissimi D. Ducis de Comitibus imperio, a cujus proinde nutibus ipsi Milites omnino pendere debebant; de quo seorsim idem Excellentissimus Dux est etiam admonitus: Actum etiam est cum D. Fiscali Fori Capitolini, ut Tympanistae et Tubicines Senatus Populique Romani omnes praedicto festo die sanctorum Apostolorum Petri et Pauli primo diluculo contenderent cum suis tympanis ac tubis ad Vaticanam Basilicam; ibique prope majus Templi ostium expectantes statim ac coepisset cani hymnus: *Te Deum laudamus;* et Excellentissimi Ducis de Comitibus tubae signum dedissent, confestim et ipsi clangerent tubis, ac tympana pulsarent saltem per horae quadrantem; praeterea ad primum bombardarum strepitum Æs campanum Turris Capitolinae, per horam integram assiduo pulsu quateretur, ut completae quinque Beatorum Canonizationis signum omnibus innotesceret.

His itaque per schedulas peractis, idem Caeremoniarum Praefectus adivit Eminentissimum D. Fr. Joachim Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Portocarrero, S. Joannis Jerosolymitani Hospitalariorum Equitum Baijulivum, prius Antiochenum Patriarcham a sanctae memoriae Clemente XII. renunciatum, postea a Sanctissimo Domino Nostro inter Cardinales adlectum, ut eum certiorem faceret a Sanctitate Sua Procuratorem futurae Canonizationis designatum fuisse: Quod quidem munus ut plurimum consuevere Romani Pontifices Nepotibus suis deferre, ut a fel. record. Clemente XI. hac nostra aetate factum est, qui anno millesimo septingentesimo duodecimo adjecturus Sanctorum Catalogo beatos Pium V., Andream Avellino, Felicem a Cantalicio, et Catharinam de Bononia, hujusmodi Provinciam demandavit Cardinali Annibali Albano tunc Diacono, nunc Episcopo Portuensi Nepoti suo praestantissimo. Cum annuisset libenti animo Eminentissimus Portocarrero, summamque erga se Pontificis benignitatem commendasset, de iis quae ab eo fieri oporteret, a Caeremoniario admonitus est.

Tantae fama celebritatis, quae jam imminebat, latius percrebrescente, augebatur in dies magis Nobilium Advenarum et Populorum finitimis ex oppidis concursus: Quo proximior vero dies is erat; eo acrius sata-

gebant Postulatores efficere, ut ad constitutum tempus parata essent omnia et bene provisa; quae ut coram inspiceret Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Hieronymus Columna Pontificiae Domui Pro-Praefectus triduo ante pervigilium diei festi ad Vaticanam Basilicam perrexit, quo cum jussu praefati Eminentissimi Cardinalis praemoniti convenissent Excellentissimus Dux Stephanus de Comitibus Magister Sacri Hospitii, R. P. D. Melchior Maggius Pro-Commissarius Armorum, R. P. D. Boccapaduli nuper a Sanctissimo D. N. Rocchetti usus, et loco in sua Pontificia Cappella post Protonotarios decoratus, D. Marchio Joannes Chisius Montorius Patritius Sanctissimi Domini Nostri Papae Florerius Major, D. Ludovicus Manfroni Dux Militum Generalis, una cum D. Laurentio de Molaria Militum Tribuno, D. Ludovico Phiffer Duce Custodiae Militum Helvetiorum, duobus praeterea ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, et Ludovico Vanvitelli totius ornatus Opifice, et R. Fabricae sancti Petri Architecto, postulavit a singulis idem Pontificii Palatii Pro-Praefectus, et summo studio contendit, ut spectarent diligenter omnia, et solerter animadverterent, si quid esset, quod aut oporteret perfici, aut pro loco et tempore minus opportunum videretur. Cum omnia probassent; ventum deinde est ad spatii totius, et locorum partitionem. Oratoribus Regiis, Gallo et Veneto, (quia adhuc in publica pompa Sanctissimum Dominum Nostrum non inviserant) Senatori Urbis, Magnatibus, atque Matronis supernae Pegmatum contignationes attributae: Locus iis qui Oblationes portarent, datus: Odaeum Cantoribus destinatum: Abacorum ac Mensarum situs designatus: Hinc Nobilium, inter quos, ita mandante Pontifice, seorsim ab aliis interfuere utriusque Collegii, Romani nempe et Clementini, Convictores, et Religiosorum admittendorum discreta confinia: Hinc sedilium partitiones; Custodiarum et Excubiarum statuta discrimina; munera distributa; Serenissimo autem Jacobo III., ob posthabitum religionis causa avitum Britannicum Regnum invictissimae pietatis, et constantissimae virtutis exemplo, eminens et multo amplior eo, qui alias erigi eidem consuevit, suggestus remoto ab aliis loco comparatus; ubi Majestas sua, una cum Serenissimo Duce Eboracensi Regio filio suo praesens, maxime hujus celebritatis dignitatem et ornamentum auxit.

Haec ita disposita, quae Sanctitas Sua pridie ejus diei, quo peragenda Canonizatio erat, cum Vaticanum adisset, inspectare coram voluit; haec inquam et facilius intelligantur, hoc loco apponitur Ichnographia muneris suis distincta.

Ut Eminentissimi Patres non ignorarent, quae scitu ipsis necessaria erant hoc tempore; ad proprias uniuscujuque aedes jussu Pontificis missa a Caeremoniarum Praefecto per Cursores Instructio est typis impressa; cui et altera adjecta erat vernacula lingua et hoc exemplo, pro iis dumtaxat Cardinalibus, qui Sacrorum Rituum Congregationi adscripti Oblationes inter Missarum solemnia erant Sanctitati Suae porrecturi.

INTIMATIO

Per Cursores facienda, Domi quoque dimissa copia.

Die 29. *Junii feria quarta, Festo SS. Apostolorum* PETRI, *et* PAULI *hujus Almae Urbis Patronorum Principalium,* hora undecima cum dimidio *Sanctissimus Dominus Noster* BENEDICTUS PP. XIV. *in Aulam Apostolici Sacrarii descendet, et inde sacris indutus ad Sacellum Sixtinum perget.*


Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales per Viam Burgi Pii Palatium Vaticanum petent, et per Scalam Atrii, vulgo di Belvedere, *superius ascendent.*

Cappas rubeas consueto in loco accipient, quibus in Aula Regia dimissis, Vestes sacras de more induent: nempe Cardinales Episcopi Pluvialia, Presbyteri Planetas, et Diaconi Dalmaticas rubri coloris; sicque amicti in supradicta Cappella Sixtina adventum Sanctitatis Suae praestolabuntur.

Summus Pontifex, postquam Hymnum Ave Maris Stella *ante Aram praedictae Cappellae intonaverit, sedemque Gestatoriam conscenderit, ac tres Cereos e manibus Eminentissimi Domini Cardinalis Portocarrero Canonizationis Procuratoris acceperit, supplica-*

1 *Solum Pontificium*
2 *Aliud parvum ad Horam Tertiæ concinendam.*
3 *Suggestus ad prospiciendum pro Sermo Jac. III. Magnæ Britanniæ Rg.*
4 *Scamna ad Sacri Senatus Sessionem.*
5 *Subsellia pro Archiepiscop. et Episcop. non Assistentibus aliisque Prælatis.*
6 *Alia ad Pœnitentiariorum Sessionem.*
7 *Scamnū pro Oratore Bononiæ.*

8 *Quinque Oblationum Mensæ.*
9 *Parvū Cubiculū ad opportunū suæ Sanctitatis Secessum.* 10. *Contignatio pro Orat. Franciæ.*
11 *Alia pro Oratore Venetiarum*
12 *Contignatio pro Columnensiū Familia.*
13 *Alia pro Urbis Senatore* 14. 15. 16. *Aliæ Contignationes pro Principissis Urbanis, exterisque Matronis.*



21 *Alia pro Oblationum Portitoribus.*
22 *Abaci inter repagula pro Sacri Ministerii Vasis tum Cimeliarchæ tum Pincernæ Summi Pontificis et locus pro Nobilibus Advenis.*

17 *Odæum pro Cantoribus.*
18 *Contignationes velis intus obductæ pro Postulatoribus.*
19 *Confinia pro Religiosis Familiis ex Institutis quinque Beatorum inter Repagula.*
20 *Scamna pro Sacræ Congregationis Rituum Consultoribus.*

23 *Locus pro Convictoribus Collegium Seminarii tum Clementini.*
24 *Contignatio pro Vaticano Capitulo*
25 *Alia pro Duce Guadi Magistro Sacri Hospitii*
26 *Contignationes pro Nobilibus Mulieribus.*
27 *Princeps inter repagula Ingressus.*

28 *Ænea B. Petri Statua.*
29 *Ara Maxima Vaticanæ Basilicæ*
30 *Loculamenta quatuor inter magni Toli pilas nempe Veronicæ S. Helenæ S. Andreæ ac S. Longini.*

bundo ritu, praeeuntibus Eminentissimis Patribus dextera manu accensum Cereum gestantibus, ex eodem Sacello in Basilicam Vaticanam deferetur.

Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales, omni alio comitatu penitus excluso, Cubiculi Praefecto, et Caudatario tantum utentur.

In Basilica ante Augustissimum SACRAMENTUM *publicae venerationi expositum, et ante Principem Aram preces effundent. Mox ubi Sanctissimus Pater in Solio se composuerit, ei Obedientiam unà cum aliis ex more praestabunt; sacraeque actioni sollemnis Canonizationis Beatorum* FIDELIS *a* SIGMARINGA, CAMILLI *de* LELLIS, PETRI REGALATI, JOSEPHI *a* LEONISSA *et* CATHARINÆ *de* RICCIIS, *Deo inspirante, per Sanctitatem Suam persolvendae, ac Missae per eamdem subinde celebrandae simul intererunt.*

Expleta Papali Missa, indumenta sacra omnes deponent, Cappas resument, et postquam Pontifex in Tentorio ad hoc praeparato Pontificales Vestes dimiserit, et a Basilica discesserit, ipsi ad propria pariter remigrabunt.

Quindecim Eminentissimi DD. Cardinales Congregationi Sacrorum Rituum praepositi, antiquiores in unoquoque ordine, si fas erit, tripartito assumendi Oblationes a duobus Nobilibus eorum respective Familiaribus talari Veste indutis delatas reverenter de more Sanctitati Suae praesentabunt.

Prima hac nocte, et pariter sequentis diei signa laetitiae fieri mandabunt cum luminaribus, et festis ignibus.

Ideo intimentur omnes, et singuli Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales, Reverendissimi Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi in Urbe praesentes tam Assistentes, quam non Assistentes, Abbates Generales locum in Pontificia Capella habentes, ac Poenitentiarii Basilicae Vaticanae.

Intimentur etiam Gubernator Urbis Vice-Camerarius, Principes Solii, Protonotarii Apostolici, Generales Ordinum Mendicantium, Conservatores Urbis, Oratores Civitatum Subditarum, Auditores Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae Justitiae, Abbreviatores, utriusque Signaturae Referendarii, et Advocati Consistoriales, ut omnes sub eamdem horam in praedictum Sixti Sacellum expedite conveniant.

Episcopi Assistentes, et non Assistentes, ac Abbates Generales cum Pluvialibus rubeis, et Mitra simplici ex lino.

Poenitentiarii cum Planetis rubeis, et biretis.

Protonotarii Apostolici cum Cappis.

Reliqui Praelati, nempe Auditores Rotae, Clerici Camerae, Votantes Signaturae Justitiae, Abbreviatores, et Referendarii cum Rocchettis, et Superpelliceis.

Advocati Consistoriales cum Vestibus violaceis, atque Caputiis.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae.

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

EMINENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SIGNORE.

Mercoledì 29. del cadente mese di Giugno festa de' gloriosi Santi Apostoli Pietro, e Paolo si degnerà l' Eminenza Vostra mandare due Gentiluomini con abito talare la mattina della Canonizazione de' Santi FEDELE *da* SIGMARINGA, CAMILLO *de* LELLIS, PIETRO REGALATO, GIUSEPPE *da* LEONESSA e CATARINA RICCI, *per tempo nella Basilica Vaticana; con trasmettere anche due giorni prima i nomi dei medesimi al Sig. Duca di Guadagnoli Maestro del Sacro Ospizio per poterli introdurre nel luogo destinato, perchè siano pronti ad assistere a Vostra Eminenza nell' Oblazioni.*

Modo huic non absimili mandatum etiam est Rituum Congregationis Consultoribus, ut insignibus, ac indumentis ipsorum muneribus, et Ordinibus congruentibus Supplicationem utriusque Cleri tendentem in Beati Petri Basilicam ex praescripto Summi Pontificis, quocumque suorum sociorum comitatu excluso, prosequi non detrectarent.

REVERENDISSIMO PADRE.

Dovendo per ordine della Santità di Nostro Signore V. P. Reverendissima intervenire

con gl' altri Consultori della Sacra Congregazione de' Riti alla Solenne Canonizzazione de' Beati FEDELE *da* SIGMARINGA, CAMILLO *de* LELLIS, PIETRO REGALATO, GIUSEPPE *da* LEONESSA, *e* CATARINA RICCI; *si troverà la mattina dei 29. di Giugno Festa de' SS. Apostoli Pietro, e Paolo, alle ore* dieci e mezza in punto, *fuori de' Cancelli della Cappella Sistina del Palazzo Apostolico Vaticano, di dove sarà avvisato per portarsi, escluso il proprio Compagno, in Processione, secondo il metodo dalla Santità Sua prescritto, alla Basilica Vaticana, nella quale fra gl' altri Ordini della Cappella Pontificia da uno de' Maestri di Cerimonie della Santità Sua le verrà assegnato il luogo per assistere alla detta Sacra Funzione.*

Porro diei Festi Apostolorum Principum Pervigilium, in quo modo versamur, opportunitatem praebet ejusmodi; ut quemadmodum ea celebritas incrementum acceperit, praetereundum non videatur. Etsi enim persuasum haberet Summus Ecclesiasticae Disciplinae Moderator, (a) *omnium Sanctorum solemnitatum, totum Mundum participem esse, et unius Fidei pietatem exigere, ut quidquid pro salute universorum gestum recolitur, communibus ubique gaudiis celebrandum sit;* tamen quod Petri et Pauli Festivitas *praeter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali ac propria Romanae Urbis exultatione veneranda est; ut ibi praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus; ibi in die Martyrii eorum sit laetitiae Principatus*, perpetuis futuris temporibus valitura sua Constitutione, quae inferius dabitur, praeter Festum diem, eorumdem Apostolorum cultum ad octiduum protraxit praecipiens, ut unoquoque die infra praedictam octavam in designata Ecclesia insigni aliquo ipsorum Apostolorum monumento celebri Pontificalis Missa mane cantaretur adstantibus per dies singulos singulis Romanae Curiae Praelatorum Ordinibus juxta gradum et dignitatem, ac praecipuae juxta locum, quem obtinent in Pontificiis Cappellis, et habitu eodem; quo utuntur, cum collegialiter iisdem intersunt. Quia vero exorta controversia erat inter Praelatos Votantes Justitiae, et Gratiae, uter nimirum ex his duobus Ordinibus alteri deberet praecedere, composuit litem Sanctissimus Pater datis Apostolicis literis, quas non injucundum erit hic inserere: Vicaria enim qua pollet, Jesu Christi potestate BENEDICTUS non destitit, dum nova Sanctorum accessione triumphanti Ecclesiae decorem augere satageret, et Militanti consulere, Hierarchicum Ordinem Praelatorum constituendo; Sanctionis tenor.

ORDINATIO, SEU STATUTUM,

Quo praescribitur Ordo praecedentiae per Votantes Signaturae Justitiae et Gratiae tum in Sedendo, tum in Votum ferendo servandus.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Militanti Ecclesiae, quae est sicut Castrorum acies ordinata, per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam, quamvis nullis nostris meritis praesidentes, illud praecipue inter cetera per magna et ampla Apostolicae procurationis nostrae munera studiosius curare debemus, ut eas providentissime tradamus, statuamusque regulas, quibus ab ipsis ejusdem Ecclesiae Praelatis in hac Romana Curia ad laboriosa et difficillima totius catholici Orbis expedienda sive Gratiae, sive Justitiae negotia Nobiscum adlaborantibus rite sancteque servatis, nulla potissimum quoad praecedentiam inter eos confusio et inordinatio inducatur, quemadmodum, iisdem regulis nondum apprime constitutis, experientia constat, maximam inductam fuisse confusionem inordinationemque. Duo in hac ipsa Romana Curia nostra sunt Tribunalia antiquissima sane, et aliis interdum, quam de praesenti, nominibus celeberrima, alterum quidem Signaturae Justitiae dictum, in quo duodecim tantum numerantur Praelati Votantes nuncupati, alterum vero Signaturae

(a) *S. Leo Serm. 1. in Natali Apost.*

Gratiae appellatum, in quo totidem Praelati Votantes habentur. In horum sane numero Nos pariter olim, dum in Minoribus essemus, fuisse gloriamur. Porro nunquam utrique Votantes tanquam in sive Corporis, sive Tribunalis speciem conveniunt; ea propter nulla quidem hac in parte necessaria est Apostolicae nostrae providentiae ratio; sed hoc praesertim praecipimus et mandamus: ut quotiescumque tam ipsi Signaturae Justitiae, quam Signaturae Gratiae Votantes pro suis respectu proprii Tribunalis seorsim obeundis adimplendisque muneribus invicem convenire debent, idem inter ipsos tum in sedendo, tum in votum, sive suffragium ferendo praecedentiae Ordo servetur, qui ad hanc usque diem retentus servatusque est. Quoniam ut plurimum accidere potest, ut sive unus, sive plures ex utroque Signaturae Justitiae et Gratiae Tribunali Votantes quacumque ex causa sive Praelatitio, sive quocumque alio habitu induti quomodolibet et ubicumque insimul reperiri possint: Hinc est, quod Nos motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine volumus et mandamus, ut in hujusmodi conventu ille Votans, qui in suo Tribunali antiquior, et prior constitutus fuerit, hoc modo praecedat, videlicet: Ut Votans prior in Signaturae Justitiae Tribunali adlectus, quam Signaturae Gratiae Votans in suo admissus fuerit, huic secundo dicto Signaturae Gratiae Votanti praecedat ille Signaturae Justitiae Votans; ita pariter huic Signaturae Justitiae Votanti praecedere debeat ille Signaturae Gratiae Votans, qui antequam Signaturae Justitiae in suum Tribunal admitteretur, jam in proprium itidem Tribunal receptus fuerat: Quod si contigerit ambo alterius Signaturae Votantes eodem die quemque Tribunali constitutos fuisse, tunc praecedentia illi detur, qui in Praelatura quacumque antiquior et prior reperitur. Traditam itaque statutamque regulam in praemissis, dummodo nullus alius praecedentiae titulus intercedat, omnino servandam custodiendamque esse volumus et mandamus. Verum cum aliquis Votans alterius Tribunalis hujusmodi sive Episcopali charactere insignitus, sive Protonotarii Apostolici dignitate ornatus, sive quocumque alio ejusdem Romanae Curiae munere, vel officio decoratus reperiatur, praecipimus insuper et mandamus, ut nulla habita Signaturae Justitiae, aut Gratiae Votantis ratione, sed ea dumtaxat praecedentia illaesa remaneat, quae Votanti respectu sive characteris Episcopalis, sive Dignitatis Protonotarii Apostolici, sive cujusvis alterius muneris praecedentiam hac in re requirentis competit et debetur. Denique statuimus et decernimus hujusmodi praecedentiam, cum quivis Votans in utroque Signaturae Justitiae et Gratiae Tribunali adscriptus fuerit, a primaeva ipsius Votantis in altero utriusque Signaturae Tribunali receptione et admissione, et non aliter esse repetendam et definiendam. Decernentes ipsas praesentes Literas semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Junii MDCCXLVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

D. Card. Passioneus.

Toto autem eo octiduo voluit Pontifex, ut Vespere aliquae Laicorum Confraternitates ab Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario eligendae supplici ritu adirent eam Ecclesiam, ubi preces habitae mane fuerant; ultimo tandem solemnitatis die ad Lateranensem Basilicam, non solum composita supplicantium agmina procederent, sed Eminentissimi Patres, qui vellent, iterum vestibus, et quod peculiare est, etiam Cappis rubris, mane adessent Pontificali Missae. Post meridiem Senator, Conscripti, et Centuriati e Romano Populo homines, frequentiori quo possent,

comitatu, Capita Apostolorum veneraturi eo progrederentur: quod jam quater religiose servatum est.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Admirabilis Sapientiae Dei sublimitas, cujus provida dispositione mundana Regna constituuntur, ut Ecclesiae Fidelium, quae divino comitata adjutorio peregrinatur in terris, vel amplificandae, vel exercendae, vel custodiendae, alternantibus miro ordine vicibus, inserviant, voluntariam humani Generis caecitatem, et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio, et altiori pietate commiserans, cum adveniente temporum plenitudine, sedentibus in tenebris, et ambulantibus in umbra mortis Evangelicae Fidei lucem effundere decrevisset, Romanum praeparavit Imperium, ut promptiores ad omnes Populos praedicatio veritatis haberet accessus, quos unius Civitatis dominatio sociaret. Imbuendi autem Evangelio mundi partibus, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, duodecim Apostolis distributis, beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad Arcem Romani destinatur Imperii, ut ea capta, et in obsequium Fidei subjugata, facilius universus Orbis humilitati Crucis superba colla submitteret. Ad hanc postea Coapostolus ejus Paulus, aliis peragratis provinciis, adveniens, labore et meritis illi consociatus est, ut Roma tantorum Apostolorum edocta Magisterio, quae superstitionis studio profanos omnium gentium cultus atque errores receperat, veritatis amore sanctae atque immaculatae unius Dei Religionis Sedes evaderet. Isti enim sunt Romanae Urbis Patres verique Conditores, qui eam Regnis caelestibus adscribendam melioribus auspiciis et fortunatioribus initiis condiderunt; non illi, quorum manibus cognato sanguine pollutis prima moenium fundamenta locata sunt, e quibus is, qui ei nomen dedit, fraterna caede foedatam facinorosis hominibus, scelerum impunitate promissa, habitandam concessit. At vero isti e tenebris Idololatriae ad Fidei lumen evocatam, Evangelica veritate imbutam, christianis ornatam virtutibus, et ad Caeli sublimitatem erectam pretioso sanguine suo consecrarunt, et sacris Corporum suorum Sepulchris adversus furentium haeresum insidias, et frementis infernalis hostis impetus, tanquam duobus firmissimis munivere propugnaculis. Beatus autem Apostolus Petrus, Sacerdotali Sede Romam translata, cum privilegium potestatis a Christo Domino acceptae ad omnes suos transmittat haeredes, supremi culminis praerogativam quodammodo cum ea communicavit, adeo ut per beati Petri Cathedram Princeps ac Caput Orbis fieret, et in immensum Religione Divina ejus cresceret dignitas, cujus latius quam dominatione terrena per totum Orbem protendebatur auctoritas. Quare etsi in Sanctorum solemnitatibus commune universorum Fidelium deceat esse gaudium, cum ob fidei unitatem in acceptis a Deo per Servos suos beneficiis indiscreta sit omnium utilitas; (a) tamen Natalis Apostolorum Petri et Pauli festivitas praeter illam reverentiam, quam toto Terrarum Orbe promeruit, speciali et propria Romanae Urbis exultatione veneranda est, ut ubi praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit laetitiae Principatus.

Vivit adhuc in mente hominum, et nulla unquam delebit oblivio, vetus memoria et recordatio, quammerito et quanto per totum Orbem, sed praecipue in hac Alma Urbe nostra fuerit a primis Ecclesiae seculis celebri cultu, et splendida solemnitate Natalis dies beatorum Apostolorum celebratus. Siquidem ea die traditum est, Romanos Pontifices Praedecessores Nostros primum in Basilica beati Petri in Vaticano, deinde in altera Apostoli Pauli Via Ostiensi Sacrum immortali Deo in honorem Principum Apostolorum fecisse, et Romanum Populum frequentissimo coetu, et celebri concursu utramque Basilicam sacras Apostolorum Reliquias veneraturum invisere solitum; imo ad eamdem solemnem diem

(a) *S. Leo Serm. in Nat. Ap. Petr. et Paul.*

ex diversis Orbis partibus innumerabilem populi multitudinem linguis, moribus, et regionibus discretam, venerationis tamen erga beatos Apostolorum cineres, et triumphalem Natalis eorum memoriam concordi obsequio sociatum confluere consuevisse; Episcopos etiam aliosque sacros Antistites, sublimes Regiasque personas ad eamdem solemnitatem convenire solitos fuisse, supplicesque se suasque coronas ad pedes Piscatoris, et ad Scenofactoris monumentum, adstantibus Ducibus, et Praefectis militum, prosternere. Haec igitur et alia hujusmodi diligenti animi consideratione nobiscum reputantes vehementer soliciti sumus, ne Nos, qui in tantis periculis et adversitatibus constituti sanctorum Apostolorum valido indigemus auxilio, degeneres a Majorum pietate, et devii a sanctis eorum Institutis simus, et quibus in accipiendis a Deo per beatos Apostolos beneficiis et donis pares sumus, impares et ingrati in sacra eorum recolenda memoria, et gratiis immortali Deo agendis reperiamur, meritoque illorum destituamur praesidio, quorum negligimus solemnitatem.

Volentes itaque cupientesque, Romani Populi erga BB. Apostolos devotionem, de quorum praesidio hanc Urbem nostram eorum decoratam Corporibus, caelestibus illustratam doctrinis, et potenti apud Deum patrocinio semper adjutam maxime confidere decet, quantum in Nobis est, augere, atque amplificare, hac nostra in perpetuum valitura Sanctione statuimus ac decernimus, ut recurrente per ordinem Natali die eorumdem Apostolorum, non solum in Basilica Vaticana, ut nunc moris est, in pervigilio ejusdem Festi Vesperae solemnes celebrentur, quibus interesse solet Romanus Pontifex cum S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Romanae Curiae Praelatis, qui locum in Cappella Pontificia obtinent, et mane in eadem Basilica solemne Sacrum ab ipso Romano Pontifice peragatur, et secundae Vesperae ejusdem Venerabilis diei Ecclesiastico Cantu, ac Ritu a Capitulo et Clero praesente etiam S. R. E. Cardinali praefatae Basilicae Archipresbytero aliisque Cardinalibus ad eamdem Vesperarum solemnitatem devotionis causa accedentibus, persolvantur; sed ulterius per totam octavam singulis diebus in diversis Ecclesiis a Nobis, tanquam aliqua Apostolorum memoria aut praerogativa insignitis, electis et inferius nominandis Missa in Pontificalibus, concinente ac psallente schola Cantorum, aliorumque Pontificiae nostrae Cappellae Ministris inservientibus, ordine ac modo infradicendo rite peragatur, recolaturque memoria illustris triumphi eorum martyrii, quod toto Terrarum Orbi, sed praecipue Romanae Urbi decus contulit et dignitatem.

Secunda igitur intra octavam die Missarum solemnia in Pontificalibus celebrentur, praesentibus Ven. Fratribus Episcopis Pontificio Throno Assistentibus, in Basilica B. Apostoli Pauli Via Ostiensi, in qua celebris est utriusque Apostoli memoria, sacraeque Reliquiae servantur, et veteri instituto solemnis eadem die B. Apostoli Pauli commemoratio recolitur, qui, si adhuc vivens in Terris, adeo Romanos diligebat, ut sine intermissione memoriam eorum in suis orationibus faceret, vehementerque cuperet eos videre, et ad eos confirmandos aliquid spiritualis gratiae impertiri; quanto magis sperandum est, quod modo Beatus in Caelis pro Alumnis suis Deum orare non cesset, suamque opem humiliter postulantibus, afferre non recuset, ut in illa caelesti confirmentur doctrina, in qua eos ore suo, per quod Christus loquebatur, erudivit.

Tertia die in Ecclesia S. Pudentianae fiet solemne in Pontificalibus Sacrum, intervenientibus dilectis filiis Protonotariis Apostolicae Sedis ex numero Participantium. Nam perhibent hoc loco fuisse domum Pudentis Senatoris, apud quem, cum primum Romam advenit, hospitatus est Princeps Apostolorum Petrus, qui in eadem domo Verbum Dei Gentibus annunciavit, sacras habuit Synaxes, Sacrum pluries fecit, et Sacramenta Christi administravit; adeo ut in ea jacta sint quodammodo prima Romanae Ecclesiae fundamenta omnium aliarum Ecclesiarum Matris et Magistrae, quam superbae inferorum portae non vincunt.

Quarta die in Ecclesia S. Mariae in Via Lata Missarum persolvantur solemnia; intervenientibus dilectis filiis Causarum Palatii no-

stri Auditoribus. Locus enim iste antiquae est Religione celeberrimus; ibi primum, ut fertur, hospitio exceptus est Apostolus, et Magister Gentium Paulus, qui ut Acta Apostolorum testantur, (a) *mansit biennio toto in suo conducto, et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans Regnum Dei, et docens quae sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia sine prohibitione.*

Quinta die ad Missarum solemnia in Pontificalibus celebranda convenient dilecti filii Camerae Apostolicae Clerici in Ecclesia S. Petri ad Vincula seu Titulo Eudoxiae. Haec enim prima Ecclesia esse traditur, quae a Principe Apostolorum fuit Romae immortali Deo dedicata; in hac ejusdem beati Apostoli sacra Vincula servantur, quae semper summo in honore ac veneratione apud Fideles omnes fuerunt, pluraque benignissimus Deus miracula per ea efficere ad laudem et gloriam Servi sui dignatus est. (b) Haec enim sunt felices illi nexus, qui de manicis et compedibus in coronam mutandi Apostolum contingentes martyrem reddiderunt: Felices catenae, quae nudatis pene ossibus inhaerentes vivas reliquias de sanguinis sudore jam attrita carne rapuerunt: Felicia Vincula, quae reum suum usque ad Christi Crucem non tam condemnatura, quam consecratura miserunt.

Sexta autem die in Ecclesia S. Petri in Carcere, quo, ut ferunt, BB. Apostoli Petrus, et Paulus per plures menses arctissima custodia ad mortem usque detenti sunt, eorumque Custodes Processus, et Martinianus ad fidem conversi, subito ex proxima petra Divina virtute fonte enato, fuerunt a Petro sacro Baptismo abluti; et ubi in vinculis, et teterrimi carceris foeditate invisentibus se Evangelium Dei praedicare, curare infirmos, sanare aegrotos, et multa alia patrare miracula non desierunt. Missa autem in Pontificalibus in Ecclesia superiori, ob inferioris angustiam, adstantibus dilectis filiis Referendariis Votantibus Signaturae Justitiae, celebrabitur.

Septima die Missa in Pontificalibus, assistentibus dilectis filiis Abbreviatoribus de Parco Majori, celebrabitur in Ecclesia S. Petri in Monte Aureo, ubi, ut pia traditione fertur, beatus Apostolus Petrus Cruci affixus martyrio coronatus est capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis, asserens, se indignum, quod sic crucifigeretur, ut Dominus suus; sed ita e terra Caelum, quo iter parabat, suspiciens, admirandae humilitatis virtutem, novique mysterii disciplinam et inter tormenta servavit.

Demum octava die festiva BB. Petri, et Pauli Apostolorum Principum solemnitas in sancta Lateranensi Basilica absolvatur. Ibi enim supra Altare Majus in argenteis Imaginibus margaritis lapidibusque pretiosis ornatis sacra Apostolorum Capita, quae olim in Ecclesia S Laurentii ad Sancta Sanctorum servabantur, a fel. rec. Urbano Papa V. Praedecessore Nostro reposita fuerunt. Beata capita, quae Sanctarum illarum animarum sedes nihil humile, aut mundanum, sed caelestia solum ac Divina cogitarunt; quae non terrenum pulverem, aut humanas sordes, sed divinas revelationes, et caelestia Arcana recipere meruerunt; quae in novissima omnium mortuorum resurrectione aeternis ornanda sertis corporibus ac animabus suis supernae Patriae beatitudine fruitura conjungentur. Mane Missarum solemnia in Pontificalibus, praesente Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, eo majori ritu et solemnitate, qua sacri hujusmodi Cardinalium conventus peragi unquam solent, celebrentur. Vespere autem sacras Apostolorum Reliquias veneraturi solemni cultu et pari animi devotione ad eamdem Basilicam pergant dilecti Filii Nobiles Viri Senator Urbis, et Romanorum Civium, et Camerae Urbis Conservatores, quorum pietatis exemple commotus ad debitas immortali Deo gratias reddendas pro ineffabili munere ei collato in beatorum Apostolorum Petri, et Pauli patrocinio universus Romanus Populus celebri frequentia et aemula festinatione accedere contendat.

Pomeridiano autem tempore aliorum dierum omnes Confraternitates hujus Almae Urbis, per Venerabilem Fratrem nostrum S. R. E. Cardinalem Vicarium pro tempore publico

(a) *Act. Apost. cap.* 28. *v.* 30. 21. (b) *S. Aug. Serm* 29. *de Sanctis.*

Edicto intimandae, statis suis quaeque diebus ad eam Ecclesiam, ubi mane Missa in honorem Apostolorum celebrata fuerit, pie ac devote procedant. Singulis autem Confratribus processionaliter accedentibus septem annos et totidem quadragenas, et aliis omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eamdem Ecclesiam, ubi Statio erit, religiose visitaverint, de omnipotentis Dei misericordia confisi centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Monemus autem in Domino, et instantius rogamus, omnes Christifideles in hac Alma Urbe natos et commorantes, ut pia Majorum exempla in veneratione erga beatos Apostolos laudabili studio aemulantes in Ecclesiis a Nobis constitutis devota celebritate conveniant, et spirituali laetitia exultantes laudantesque Deum, qui glorificatur in Sanctis suis, tantam Natalis diei Apostolorum celebrent solemnitatem. Siquidem de praesidio Divinitus Nobis ad exemplum patientiae, et confirmationem fidei praeparato in horum excellentia Patrum merito est exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantam altitudinem provexit, ut horum alteri magnum et mirabile consortium potentiae suae tribuerit Divina dignatio; alter vero Vas electionis, et specialis Doctor Gentium superno oraculo et caelesti sententia fuerit designatus. Praeterea meminerint saepe hanc Urbem potenti Apostolorum protectione a Barbarorum incursibus, a caede, a depopulatione, ab incendiis, a terraemotibus aliisque innumeris periculis et calamitatibus liberatam. In mentem revocent innumera illa prodigia et gratias, quas ad gloriam Servorum suorum Brandeorum, vel Catenarum contactu, vel sola oratione, aut nominis invocatione antiquorum Fidelium pietas ac devotio ab omnipotenti Deo obtinuit. Demum in memoria habeant verba illa B. Leonis Praedecessoris Nostri ad Romanum Populum ex beati Petri Cathedra clamantis et dicentis: (a) *Licet omnem Ecclesiam, quae in toto est Orbe Terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus; vos tamen praecipue inter ceteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolicae petrae arce fundatos, et Dominus Noster Jesus Christus cum omnibus redemit, et beatus Apostolus Petrus prae omnibus erudivit.*

Caveant igitur, ne sanctis suorum Pastorum monitis inobsequentes, ne immemores beneficiorum Dei, ne irreligiosi erga Servos ejus BB. Apostolos, et absimiles Majorum pietati inveniantur. Magnum enim periculum est, esse homines per oblivionem beneficiorum ingratos Deo, et Servis ejus, nec correptione corrigi, nec de gratiis recordari. Sciant denique, quod beatos Apostolos, qui apud Deum intercessores sibi esse non curat, suarum culparum severos Judices habebit, et quos conciliatores supernae miserationis habere contemnit, offensae majestatis sentiet ultores.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis, decreti, statuti, definitionis, monitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo tertio Calendis Aprilis Pontificatus Nostri anno tertio.

P. Card. Prodatarius. D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.
N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. N. JESU CHRISTI millesimo septingentesimo quadragesimo tertio Indictione quinta die vero 13. *Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et D. N. D.* BENEDICTI *Divina Providentia PP. XIV. Anno Tertio, supradicta Constitu-*

(a) *S. Leo Serm.* 11. *in die Assumpt.*

tio affixa et publicata fuit ad valvas Basilicae Lateranensis, et Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Nicolaum Cappelli Apost. Curs.

Antonius Pelliccia Mag. Curs.

Fr. GIO: ANTONIO del Titolo de' SS. Silvestro e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Nostro Signore Vicario Generale etc.

Inerendo noi alla Costituzione della Santità di Nostro Signore BENEDETTO XIV. *publicata il primo Aprile 1743., in cui per accrescere maggiormente, e dilatare la divozione del Popolo Romano verso li Santi Apostoli Pietro, e Paolo Protettori di quest' Alma Città, si è degnata determinare, che non solo nel giorno Festivo del glorioso Martirio dei medesimi Santi Apostoli si celebrino ogn' anno secondo il solito i Vesperi, e Messa solenne nella Basilica Vaticana, ma anche in tutti i giorni dell' Ottava; cioè, il secondo giorno nella Basilica di S. Paolo: il terzo nella Chiesa di S. Pudenziana: il quarto in S. Maria in Vialata: il quinto in S. Pietro in Vincoli: il sesto in S. Pietro in Carcere: il settimo in S. Pietro Montorio: e l' ottavo, ed ultimo giorno nella Basilica Lateranense, e che in oltre le Compagnie di Roma debbano processionalmente portarsi alla visita respettivamente delle suddette Chiese ne' giorni da intimarseli da Noi: Si ordina perciò, e comanda all' infrascritte Compagnie, che nei giorni qui sotto stabiliti, nel dopo pranzo (eccettuato però il giorno della Festa de' medesimi SS. Apostoli, atteso il concorso, ed affluenza del Popolo alla suddetta Basilica) si portino ciascheduna alla Chiesa assegnatali, cantando per la strada le Litanie de' Santi, con duplicare l' invocazione di S. Pietro, e con riassumere le medesime Litanie subito che saranno terminate. Nel ritorno poi dalla visita, che fatta avranno prima dell' ore 24., dovranno cantare le Litanie della beatissima Vergine, con riassumere come sopra le medesime, terminate che saranno, concedendo la Santità sua a ciascheduno de' Fratelli dieci anni d' Indulgenza, ed altrettante Quarantene; ed a tutti gl' altri Fedeli dell' uno e l' altro sesso, che veramente pentiti, e confessati visiteranno quella Chiesa, dove sarà la Stazione, concede parimente sette anni, ed altrettante Quarantene d' Indulgenza.*

Si esortano pertanto tutti, e particolarmente le Compagnie, che cercando di emulare la pietà de' Maggiori nella venerazione dovuta ai gloriosi Apostoli, divotamente col solo Crocefisso, e senza confusione si portino nelle Chiese destinateli, e con dare manifesti contrassegni della loro spirituale allegrezza, e lodare Iddio, che ne' Santi suoi viene glorificato, non manchino di celebrare la solennità così grande di quel giorno, in cui meritarono i detti Apostoli ricevere da Dio la Palma del glorioso Martirio, e di pregare il Signore per l' estirpazione dell' Eresia, esaltazione della Santa Madre Chiesa, e per la pace e concordia fra Principi cristiani. Dato in Roma dalla nostra solita Residenza li 19. Giugno 1746.

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gaspero Arciprete Ori Segretario.

Ripartimento delle Compagnie, che dovranno portarsi alla Visita delle suddette Chiese nell' anno corrente.

Giovedì 30. Giugno, secondo giorno dell' Ottava delli suddetti SS. Apostoli, dovranno portarsi alla Basilica di S. Paolo.

Compagnia di S. Maria della Quercia de' Macellari.

Compagnia di S. Leonardo de' Scarpellini.

Compagnia di S. Giovanni della Malva in Trastevere.

Compagnia di S. Barbara de' Librari.

Compagnia de' SS. Crispino e Crispiniano de' Calzolari.

Venerdì terzo giorno si porteranno alla Chiesa di S. Pudenziana.

Compagnia de' Cocchieri in S. Maria in Cacaberis.

bundo ritu, praeeuntibus Eminentissimis Patribus dextera manu accensum Cereum gestantibus, ex eodem Sacello in Basilicam Vaticanam deferetur.

Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales, omni alio comitatu penitus excluso, Cubiculi Praefecto, et Caudatario tantum utentur.

In Basilica ante Augustissimum SACRAMENTUM *publicae venerationi expositum, et ante Principem Aram preces effundent. Mox ubi Sanctissimus Pater in Solio se composuerit, ei Obedientiam unà cum aliis ex more praestabunt; sacraeque actioni sollemnis Canonizationis Beatorum* FIDELIS *a* SIGMARINGA, CAMILLI *de* LELLIS, PETRI REGALATI, JOSEPHI *a* LEONISSA *et* CATHARINÆ *de* RICCIIS, *Deo inspirante, per Sanctitatem Suam persolvendae, ac Missae per eamdem subinde celebrandae simul intererunt.*

Expleta Papali Missa, indumenta sacra omnes deponent, Cappas resument, et postquam Pontifex in Tentorio ad hoc praeparato Pontificales Vestes dimiserit, et a Basilica discesserit, ipsi ad propria pariter remigrabunt.

Quindecim Eminentissimi DD. Cardinales Congregationi Sacrorum Rituum praepositi, antiquiores in unoquoque ordine, si fas erit, tripartito assumendi Oblationes a duobus Nobilibus eorum respective Familiaribus talari Veste indutis delatas reverenter de more Sanctitati Suae praesentabunt.

Prima hac nocte, et pariter sequentis diei signa laetitiae fieri mandabunt cum luminaribus, et festis ignibus.

Ideo intimentur omnes, et singuli Eminentissimi, et Reverendissimi DD. Cardinales, Reverendissimi Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi in Urbe praesentes tam Assistentes, quam non Assistentes, Abbates Generales locum in Pontificia Capella habentes, ac Poenitentiarii Basilicae Vaticanae.

Intimentur etiam Gubernator Urbis Vice-Camerarius, Principes Solii, Protonotarii Apostolici, Generales Ordinum Mendicantium, Conservatores Urbis, Oratores Civitatum Subditarum, Auditores Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae Justitiae, Abbreviatores, utriusque Signaturae Referendarii, et Advocati Consistoriales, ut omnes sub eamdem horam in praedictum Sixti Sacellum expedite conveniant.

Episcopi Assistentes, et non Assistentes, ac Abbates Generales cum Pluvialibus rubeis, et Mitra simplici ex lino.

Poenitentiarii cum Planetis rubeis, et biretis.

Protonotarii Apostolici cum Cappis.

Reliqui Praelati, nempe Auditores Rotae, Clerici Camerae, Votantes Signaturae Justitiae, Abbreviatores, et Referendarii cum Rochettis, et Superpelliceis.

Advocati Consistoriales cum Vestibus violaceis, atque Caputiis.

De Mandato Sanctissimi Domini Nostri Papae.

Ignatius Reali Apost. Caerem. Praef.

EMINENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SIGNORE.

Mercoledì 29. del cadente mese di Giugno festa de' gloriosi Santi Apostoli Pietro, e Paolo si degnerà l' Eminenza Vostra mandare due Gentiluomini con abito talare la mattina della Canonizazione de' Santi FEDELE *da* SIGMARINGA, CAMILLO *de* LELLIS, PIETRO REGALATO, GIUSEPPE *da* LEONESSA *e* CATARINA RICCI, *per tempo nella Basilica Vaticana; con trasmettere anche due giorni prima i nomi dei medesimi al Sig. Duca di Guadagnoli Maestro del Sacro Ospizio per poterli introdurre nel luogo destinato, perchè siano pronti ad assistere a Vostra Eminenza nell' Oblazioni.*

Modo huic non absimili mandatum etiam est Rituum Congregationis Consultoribus, ut insignibus, ac indumentis ipsorum muneribus, et Ordinibus congruentibus Supplicationem utriusque Cleri tendentem in Beati Petri Basilicam ex praescripto Summi Pontificis, quocumque suorum sociorum comitatu excluso, prosequi non detrectarent.

REVERENDISSIMO PADRE.

Dovendo per ordine della Santità di Nostro Signore V. P. Reverendissima intervenire

con gl' altri Consultori della Sacra Congregazione de' Riti alla Solenne Canonizazione de' Beati FEDELE *da* SIGMARINGA, CAMILLO *de* LELLIS, PIETRO REGALATO, GIUSEPPE *da* LEONESSA, *e* CATARINA RICCI; *si troverà la mattina dei 29. di Giugno Festa de'* SS. *Apostoli Pietro, e Paolo, alle ore* dieci e mezza in punto, *fuori de' Cancelli della Cappella Sistina del Palazzo Apostolico Vaticano, di dove sarà avvisato per portarsi, escluso il proprio Compagno, in Processione, secondo il metodo dalla Santità Sua prescritto, alla Basilica Vaticana, nella quale fra gl' altri Ordini della Cappella Pontificia da uno de' Maestri di Cerimonie della Santità Sua le verrà assegnato il luogo per assistere alla detta Sacra Funzione.*

Porro diei Festi Apostolorum Principum Pervigilium, in quo modo versamur, opportunitatem praebet ejusmodi; ut quemadmodum ea celebritas incrementum acceperit, praetereundum non videatur. Etsi enim persuasum haberet Summus Ecclesiasticae Disciplinae Moderator, (a) *omnium Sanctorum solemnitatum, totum Mundum participem esse, et unius Fidei pietatem exigere, ut quidquid pro salute universorum gestum recolitur, communibus ubique gaudiis celebrandum sit;* tamen quod Petri et Pauli Festivitas *praeter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali ac propria Romanae Urbis exultatione veneranda est; ut ibi praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus; ibi in die Martyrii eorum sit laetitiae Principatus*, perpetuis futuris temporibus valitura sua Constitutione, quae inferius dabitur, praeter Festum diem, eorumdem Apostolorum cultum ad octiduum protraxit praecipiens, ut unoquoque die infra praedictam octavam in designata Ecclesia insigni aliquo ipsorum Apostolorum monumento celebri Pontificalis Missa mane cantaretur adstantibus per dies singulos singulis Romanae Curiae Praelatorum Ordinibus juxta gradum et dignitatem, ac praecipuae juxta locum, quem obtinent in Pontificiis Cappellis, et habitu eodem; quo utuntur, cum collegialiter iisdem intersunt. Quia vero exorta controversia erat inter Praelatos Votantes Justitiae, et Gratiae, uter nimirum ex his duobus Ordinibus alteri deberet praecedere, composuit litem Sanctissimus Pater datis Apostolicis literis, quas non injucundum erit hic inserere: Vicaria enim qua pollet, Jesu Christi potestate BENEDICTUS non destitit, dum nova Sanctorum accessione triumphanti Ecclesiae decorem augere satageret, et Militanti consulere, Hierarchicum Ordinem Praelatorum constituendo; Sanctionis tenor.

ORDINATIO, SEU STATUTUM,

Quo praescribitur Ordo praecedentiae per Votantes Signaturae Justitiae et Gratiae tum in Sedendo, tum in Votum ferendo servandus.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Militanti Ecclesiae, quae est sicut Castrorum acies ordinata, per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam, quamvis nullis nostris meritis praesidentes, illud praecipue inter cetera per magna et ampla Apostolicae procurationis nostrae munera studiosius curare debemus, ut eas providentissime tradamus, statuamusque regulas, quibus ab ipsis ejusdem Ecclesiae Praelatis in hac Romana Curia ad laboriosa et difficillima totius catholici Orbis expedienda sive Gratiae, sive Justitiae negotia Nobiscum adlaborantibus rite sancteque servatis, nulla potissimum quoad praecedentiam inter eos confusio et inordinatio inducatur, quemadmodum, iisdem regulis nondum apprime constitutis, experientia constat, maximam inductam fuisse confusionem inordinationemque. Duo in hac ipsa Romana Curia nostra sunt Tribunalia antiquissima sane, et aliis interdum, quam de praesenti, nominibus celeberrima, alterum quidem Signaturae Justitiae dictum, in quo duodecim tantum numerantur Praelati Votantes nuncupati, alterum vero Signaturae

(a) *S. Leo Serm. 1. in Natali Apost.*

Gratiae appellatum, in quo totidem Praelati Votantes habentur. In horum sane numero Nos pariter olim, dum in Minoribus essemus, fuisse gloriamur. Porro nunquam utrique Votantes tanquam in sive Corporis, sive Tribunalis speciem conveniunt; ea propter nulla quidem hac in parte necessaria est Apostolicae nostrae providentiae ratio; sed hoc praesertim praecipimus et mandamus: ut quotiescumque tam ipsi Signaturae Justitiae, quam Signaturae Gratiae Votantes pro suis respectu proprii Tribunalis seorsim obeundis adimplendisque muneribus invicem convenire debent, idem inter ipsos tum in sedendo, tum in votum, sive suffragium ferendo praecedentiae Ordo servetur, qui ad hanc usque diem retentus servatusque est. Quoniam ut plurimum accidere potest, ut sive unus, sive plures ex utroque Signaturae Justitiae et Gratiae Tribunali Votantes quacumque ex causa sive Praelatitio, sive quocumque alio habitu induti quomodolibet et ubicumque insimul reperiri possint: Hinc est, quod Nos motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine volumus et mandamus, ut in hujusmodi conventu ille Votans, qui in suo Tribunali antiquior, et prior constitutus fuerit, hoc modo praecedat, videlicet: Ut Votans prior in Signaturae Justitiae Tribunali adlectus, quam Signaturae Gratiae Votans in suo admissus fuerit, huic secundo dicto Signaturae Gratiae Votanti praecedat ille Signaturae Justitiae Votans; ita pariter huic Signaturae Justitiae Votanti praecedere debeat ille Signaturae Gratiae Votans, qui antequam Signaturae Justitiae in suum Tribunal admitteretur, jam in proprium itidem Tribunal receptus fuerat: Quod si contigerit ambo alterius Signaturae Votantes eodem die quemque Tribunali constitutos fuisse, tunc praecedentia illi detur, qui in Praelatura quacumque antiquior et prior reperitur. Traditam itaque statutamque regulam in praemissis, dummodo nullus alius praecedentiae titulus intercedat, omnino servandam custodiendamque esse volumus et mandamus. Verum cum aliquis Votans alterius Tribunalis hujusmodi sive Episcopali charactere insignitus, sive Protonotarii Apostolici dignitate ornatus, sive quocumque alio ejusdem Romanae Curiae munere, vel officio decoratus reperiatur, praecipimus insuper et mandamus, ut nulla habita Signaturae Justitiae, aut Gratiae Votantis ratione, sed ea dumtaxat praecedentia illaesa remaneat, quae Votanti respectu sive characteris Episcopalis, sive Dignitatis Protonotarii Apostolici, sive cujusvis alterius muneris praecedentiam hac in re requirentis competit et debetur. Denique statuimus et decernimus hujusmodi praecedentiam, cum quivis Votans in utroque Signaturae Justitiae et Gratiae Tribunali adscriptus fuerit, a primaeva ipsius Votantis in altero utriusque Signaturae Tribunali receptione et admissione, et non aliter esse repetendam et definiendam. Decernentes ipsas praesentes Literas semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Junii MDCCXLVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

D. Card. Passioneus.

Toto autem eo octiduo voluit Pontifex, ut Vespere aliquae Laicorum Confraternitates ab Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario eligendae supplici ritu adirent eam Ecclesiam, ubi preces habitae mane fuerant; ultimo tandem solemnitatis die ad Lateranensem Basilicam, non solum composita supplicantium agmina procederent, sed Eminentissimi Patres, qui vellent, iterum vestibus, et quod peculiare est, etiam Cappis rubris, mane adessent Pontificali Missae. Post meridiem Senator, Conscripti, et Centuriati e Romano Populo homines, frequentiori quo possent,

comitatu, Capita Apostolorum veneraturi eo progrederentur: quod jam quater religiose servatum est.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Admirabilis Sapientiae Dei sublimitas, cujus provida dispositione mundana Regna constituuntur, ut Ecclesiae Fidelium, quae divino comitata adjutorio peregrinatur in terris, vel amplificandae, vel exercendae, vel custodiendae, alternantibus miro ordine vicibus, inserviant, voluntariam humani Generis caecitatem, et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio, et altiori pietate commiserans, cum adveniente temporum plenitudine, sedentibus in tenebris, et ambulantibus in umbra mortis Evangelicae Fidei lucem effundere decrevisset, Romanum praeparavit Imperium, ut promptiores ad omnes Populos praedicatio veritatis haberet accessus, quos unius Civitatis dominatio sociaret. Imbuendi autem Evangelio mundi partibus, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, duodecim Apostolis distributis, beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad Arcem Romani destinatur Imperii, ut ea capta, et in obsequium Fidei subjugata, facilius universus Orbis humilitati Crucis superba colla submitteret. Ad hanc postea Coapostolus ejus Paulus, aliis peragratis provinciis, adveniens, labore et meritis illi consociatus est, ut Roma tantorum Apostolorum edocta Magisterio, quae superstitionis studio profanos omnium gentium cultus atque errores receperat, veritatis amore sanctae atque immaculatae unius Dei Religionis Sedes evaderet. Isti enim sunt Romanae Urbis Patres verique Conditores, qui eam Regnis caelestibus adscribendam melioribus auspiciis et fortunatioribus initiis condiderunt; non illi, quorum manibus cognato sanguine pollutis prima moenium fundamenta locata sunt, e quibus is, qui ei nomen dedit, fraterna caede foedatam facinorosis hominibus, scelerum impunitate promissa, habitandam concessit. At vero isti e tenebris Idololatriae ad Fidei lumen evocatam, Evangelica veritate imbutam, christianis ornatam virtutibus, et ad Caeli sublimitatem erectam pretioso sanguine suo consecrarunt, et sacris Corporum suorum Sepulchris adversus furentium haeresum insidias, et frementis infernalis hostis impetus, tanquam duobus firmissimis munivere propugnaculis. Beatus autem Apostolus Petrus, Sacerdotali Sede Romam translata, cum privilegium potestatis a Christo Domino acceptae ad omnes suos transmittat haeredes, supremi culminis praerogativam quodammodo cum ea communicavit, adeo ut per beati Petri Cathedram Princeps ac Caput Orbis fieret, et in immensum Religione Divina ejus cresceret dignitas, cujus latius quam dominatione terrena per totum Orbem protendebatur auctoritas. Quare etsi in Sanctorum solemnitatibus commune universorum Fidelium deceat esse gaudium, cum ob fidei unitatem in acceptis a Deo per Servos suos beneficiis indiscreta sit omnium utilitas; (a) tamen Natalis Apostolorum Petri et Pauli festivitas praeter illam reverentiam, quam toto Terrarum Orbe promeruit, speciali et propria Romanae Urbis exultatione veneranda est, ut ubi praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit laetitiae Principatus.

Vivit adhuc in mente hominum, et nulla unquam delebit oblivio, vetus memoria et recordatio, quammerito et quanto per totum Orbem, sed praecipue in hac Alma Urbe nostra fuerit a primis Ecclesiae seculis celebri cultu, et splendida solemnitate Natalis dies beatorum Apostolorum celebratus. Siquidem ea die traditum est, Romanos Pontifices Praedecessores Nostros primum in Basilica beati Petri in Vaticano, deinde in altera Apostoli Pauli Via Ostiensi Sacrum immortali Deo in honorem Principum Apostolorum fecisse, et Romanum Populum frequentissimo coetu, et celebri concursu utramque Basilicam sacras Apostolorum Reliquias veneraturum invisere solitum; imo ad eamdem solemnem diem

(a) *S. Leo Serm. in Nat. Ap. Petr. et Paul.*

ex diversis Orbis partibus innumerabilem populi multitudinem linguis, moribus, et regionibus discretam, venerationis tamen erga beatos Apostolorum cineres, et triumphalem Natalis eorum memoriam concordi obsequio sociatum confluere consuevisse; Episcopos etiam aliosque sacros Antistites, sublimes Regiasque personas ad eamdem solemnitatem convenire solitos fuisse, supplicesque se suasque coronas ad pedes Piscatoris, et ad Scenofactoris monumentum, adstantibus Ducibus, et Praefectis militum, prosternere. Haec igitur et alia hujusmodi diligenti animi consideratione nobiscum reputantes vehementer soliciti sumus, ne Nos, qui in tantis periculis et adversitatibus constituti sanctorum Apostolorum valido indigemus auxilio, degeneres a Majorum pietate, et devii a sanctis eorum Institutis simus, et quibus in accipiendis a Deo per beatos Apostolos beneficiis et donis pares sumus, impares et ingrati in sacra eorum recolenda memoria, et gratiis immortali Deo agendis reperiamur, meritoque illorum destituamur praesidio, quorum negligimus solemnitatem.

Volentes itaque cupientesque, Romani Populi erga BB. Apostolos devotionem, de quorum praesidio hanc Urbem nostram eorum decoratam Corporibus, caelestibus illustratam doctrinis, et potenti apud Deum patrocinio semper adjutam maxime confidere decet, quantum in Nobis est, augere, atque amplificare, hac nostra in perpetuum valitura Sanctione statuimus ac decernimus, ut recurrente per ordinem Natali die eorumdem Apostolorum, non solum in Basilica Vaticana, ut nunc moris est, in pervigilio ejusdem Festi Vesperae solemnes celebrentur, quibus interesse solet Romanus Pontifex cum S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Romanae Curiae Praelatis, qui locum in Cappella Pontificia obtinent, et mane in eadem Basilica solemne Sacrum ab ipso Romano Pontifice peragatur, et secundae Vesperae ejusdem Venerabilis diei Ecclesiastico Cantu, ac Ritu a Capitulo et Clero praesente etiam S. R. E. Cardinali praefatae Basilicae Archipresbytero aliisque Cardinalibus ad eamdem Vesperarum solemnitatem devotionis causa accedentibus, persolvantur; sed ulterius per totam octavam singulis diebus in diversis Ecclesiis a Nobis, tanquam aliqua Apostolorum memoria aut praerogativa insignitis, electis et inferius nominandis Missa in Pontificalibus, concinente ac psallente schola Cantorum, aliorumque Pontificiae nostrae Cappellae Ministris inservientibus, ordine ac modo infradicendo rite peragatur, recolaturque memoria illustris triumphi eorum martyrii, quod toto Terrarum Orbi, sed praecipue Romanae Urbi decus contulit et dignitatem.

Secunda igitur intra octavam die Missarum solemnia in Pontificalibus celebrentur, praesentibus Ven. Fratribus Episcopis Pontificio Throno Assistentibus, in Basilica B. Apostoli Pauli Via Ostiensi, in qua celebris est utriusque Apostoli memoria, sacraeque Reliquiae servantur, et veteri instituto solemnis eadem die B. Apostoli Pauli commemoratio recolitur, qui, si adhuc vivens in Terris, adeo Romanos diligebat, ut sine intermissione memoriam eorum in suis orationibus faceret, vehementerque cuperet eos videre, et ad eos confirmandos aliquid spiritualis gratiae impertiri; quanto magis sperandum est, quod modo Beatus in Caelis pro Alumnis suis Deum orare non cesset, suamque opem humiliter postulantibus, afferre nón recuset, ut in illa caelesti confirmentur doctrina, in qua eos ore suo, per quod Christus loquebatur, erudivit.

Tertia die in Ecclesia S. Pudentianae fiet solemne in Pontificalibus Sacrum, intervenientibus dilectis filiis Protonotariis Apostolicae Sedis ex numero Participantium. Nam perhibent hoc loco fuisse domum Pudentis Senatoris, apud quem, cum primum Romam advenit, hospitatus est Princeps Apostolorum Petrus, qui in eadem domo Verbum Dei Gentibus annunciavit, sacras habuit Synaxes, Sacrum pluries fecit, et Sacramenta Christi administravit; adeo ut in ea jacta sint quodammodo prima Romanae Ecclesiae fundamenta omnium aliarum Ecclesiarum Matris et Magistrae, quam superbae inferorum portae non vincunt.

Quarta die in Ecclesia S. Mariae in Via Lata Missarum persolvantur solemnia; intervenientibus dilectis filiis Causarum Palatii no-

stri Auditoribus. Locus enim iste antiqua est Religione celeberrimus; ibi primum, ut fertur, hospitio exceptus est Apostolus, et Magister Gentium Paulus, qui ut Acta Apostolorum testantur, (a) *mansit biennio toto in suo conducto, et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans Regnum Dei, et docens quae sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia sine prohibitione.*

Quinta die ad Missarum solemnia in Pontificalibus celebranda convenient dilecti filii Camerae Apostolicae Clerici in Ecclesia S. Petri ad Vincula seu Titulo Eudoxiae. Haec enim prima Ecclesia esse traditur, quae a Principe Apostolorum fuit Romae immortali Deo dedicata; in hac ejusdem beati Apostoli sacra Vincula servantur, quae semper summo in honore ac veneratione apud Fideles omnes fuerunt, pluraque benignissimus Deus miracula per ea efficere ad laudem et gloriam Servi sui dignatus est. (b) Haec enim sunt felices illi nexus, qui de manicis et compedibus in coronam mutandi Apostolum contingentes martyrem reddiderunt: Felices catenae, quae nudatis pene ossibus inhaerentes vivas reliquias de sanguinis sudore jam attrita carne rapuerunt: Felicia Vincula, quae reum suum usque ad Christi Crucem non tam condemnatura, quam consecratura miserunt.

Sexta autem die in Ecclesia S. Petri in Carcere, quo, ut ferunt, BB. Apostoli Petrus, et Paulus per plures menses arctissima custodia ad mortem usque detenti sunt, eorumque Custodes Processus, et Martinianus ad fidem conversi, subito ex proxima petra Divina virtute fonte enato, fuerunt a Petro sacro Baptismo abluti; et ubi in vinculis, et teterrimi carceris foeditate invisentibus se Evangelium Dei praedicare, curare infirmos, sanare aegrotos, et multa alia patrare miracula non desierunt. Missa autem in Pontificalibus in Ecclesia superiori, ob inferioris angustiam, adstantibus dilectis filiis Referendariis Votantibus Signaturae Justitiae, celebrabitur.

Septima die Missa in Pontificalibus, assistentibus dilectis filiis Abbreviatoribus de Parco Majori, celebrabitur in Ecclesia S. Petri in Monte Aureo, ubi, ut pia traditione fertur, beatus Apostolus Petrus Cruci affixus martyrio coronatus est capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis, asserens, se indignum, quod sic crucifigeretur, ut Dominus suus; sed ita e terra Caelum, quo iter parabat, suspiciens, admirandae humilitatis virtutem, novique mysterii disciplinam et inter tormenta servavit.

Demum octava die festiva BB. Petri, et Pauli Apostolorum Principum solemnitas in sancta Lateranensi Basilica absolvatur. Ibi enim supra Altare Majus in argenteis Imaginibus margaritis lapidibusque pretiosis ornatis sacra Apostolorum Capita, quae olim in Ecclesia S Laurentii ad Sancta Sanctorum servabantur, a fel. rec. Urbano Papa V. Praedecessore Nostro reposita fuerunt. Beata capita, quae Sanctarum illarum animarum sedes nihil humile, aut mundanum, sed caelestia solum ac Divina cogitarunt; quae non terrenum pulverem, aut humanas sordes, sed divinas revelationes, et caelestia Arcana recipere meruerunt; quae in novissima omnium mortuorum resurrectione aeternis ornanda sertis corporibus ac animabus suis supernae Patriae beatitudine fruitura conjungentur. Mane Missarum solemnia in Pontificalibus, praesente Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, eo majori ritu et solemnitate, qua sacri hujusmodi Cardinalium conventus peragi unquam solent, celebrentur. Vespere autem sacras Apostolorum Reliquias veneraturi solemni cultu et pari animi devotione ad eamdem Basilicam pergant dilecti Filii Nobiles Viri Senator Urbis, et Romanorum Civium, et Camerae Urbis Conservatores, quorum pietatis exemplo commotus ad debitas immortali Deo gratias reddendas pro ineffabili munere ei collato in beatorum Apostolorum Petri, et Pauli patrocinio universus Romanus Populus celebri frequentia et aemula festinatione accedere contendat.

Pomeridiano autem tempore aliorum dierum omnes Confraternitates hujus Almae Urbis, per Venerabilem Fratrem nostrum S. R. E. Cardinalem Vicarium pro tempore publico

(a) *Act. Apost. cap.* 28. *v.* 30. 21. (b) *S. Aug. Serm* 29. *de Sanctis.*

Edicto intimandae, statis suis quaeque diebus ad eam Ecclesiam, ubi mane Missa in honorem Apostolorum celebrata fuerit, pie ac devote procedant. Singulis autem Confratribus processionaliter accedentibus septem annos et totidem quadragenas, et aliis omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eamdem Ecclesiam, ubi Statio erit, religiose visitaverint, de omnipotentis Dei misericordia confisi centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Monemus autem in Domino, et instantius rogamus, omnes Christifideles in hac Alma Urbe natos et commorantes, ut pia Majorum exempla in veneratione erga beatos Apostolos laudabili studio aemulantes in Ecclesiis a Nobis constitutis devota celebritate conveniant, et spirituali laetitia exultantes laudantesque Deum, qui glorificatur in Sanctis suis, tantam Natalis diei Apostolorum celebrent solemnitatem. Siquidem de praesidio Divinitus Nobis ad exemplum patientiae, et confirmationem fidei praeparato in horum excellentia Patrum merito est exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantam altitudinem provexit, ut horum alteri magnum et mirabile consortium potentiae suae tribuerit Divina dignatio; alter vero Vas electionis, et specialis Doctor Gentium superno oraculo et caelesti sententia fuerit designatus. Praeterea meminerint saepe hanc Urbem potenti Apostolorum protectione a Barbarorum incursibus, a caede, a depopulatione, ab incendiis, a terraemotibus aliisque innumeris periculis et calamitatibus liberatam. In mentem revocent innumera illa prodigia et gratias, quas ad gloriam Servorum suorum Brandeorum, vel Catenarum contactu, vel sola oratione, aut nominis invocatione antiquorum Fidelium pietas ac devotio ab omnipotenti Deo obtinuit. Demum in memoria habeant verba illa B. Leonis Praedecessoris Nostri ad Romanum Populum ex beati Petri Cathedra clamantis et dicentis: (a) *Licet omnem Ecclesiam, quae in toto est Orbe Terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus; vos tamen praecipue inter ceteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolicae petrae arce fundatos, et Dominus Noster Jesus Christus cum omnibus redemit, et beatus Apostolus Petrus prae omnibus erudivit.*

Caveant igitur, ne sanctis suorum Pastorum monitis inobsequentes, ne immemores beneficiorum Dei, ne irreligiosi erga Servos ejus BB. Apostolos, et absimiles Majorum pietati inveniantur. Magnum enim periculum est, esse homines per oblivionem beneficiorum ingratos Deo, et Servis ejus, nec correptione corrigi, nec de gratiis recordari. Sciant denique, quod beatos Apostolos, qui apud Deum intercessores sibi esse non curat, suarum culparum severos Judices habebit, et quos conciliatores supernae miserationis habere contemnit, offensae majestatis sentiet ultores.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis, decreti, statuti, definitionis, monitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo tertio Calendis Aprilis Pontificatus Nostri anno tertio.

P. Card. Prodatarius. D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.
N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. N. ***JESU CHRISTI*** *millesimo septingentesimo quadragesimo tertio Indictione quinta die vero* 13. *Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et D. N. D.* **BENEDICTI** *Divina Providentia* *PP. XIV. Anno Tertio, supradicta Constitu-*

(a) *S. Leo Serm.* 11. *in die Assumpt.*

tio affixa et publicata fuit ad valvas Basilicae Lateranensis, et Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Nicolaum Cappelli Apost. Curs.

Antonius Pelliccia Mag. Curs.

Fr. GIO: ANTONIO del Titolo de' SS. Silvestro e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Nostro Signore Vicario Generale etc.

Inerendo noi alla Costituzione della Santità di Nostro Signore BENEDETTO XIV. *pubblicata il primo Aprile 1743., in cui per accrescere maggiormente, e dilatare la divozione del Popolo Romano verso li Santi Apostoli Pietro, e Paolo Protettori di quest' Alma Città, si è degnata determinare, che non solo nel giorno Festivo del glorioso Martirio dei medesimi Santi Apostoli si celebrino ogn' anno secondo il solito i Vesperi, e Messa solenne nella Basilica Vaticana, ma anche in tutti i giorni dell' Ottava; cioè, il secondo giorno nella Basilica di S. Paolo: il terzo nella Chiesa di S. Pudenziana: il quarto in S. Maria in Vialata: il quinto in S. Pietro in Vincoli: il sesto in S. Pietro in Carcere: il settimo in S. Pietro Montorio: e l' ottavo, ed ultimo giorno nella Basilica Lateranense, e che in oltre le Compagnie di Roma debbano processionalmente portarsi alla visita respettivamente delle suddette Chiese ne' giorni da intimarseli da Noi: Si ordina perciò, e comanda all' infrascritte Compagnie, che nei giorni qui sotto stabiliti, nel dopo pranzo (eccettuato però il giorno della Festa de' medesimi SS. Apostoli, atteso il concorso, ed affluenza del Popolo alla suddetta Basilica) si portino ciascheduna alla Chiesa assegnatali, cantando per la strada le Litanie de' Santi, con duplicare l' invocazione di S. Pietro, e con riassumere le medesime Litanie subito che saranno terminate. Nel ritorno poi dalla visita, che fatta avranno prima dell' ore 24., dovranno cantare le Litanie della beatissima Vergine, con riassumere come sopra le medesime, terminate che saranno, concedendo la Santità sua a ciascheduno de' Fratelli dieci anni d' Indulgenza, ed altrettante Quarantene; ed a tutti gl' altri Fedeli dell' uno e l' altro sesso, che veramente pentiti, e confessati visiteranno quella Chiesa, dove sarà la Stazione, concede parimente sette anni, ed altrettante Quarantene d' Indulgenza.*

Si esortano pertanto tutti, e particolarmente le Compagnie, che cercando di emulare la pietà de' Maggiori nella venerazione dovuta ai gloriosi Apostoli, divotamente col solo Crocefisso, e senza confusione si portino nelle Chiese destinateli, e con dare manifesti contrassegni della loro spirituale allegrezza, e lodare Iddio, che ne' Santi suoi viene glorificato, non manchino di celebrare la solennità così grande di quel giorno, in cui meritarono i detti Apostoli ricevere da Dio la Palma del glorioso Martirio, e di pregare il Signore per l' estirpazione dell' Eresia, esaltazione della Santa Madre Chiesa, e per la pace e concordia fra Principi cristiani. Dato in Roma dalla nostra solita Residenza li 19. Giugno 1746.

Fr. G. A. Card. Vicario.

Gaspero Arciprete Ori Segretario.

Ripartimento delle Compagnie, che dovranno portarsi alla Visita delle suddette Chiese nell' anno corrente.

Giovedì 30. Giugno, secondo giorno dell' Ottava delli suddetti SS. Apostoli, dovranno portarsi alla Basilica di S. Paolo.

Compagnia di S. Maria della Quercia de' Macellari.
Compagnia di S. Leonardo de' Scarpellini.
Compagnia di S. Giovanni della Malva in Trastevere.
Compagnia di S. Barbara de' Librari.
Compagnia de' SS. Crispino e Crispiniano de' Calzolari.

Venerdì terzo giorno si porteranno alla Chiesa di S. Pudenziana.

Compagnia de' Cocchieri in S. Maria in Cacaberis.



.arte.

Compagnia de' Regattieri.
Compagnia del Santissimo Nome di Maria.
Compagnia de' Lavoranti Falegnami.
Compagnia de' Fornari in S. Maria di Loreto.

Sabbato quarto giorno si porteranno alla Chiesa di S. Maria in Vialata.

Compagnia di S. Petronio de' Bolognesi.
Compagnia, o sia Università de' Matarazzari.
Compagnia di Gesù e Maria in S. Simone Profeta.
Compagnia di S. Catarina di Siena a Strada Giulia.
Compagnia del Santissimo Rosario e Sagramento in S. Niccola de' Prefetti.

Domenica quinto giorno si porteranno alla Chiesa di S. Pietro in Vincoli.

Compagnia del SS. Crocefisso in S. Marcello.
Università de' Pizzicaroli.
Compagnia o sia Università degl' Osti in S. Biagio della Fossa.
Compagnia de' Tessitori in S. Maria degl' Angioli.
Compagnia de' Bergamaschi.

Lunedì sesto giorno si porteranno alla Chiesa di S. Pietro in Carcere.

Compagnia del Santissimo Sagramento in S. Lorenzo e Damaso.
Compagnia di S. Giovanni de' Genovesi.
Compagnia de' Cuochi in SS. Vincenzo ed Anastasio alla Regola.
Compagnia di S. Nicola in Arcione.
Compagnia di S. Ivo.

Martedì settimo giorno si porteranno alla Chiesa di S. Pietro Montorio.

Compagnia di S. Spirito in Sassia.
Compagnia di Campo Santo.
Compagnia di S. Giacomo in Borgo.
Compagnia di S. Anna de' Parafrenieri.
Compagnia del Confalone.

Mercoledì ottavo ed ultimo giorno si porteranno alla Basilica Lateranense.

Compagnia de' Lucchesi in S. Bonaventura.
Compagnia del Santissimo Cuore di Gesù.
Compagnia del Santissimo Sagramento in S. Angelo in Pescaria.
Compagnia della Beata Rita da Cascia.
Compagnia delle Sagre Stimmate.

Primae Sanctorum Apostolorum Vesperae non in Vaticana Basilica, quippe quae ab Operariis nondum erat expedita, sed in Sixti IV. Sacello cantatae fuerunt a Summo Pontifice adstantibus Cardinalibus et Praelatis juxta proprii Ordinis gradum sacro pretioso indumento distinctis, prout decet, cum Papa est in crastinum celebraturus; ad quod Sacellum ab Aula Paramentorum exiens, cum deferretur Sanctissimus Pater, coram ipso in sella composito, adstante Advocato Fiscali R. C. A. citavit Praeco maxima voce, qui annuo solvendo tributo erant obnoxii. Cum vero in Regiam Aulam delatus esset, in qua Eminentissimus Albanus S. R. E. Camerarius Cappa rubra indutus, et omnes Camerae Apostolicae Clerici et Camerales collegialiter uniti ejus transitum praestolabantur, Fisci et ejusdem Camerae nomine D. Joannes Philippus Advocatus Toppi pro Parmensi et Placentino Ducatu interpellans protestatus est.

Substiterat Sanctitas Sua protestationem exceptura: qua audita, responsum dedit de more.


Supererat vectigal, quod pro Regno utriusque Siciliae cis, ultraque Pharum positae, (directum enim earumdem Dominium pertinet ad Apostolicam Sedem) Pontifici penditur quotannis a Rege per Legatum extra Ordinem, qui magno Aulicorum et Nobilium equitatu album eidem repraesentat Equum, et certam pecuniae vim, quibus vectigal continetur. Solet id fieri in ipso sanctorum Apostolorum pervigilio, et intra Vaticanae Basilicae vestibulum, cum post Vesperas redit Pontifex in Aulam Paramentorum: Quamquam nec status iste dies servatur aliquando, nec locus; si aliter ferat tem-

porum conditio, et Pontificis voluntas. Ita anno millesimo septingentesimo quadragesimo, cum Festus beati Petri dies in Pontificiorum Comitiorum tempus incidisset; (vacavit enim Sedes a Februario Mense ad diem XVI. Kalen. Septembris, quo die Clementi XII. suffectus est BENEDICTUS XIV.), Excellentissimus D. Fabritius Columna Magnus Comestabilis Regni Neapolitani, et Legatus extraordinarius Serenissimi Caroli Sebastiani Borbonii Hispaniarum Infantis, et utriusque Siciliae Regis nomine vectigal pependit VI. Idus Septembris in Templo beatae Mariae de Populo, in quo solemni de Nativitate Virginis Sacro primum post electionem suam BENEDICTUS adstiterat. Hoc ipso anno non in Basilica Vaticana, quae proximae celebritatis causa impediebatur, sed in Aula Regia Palatii Vaticani vectigal persolvit Beatissimo Patri idem Regis Legatus, quem quidem cum Roma magno equitatu ad Vaticanum euntem eo die videret, non potuit quin et Caroli Regis, a quo ille mittebatur, statim meminisset; ejusque Religionem et pietatem miraretur, cum tribus annis ante non Urbis visendae studio Romam accessit, sed ut sacras beatorum Apostolorum Petri et Pauli reliquias veneraretur, et in genua provolutus BENEDICTO Jesu Christi in terris Vicario, quem (a) Caput omnis Principatus et Potestatis agnoscebat, addictum benevolum et obsequentem animum suum coram ostenderet.


Ergo Excellentissimus D. Legatus e magnifico Palatio Farnesiorum, unde genus ex materno sanguine ducit Rex Carolus, velut a Regali Domo discessit, cum Vespertinae preces cani coepissent coram Pontifice in memorato Sixti IV. Sacello. Praeibant pedites Senatus Populique Romani Tympanotribae, aliique nonnulli Tubicines: Duo sequebantur ex gregariis Legati famulis, et familiari ejusdem veste, multo tamen argento variegata induti, equis insidentes. Tympana Tubaeque, quae subinde pulsabantur inflabanturque, velo serico, in quo Columnensium et Salviatae Gentis stemma pictum erat, circumvestiebantur. Post hos equitabant Designatores duo (*Florerios* vocitant), ad quos onus incubuerat, comitatum omnem instruere, et suum unicuique locum attribuere. Nobiles deinde Aulici tam Eminentissimorum Cardinalium, quam Oratorum et Procerum et aliorum quoque, qui ipsi Regi vel clientela, vel beneficio sunt obnoxii: Tum intimi familiares Legati, Proceres, et Equites quamplures, vel ex utraque Sicilia, vel Hispani. Succedebat Helvetiae Custodiae Dux, quatuor peditibus stipatus famulis: Principes post hunc, et Optimates, Regis Vectigales: Tum duo Turmarum levis armaturae Pontificii Duces. Phaleratus postea et ornatus stragulo rubro villoso, quod opere phrygio intextum argento totum erat, manuducebatur a duobus Pedissequis urbana nigri coloris veste indutis *Equus albus*, nullo Sessore, sed Insignibus Sanctitatis Suae solido ex argento conflatis, quae supra ephippium a duobus famulis sustentabantur, magnifice onustus. Sequebatur inde Praefectus Equili Columnensium, cui pendebat e collo nummorum crumena, pariter equitans, post quem incedebat Eques D. Legatus nobili circumpedum Ephebororum, Procoetonumque corona interius circumseptus, exterius vero forti Militum Helvetiorum manu securibus Palatinis armata, et a duobus eorumdem Centurionibus ducta, quae in duos Ordines ita protendebatur, ut et vectigalem equum, et qui post eum gradiebantur, utrinque medios concluderent. Proxime Legatum mulis praeclare instructis vecti non pauci incedebant Episcopi, nemine praesertim absente ex iis, quos e Campania Summus Pontifex jusserat Romam evocari, ut Beatis inter Sanctos referendis suffragari possent, et eorum Canonizationi interesse: Subsequebantur utriusque Pontificiae Cohortis Milites levis armaturae, qui de more sagati, sed sine lanceis; e Papae Custodia, deducendi Legati gratia, usque ad memoratum Farnesianum Palatium prius accesserant.


Claudebant agmen Currus duodecim, multo auro et caelatura spectabiles, quorum quatuor senis equis, reliqui bijugis agebantur. At vero, per consertas Populi multitudine vias cum e Sancti Angeli Ponte in regio-

(a) *Ad Colos. c. 2. v. 10.*



A Sixtino Vaticani Palatij Sacello ad Templum Principis Apostolorum progredientis Pontificalis supplicationis initium.





nem Urbis, quam Burgum vocant, transgrederetur Legatus, bellicis tormentis ex Hadriani mole displosis salutatus perrexit equitans sub Porticu ad marmoream Constantini Statuam, prope quam descendens, et alienorum comitatu dimisso Papam adivit, ut ei Tolutarium equum de more offerret, qui per gradus Regiae, ut dicunt, Scalae in Aulam ascenderat.

Caeterum ut magis appareat, quod brevi narratione explicatum est; formam rei totius, prout gesta est, magno studio delineatae, et aeri affabre incisae non alienum visum est hic apponere.

Ignes festi facesque tota Urbe in viis et fenestris lucentes noctem exceperunt. Praecipue vero omnium in se oculos convertit celeberrimus, idemque unicus, si moles immensa et artificium spectetur, Templi Vaticani Tholus, qui cura R. P. D. Joannis Francisci de Abbatibus Oliverii Fabricae Oeconomi, cujus multa sunt memoratu digna ad ornandum Principis Apostolorum sepulchrum, ejusque aeneum vetustissimum Signum Donaria, tam multis facibus et lampadibus mirifice dispositis, totus collucebat, ut noctem vincere videretur. Hujus Ichnographiam inter Imagines et delineamenta ad calcem Operis sub *numero primo* appositam invenies.

Nec minori fuerunt voluptati, licet quater in anno iterentur, praeter alia nitrati pulveris ope spectacula in eadem Hadriani mole, aut missilium ignium genera varia, aut eorundem uno tempore erumpentium tanta copia, ut Arx ipsa montis instar ignivomi Caelum flammis operiret tonantibus. Biduo haec spectari quotannis solent, cum recolitur triumphalis passionis gloriosorum Principum terrae memoria: tertius hoc anno dies est additus novorum Sanctorum causa. Reliquum quod erat ejus noctis, non defuerunt Religiosi praesertim viri, qui traducerent in orationibus. (a) cor suum tradentes, ut vigilarent ad Dominum, et de futura Beatorum gloria maturius laetarentur.

Summo mane quotquot ex utroque Clero erant, ut praesto essent futurae Supplicationi, ad constituta in Vaticanis aedibus Atria contenderunt; praeceperat autem Sanctissimus Dominus Noster, ut Clerus non, quemadmodum prius factum erat, compositus hinc inde a Palatii porta, quam *ferream* vocant, usque ad Obeliscum, et ab eo per Forum usque ad primarium Basilicae Ostium duas inflexas continuasque formaret lineas, et ita consisteret, descensum et transitum suae Sanctitatis per earum medium praestolaturus; sed ut composite graviterque incedens, canens praeterea hymnum *Ave Maris Stella* recta introiret in divi Petri Templum. Quo vero Populi Clerique totius preces ac vota ad exorandam Canonizationis peragendae deliberationem ultimam publice accederent; mandaverat, ut post Sacrae Congregationis Rituum Consultores, qui omnium postremi in hac Supplicatione futuri erant, Vexilla quoque quinque Beatorum Sanctis adscribendorum comportarentur, et intra Basilicam transeunti Pontifici humiliter exhiberentur. At viam quoque solito longiorem, quae ab universo procedentium ordine tenenda erat, in ea parte, quae a fronte ad frontem quadrigemini peristylii aperta est, et sub dio, Postulatores praealtis trabibus in terra defixis, textilique serico rubro ab imo ad summum convestitis, supraque telis ex cannabe extensis, ne solaribus radiis esset pervia, tegendam curaverunt. Onus vero Cereorum distribuendorum singulis agminibus, qui Supplicationem componerent, ita duo ex Caeremoniarum Magistris, selectique aliquot Patres ex iis Ordinibus Regularibus, qui sumptus in Canonizationem faciebant, inter se partiti fuerant, ut primi ope Acolythorum Cappellae Pontificiae Clericorum quadrilibres Cereos Cardinalibus, Patriarchis, et quibusdam aliis; trilibres ceteris e Pontificiae Cappellae corpore traderent, dum successive in ipsum Sacellum intrarent; alteri autem singulis ex utroque Clero, qui Supplicationi intererant, dum bini transirent ante ligneum suggestum, quod comparatum ad hoc fuerat in loculamento sub porticu a laeva exeuntium per supradictam portam ferream in peristylium. Dabantur vero ab his

(a) *Eccli.* 39. *v.* 6. *et seq.*

Cerei ardentes in Supplicatione deferendi non omnibus aequales, sed bilibres aut librales, vel selibrae pondere, aut quatuor unciarum, prout uniuscujusque coetus, aut personae dignitas postularet.

Congregatis itaque Regularium, Monachorumque Familiis, Ecclesiarum Rectoribus et Clericis, Collegiatarum et Basilicarum Canonicis, confertoque jam ferme majoribus Ecclesiasticae dignitatis Ordinibus Sixti IV. licet peramplo Sacello; viis quoque, qua suppliciter procedendum erat, per Milites circumseptis; interiori praeterea Basilicae parte quaternis armatorum hominum Ordinibus munita; submotaque e medio spectatorum turba undique jam irruente, coepta est dirigi a Caeremoniarum Magistris Supplicatio.

Prima procedentium acies complectebatur Pueros Hospitii Apostolici sancti Michaelis, ac Orphanos; Patres Tertii Ordinis sancti Francisci Recollectorum Gallos ex Conventu S. Mariae Miraculorum; Eremitanos excalceatos Ordinis S. Augustini; Capuccinos; Mercenarios Ordinis beatae Mariae Redemptionis Captivorum e Domo apud sanctum Adrianum; Patres S. Honuphrii Ordinis Eremitarum S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis; Minimos sancti Francisci de Paula; Patres Tertii Ordinis sancti Francisci; Minores Conventuales, De Observantia, et eos, quos Reformatos appellant; Patres sanctae Mariae de Populo Ordinis sancti Augustini Congregationis Observantiae Longobardiae; Eremitanos ejusdem Ordinis, ex Coenobio sancti Augustini; Carmelitas Congregationis Mantuanae apud Ecclesiam sancti Chrysogoni in Regione Transtyberina; Alios praedicti Ordinis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo ex Monasteriis sancti Martini in Montibus, sanctae Mariae Transpontinae in Regione Burgi, et sancti Juliani in Exquiliis; Eremitas Montis Senarii Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis e Coenobiis sancti Marcelli, Sanctae Mariae in Via, et sancti Nicolai vulgo de Arcionibus, olim in Archemoniis, ita nuncupati ab hujus cognominis familia, cujus Ecclesia san. me. Benedicti Papae XIII. beneficentia est Patribus istis restituta post annum secularem millesimum septingentesimum vigesimum quintum: Patres Ordinis Praedicatorum sanctae Mariae supra Minervam et aliorum Coenobiorum. Hujus primae aciei corpora, quemadmodum et cetera alia, quae in altera acie subsequebantur, unum ab altero Crux praelata tanquam regale Christi Domini vexillum et triumphale signum, discriminabat.

Secundam aciem Monasticae vitae Professores constituebant, videlicet, sancti Hieronymi Longobardiae ad divi Alexii aedem in Colle Aventino; Canonici Regulares Sanctissimi Salvatoris Ordinis sancti Augustini ad divi Petri ad Vincula in Colle Exquilino; Monachi Congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti apud sanctam Mariam Novam, quam olim *minorem* nuncupabant, in Foro Boario; Monachi Congregationis Caelestinorum e sancti Eusebii Monasterio ad Cimbrum, seu ad Marii Trophaea in Monte Exquilino; Monachi Ordinis Cisterciensis in unum corpus collecti, et unica sub Cruce incedentes, tam Congregationis Reformatae sancti Bernardi ad Thermas, et sanctae Pudentianae ad radices Montis Viminalis, quam Congregationis Etruriae e Monasterio SS. Vincentii, et Anastasii ad aquas salvias, et Congregationis Longobardiae ad sanctae Crucis in Jerusalem; Monachi Congregationis Vallis Umbrosae Ordinis sancti Benedicti apud sanctam Praxedem in capite Suburrae; Camaldulenses Ordinis ejusdem S. Benedicti apud sancti Gregorii maternam olim domum, mox ab ipso in Monasterium conversam, ad *Clivum Scauri*; Cassinenses Ordinis item sancti Benedicti e Basilica sancti Pauli extra Urbis moenia in via Ostiensi; Canonici tandem Regulares sanctae Mariae de Pace Ordinis sancti Augustini Congregationis Lateranensis.

Praeibat tertiam aciem Crux Cleri Secularis delata sicut aliae Ordinum inter duos Acolythos cerostata portantes: Subsequebantur Alumni Seminarii Romani; Rectores Ecclesiarum Parochialium Urbis, ac Vicarii perpetui, quibus, ut a ceteris de Clero discernerentur, Sanctissimus Dominus Noster nuper indulserat, ut circumpositam colla Sacerdotalem stolam in publicis Processionibus in posterum deferrent. Parochis succedebant Canonici Collegiatarum, idest sancti Hieronymi Illyricorum, sanctae Anastasiae, sancto-

IMAGINES, ET DELINEAMENTA

EXTERIORIS INTERIORISQUE ORNATUS

VATICANÆ BASILICÆ

IN

SOLEMNI CANONIZATIONE

SANCTORUM

FIDELIS A SIGMARINGA, CAMILLI DE LELLIS, PETRI REGALATI, JOSEPHI A LEONISSA,
ET CATARINÆ DE RICCIIS.

pag. 305. 306.





Facies Templi Vaticani exterius per noctem illuminata

rum Celsi et Juliani, sancti Angeli in Foro piscium, sancti Eustachii, sanctae Mariae in Vialata, sancti Nicolai in Carcere Tulliano, sancti Marci; et sanctae Mariae ad Martyres. Horum postremus erat Cleri Camerarius superpelliceo ac Sacerdotali stola redimitus. Canonici demum insignis Collegiatae sanctae Mariae in Cosmedin, vulgo *Bocca della verità*; quae ad hunc dignitatis gradum evecta est a san. mem. Benedicto XIII., qui Canonicis ejusdem Cappa magna, atque Rocchetto insignitis facultatem praeterea fecit praeferendi Papilionis, et aereae manualis ante ipsum campanulae comportandae ad instar aliarum Collegiatarum Insignium, et Basilicarum Urbis, Papilionibus et Campanulis utentium in signum Matricitatis: (a) Substitutae eae quippe sunt tubis illis argenteis veteris Testamenti, quae adhibebantur ad congregandum Populum, dandumque profectionis signum, quoties castra movenda essent. Nec absimili quidem forma nostrae Campanulae conflatae sunt, si attendatur illarum tubarum descriptio apud Josephum libro 3. Antiquitatum cap. 11.: Pulsantur autem in Processionibus, ut sono vocis suae ad Fidem et Ecclesiae Congregationem quoslibet obvios vocent, et ad supplicandum simul cum aliis invitent: Antiquitatem ritus seculum octavum demonstrat. In secundo Concilio Nicaeno, quod anno septingentesimo octogesimo septimo celebratum est, ubi agitur de celebri illa translatione reliquiarum sancti Anastasii Martyris, memoratur signa fuisse pulsata non aerea, sed lignea, quae idcirco appellantur ibi: *Ligna sacra*: Cujusmodi sunt ea, quibus etiamnum utimur in diebus Tenebrarum; et perseverare usus eorum dicitur in Ecclesia Graeca, Teste Amalario, qui libro 4. de Ecclesiast. off. cap. 21. ait: *Adhuc junior Roma, qua antiquis temporibus sub uno domino cum antiqua Roma regebatur, usum lignorum tenet, non propter aeris penuriam, sed propter vetustatem.* At reditus fiat ad Supplicationis Ordinem. Post insignem sanctae Mariae in Cosmedin Collegiatam, aliae antiquiores duae subsequebantur, sanctae Mariae Transtyberim, et sancti Laurentii in Damaso, una incedentes juxta pactam inter se quotannis alternationem. Tum Cleri, et Collegia trium Patriarchalium Basilicarum, unumquodque sub Cruce sua cum Papilione et Tintinnabulo, nempe sanctae Mariae Majoris, sancti Petri in Vaticano, et sancti Joannis in Laterano. Tribunal Ecclesiasticum et Civile Eminentissimi Romae Urbis Vicarii, sive Jusdicentes pro eo, qui Praeside R. P. D. Ferdinando Maria de Rubeis Archiepiscopo Tarsi Urbis Vicesgerente, Supplicatione transeunte consederant in comparatis sedibus extra gradus Portae ferreae sub Peristylio ad sinistram exeuntium, instructo agmine Lateranense Capitulum consectati statim sunt, ut si quae forte in via exorirentur contentiones et jurgia, sua auctoritate compescerent. Bini deinde procedebant Congregationis Sacrorum Rituum in Causis Sanctorum Consultores, Regulares quidem juxta admissionis duntaxat prioritatem; reliqui vero juxta dignitatis gradum, quem obtinebant; ita ut ultimo incederent, qui Episcopali charactere fulgebant: ceteris Praesulibus cederent in utraque Signatura simplices Referendarii. Post Consultores comportabantur magna quinque Beatorum inter Sanctos recensendorum Vexilla hastis auro undecumque illitis innixa, et laciniata corona ex textili serico phrygioque opere ornata: Unumquodque affabre pictam unius Beati ad aeternam in Caelis gloriam evecti praeferebat imaginem; in altera vero parte mirum aliquod ab eo cum viveret, factum repraesentabat. Ex primariis singulorum Instituti Patribus octo quidem superpelliceis induti intortitia accensa usque ad pectus elata deferentes proprium Vexillum praeibant: Quatuor vero alii oblongos sericos funes ex superiori Vexilli transversa hasta pendentes quotidiano suae Religionis habitu non immutato sustinebant.

Primum omnium portabatur Vexillum beatae Catharinae de Ricciis Ordinis sancti Dominici a Confratribus Archiconfraternitatis sub titulo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, quae cum inter alia pietatis opera id sibi praecipuum sumpserit, ut divinam clementiam exoret pro Constitutis in ultimo mortis agone: *Degli Agonizanti*: passim appellatur:

(a) *Numeror. cap.* 10.

Duodecim vero Patres incl yti Ordinis Praedicatorum in deferendis intortitiis et funibus occupabantur.

Subsequebatur Vexillum beati Josephi a Leonissa, cujus hastas regebant Confratres Societatis Stigmatum sancti Francisci: Nec deerant qui sustinerent supradicto ordine et forma intortitia et funes duo supra decem Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum Patres.


Confratres Archiconfraternitatis Confalonis ferebant tertium Vexillum beati Petri Regalati, cui aderant famulantes totidem, quot supra dictum est, Patres Ordinis Minoris sancti Francisci de Observantia, et Reformatorum.

Quartum erat Vexillum beati Camilli de Lellis, qui post fundatam a se Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Congregationem, ut nunquam destitit, dum vixit, Ægrotantibus inservire, praesertim in Nosocomio sancti Spiritus; ita hujus Societatis Confratres summo sibi honori futurum ducebant, si illud deferrent. Voti compotes effecti illud portarunt. Patres illius Instituti funes et Intortitia tulerunt.


Ultimum digrioremque locum tenebat Vexillum beati Martyris Fidelis a Sigmaringa, cujus hastas alii Confratres praefatae Societatis Sacrorum Stigmatum; funes vero et collucentia ante illud funalia, dignitatis gradu spectabiles alii Patres laudati Ordinis Capuccinorum gestabant.

Dum incoeptum in Basilicam iter a Supplicantibus ita perficitur, Sanctissimus Dominus Noster tempus jam esse, quo et ipse procederet, commonitus, e superiori Palatii mansione venit per secretioris scalae gradus in Aulam Apostolico Sacrario proximam; ubi congregati Sanctitatis Suae adventum praestolabantur R. P. D. Raynerius Simonetti Archiepiscopus Nicosiae almae Urbis Gubernator Vice-Camerarius vestitus cappa, Conservatores Romani Populi Comes Joseph Zinanni, Comes Philippus Rocchi, Joannes Baptista Sampieri, et Marchio Marcus Correa Caput Regionum aureis togis induti, ac Orator Bononiae Comes Fulvius Bentivolus Senatoria toga patrio more formata, sed textili auro consuta ex nuperrima Summi Pontificis concessione amictus; et quia nullus ex Principibus Solii aderat, senior Conservatorum pro sublevando inter incedendum aptato utrinsque Pontificiae vestis oblongo syrmate substituitur. Intererant una cum Ministris Acolythis Signaturae Justitiae Votantibus et Abbreviatoribus Diaconi Cardinales duo antiquiores, de Marinis scilicet, et Alexander Albanus sacris jam Levitici Ordinis indumentis ornati. Horum ministerio usus Pontifex, postquam in intimo cubiculo ejusdem Sacrarii paululum substitisset ut *Faldam* acciperet, apud Mensam in antedicta Aula praeparatam, et instar lecti Paramentorum extructam induitur Amictu, Alba, Cingulo, et Stola rubra, quae omnia Postulatorum sumptibus confecta ad hanc solemnitatem fuerant, aeque ac indumenta alia sacra Pontificis tum aliorum, qui in ministerio Altaris Sanctitati Suae erant famulaturi: Cardinali Burghesio antiquioris Presbyteri vices supplente, et acerram porrigente thus de more injecit in thuribulum, sumptoque deinde magno ac peramplo Pluviali (quod *Mantum* appellant), et super ejus fibulam Formalio (Pectorale etiam dicitur quod antiquum summi Sacerdotis Rationale repraesentat) gemmis et auri caelatura pretiosissimo; tandem sacra redimitus Tiara est, quae, cum triplici corona componatur, Regnum communius vocitatur: (a) *In signum enim imperii Summus Pontifex utitur Regno; et in signum Pontificalis dignitatis utitur Mitra;* et praecedente Cruce elata inter candelabra septem ab Auditore Rotae Subdiacono Apostolico Tunicella induto pedes exivit in proximum Sixti IV. Sacellum. Flos illuc et splendor Ecclesiastici Ordinis omnis convenerat, qui tot distinctus dignitatum et munerum gradibus Sponsam Christi, sanctam videlicet Ecclesiam varietatem circumdatam objiciebat intuentium oculis: Aderant enim Cardinales, quos juxta cujusque sacri Ordinis gradum speciosa vestis discriminabat: Aderant Patriarchae, Archiepiscopi, Abbates non minus dignitate, quam doctrina conspicui, qui rubrum omnes sine discrimine gerebant

(a) *Innoc. III. serm. de S. Silvestro.*



1. *Scutiferi Papae*
2. *Procuratores Generales*
3. *Cubicularii Extra*
4. *Cappellani Secreti cum Mitris*
5. *Advocati Consistoriales*
6. *Cubicularii Honoris et intimi*
7. *Cantores*
8. *Abbreviat; Votan; Clerici cum Audit. Rotae*
9. *Acolythi cum septem Candelabris*
10
11
12



Theatri Prospectus.


Pluviale: Aderant Praelati Romanae Curiae et genere et muneribus illustres, inter eos vero aliqui Cappam, aliqui Superpelliceum supra Rocchettum induerant: Ceteri autem de more Pontificiae Cappellae consueto amiciebantur habitu. In eorum conspectum cum se dedisset Pontifex, assurrexerunt omnes: Papa autem producto super eos Crucis signo venit ad Faldistorium paratum ante Altare, ubi deposito Regno procubuit, et aliquantisper oravit; mox surgens, ex libro quem coadjuvantibus duobus ex Assistentibus Praesulibus sustinebat Eminentissimus Carafa, praecinuit Hymnum: *Ave Maris Stella;* ad cujus tres subsequentes versiculos, quos Cantores Cappellae prosequuti sunt, iterum genuflexus permansit. Demum surgens accepit Mitram, et in sella gestatoria se composuit, in qua sedens duos magnos cereos, aliumque minorem arabice pictos recepit ab Eminentissimo D. Cardinali Portocarrero, quem supra innuimus ad postulandam Canonizationem Procuratorem electum, Cerei grandes, nullo adstante ex Principibus Solii, quorum alicui Summus Pontifex honorem, ut illos ante se accensos deferat, solet concedere, nemini traditi sunt; parvus autem velo ad excipiendas liquantis cerae guttas, ne supra manum fluerent, apte composito circumligatoque, ardens a Sanctitate Sua delatus est in hac Supplicatione, quae multo breviori itinere, quam altera illa prima, completa est: itum quippe fuit a Regia Aula per gradus magnae scalae usque ad marmoreum Constantini Simulacrum: hinc flectendo illico in dexteram sub amplum Vaticanum Xystum; ex eo intra Templum ingressus est factus. Utriusque hujus Supplicationi delineamentum inter cetera in calce hujus Operis sub *numero tertio* positum conspicere licebit. Procedebant autem bini, ac bini accensos cereos portantes, primo Scutiferi Papae lanea toga rubri coloris cum Capitio item laneo, non circa collum aptato, sed inverso super scapulas, atque uncinulo ante pectus colligato Caudatariorum more induti, juxta novissimam Sanctissimi Domini Nostri Papae concessionem: Procuratores Generales Ordinum locum habentium in Cappella singuli habitu Regularis Instituti sui: Cubicularii extra Cameram, qui laxam et ipsi togam Scutiferorum togae non absimilem gerebant; Capitium vero non inflexum, sed circa collum aptatum et aeque per humeros fluens in parte superiori tenuissimo serico rubro coopertum ad normam enunciati Induiti Pontificii.

Eodem prorsus modo amicti erant Cappellani communes et intimi, quorum sex primi Pontificias Mitras atque Tiaras gemmis margaritisque pretiosissimis ornatas gestabant, et qui succedebant post Procuratorem Fiscalem Camerae: Commissarius enim tanquam Referendarius locum inter ipsos acceperat: Sequebantur Advocati Consistoriales lanea veste violacei coloris, quam in aliis publicis actionibus adhibere solent, cum suo capitio: Succedebant Cubicularii honoris et intimi Papae consueta toga, et rubro sine pellibus capitio ornati: Post hos Chorus seu Schola Cappellanorum Cantorum Pontificiorum cum superpelliceis psallens Virgini, quae Regina Sanctorum est, reliquum Hymni: *Ave Maris Stella*, quem Papa praecinuerat. Proximi erant his Rocchetto, et superpelliceo induti RR. PP. DD. in utraque Signatura Referendarii; Canonici ii trium Patriarchalium, qui, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri Assistentis munia obeuntes in Cappellis Pontificiis, ad praescriptum literarum Apostolicarum Alexandri Papae VII. sub annulo Piscatoris die X. Junii MDCLVII expeditarum inter praefatae Signaturae Referendarios connumerantur, nisi alterius muneris causa, vel specialis praerogativae altiorem digrioremque locum occupent, ut modo contigit R. P. D. Theodoro Boccapadulio Canonico Liberiano, Subdiaconatus officio fungenti, quem dignis favoribus prosequutus Sanctissimus Pater quotidiano Rocchetti usu et loco in Protonotariorum scamno decoravit, sine praejudicio jam eisdem Adjunctorum: Tum subibant Abbreviatores de Parco majori; in Signatura Justitiae Votantes ab eodem Alexandro Acolythi constituti; Clerici Camerae, et Sacrae Romanae Rotae Auditores, quorum junior ad laevam habebat tanquam comitem R. P. Magistrum Aloysium Nicolaum Ridolphi Ordinis Praedicatorum proprii Instituti vestibus amictum Sacri Palatii Magistrum. Sequebantur Auditores, duo

postea ex intimis Cappellanis Sanctitatis Suae cum Regno et Mitra levioribus ad frequentiorem usum Pontificis; Acolythus Apostolicus motans Thymiamaterium ante Crucem, quam R. P. D. Alphonsus Clemens de Aroztequi in Romana Rota pro Castellae Regno Auditor, sacris subdiaconalibus vestibus indutus, ac a duobus Magistris Ostiariis stipatus, continuo efferebat in medio septem Candelabrorum aureorum a totidem aliis Acolythis delatorum. Post Crucem gradiebantur R. P. D. Claudius Franciscus de Canilliac alter sacrae Rotae Auditor Gallus, qui Subdiaconi munus obire debebat in Missa, et ob id Ministerii sui vestibus pretiosis pro hac solemnissima actione, ut dictum est, comparatis insignitus erat; exceptus inter Diaconum et Subdiaconum Alumnos Collegii Graeci, suffectos Monachis ex Monasterio Cryptae ferratae alias evocari solitis ad decantandam Epistolam et Evangelium Lingua Graeca; deinde Patres Societatis Jesu in Vaticana Basilica Poenitentiarii Sacerdotali amictu decori, et a duobus praeeuntibus sibi puerulis ferulas, seu oblongas virgas inter florum manipulos gestantibus praesignati: Abbates Generales Canonicorum Regularium Lateranensium, et sancti Basilii locum obtinentes in Cappella Pontificia: Ecclesiarum Antistites non Assistentes Pontificio Solio, eidemque Assistentes juxta propriae dignitatis et ordinationis gradum, sive Episcopatus, sive Metropolis vel Patriarchatus inter se invicem deferentes sibi locum et honorem; omnes rubro Pluviali amicti et Mitra textili lino confecta, vel peculiari suae Nationis et ritus sacro tegumento. Incedebat post hos Sacer Apostolicus Senatus, Diaconi nempe Cardinales cum Dalmaticis, Presbyteri cum Casulis, Episcopi cum superpelliceo praeter Rocchettum, Pluviali et Formalio ex unionibus tres veluti pineas efformantibus, singulis tamen uniformes Mitras ex textili damasceno coloris albi insigniti, addito etiam supra Rocchettum compositoque circa collum amictu, cujus usum olim Cardinalibus tantum reservatum, Benedictus Papa XIII. ad Episcopos etiam extendit, dum sacris vestibus ornati interessent in Pontificio Sacello, vel alibi, nactus occasionem Concilii Romani, quod ipso Praeside celebratum est in Lateranensi Basilica anno seculari millesimo septingentesimo decimo quinto. Progrediebantur demum Orator Bononiae, Conservatores Populi Romani, et Almae Urbis Gubernator Vice-Camerarius, ac prope Pontificem alta sede subvectum tres alii Diaconi Cardinales, duo scilicet antiquiores tanquam Assistentes, tertius vero Carolus Maria Sacripantes sanctae Mariae in Porticu inter eos medius, Alba, Orario, et Dalmatica Postulatorum aere comparatis indutus, ut Evangelii ac Rei Divinae Minister; nec aberant pro fimbriis anterioribus vestis Pontificiae elevandis, cum e Sellari descenderet Papa, duo Auditores Rotae.

Speciosissimam hanc et summae religionis pompam postremo concludebat Beatissimus Ecclesiae totius Moderator, ac Pastor Populorum omnium, quem non jam honor commendabat vestium, sed splendor virtutum eximiaeque doctrinae.

Hunc sublimi in sella, ut dictum est, compositum, accensumque cereum sinistra sustinentem, dextera acclamantes versus ad benedicendum expedita circumpedes rubro sago induti super humeros portabant; ejus latera custodientes hinc inde erant Procœtones, et Dynastae, selectaque Helvetiorum manus armata praeter binos intimos Cubicularios, qui ad majestatem potius quam ad tutelam duo Pavonica Flabella ab una et altera sedis parte erecta sustulere, statim ac Papa extra ferreos Sacelli Syxtini cancellos delatus sub pensili umbella exceptus fuit; hujus autem umbellae hastas argento illitas octo Referendarii per vices mutandi deportarunt. Post Pontificem ibat medius inter duos Assistentes intimos ejus Cubicularios R. P. D. Marinus Millini Sacrae Rotae Auditorii Decanus pari Collegarum suorum habitu indutus, cum linea vitta e collo pendente ad suscipiendam Mitram, cum eam Pontifex deponeret, opportune destinatus: Claudebant extremam Supplicationis partem Protonotarii, aliique nonnulli Praelati, qui ex privilegio eorum scamno fuerant adjuncti; utrosque tamen Cappa magna, ut erant vestiti, antecedebant RR. PP. DD. Flavius Chisius, et Joannes Baptista Mesmer, primus Auditor, alter Thesaurarius Camerae Gene-



ralis. Protonotarios subsequebantur Mendicantium Ordinum Magistri Generales, quilibet habitu Instituti sui; et postremo a tergo conferta Militum Helvetiorum manus, quae turbam cohiberet.

Ubi Pontifex venit in Porticum ante Basilicam, Capitulo Vaticano eidem occurrente, Musicisque concentu gravi concinentibus laudem Romano Pontifice dignam antiphona illa: *Tu es Petrus*: statim introivit in Templum, quod etsi mole ipsa et opere magnificentissimum sit, nec ulli quotquot in terris sunt, comparandum; tamen omni ornamentorum genere, quae excogitari possunt ingenio, tantum ei dignitatis ac majestatis eo tempore accesserat, ut Sanctissimus Pater testatus sit, cum inter stragulas vestes, quibus parietes contegebantur, omnia auro collucerent et facibus, ita se animo commotum fuisse, ut in tam speciosa Militantis Ecclesiae forma (a) Civitas sancta Hierusalem descendens de Caelo et habens claritatem Dei, qui illuminavit eam, sibi videretur ostendi, Immaculato quoque Agno, qui lucerna (b) est Civitatis illius non indigentis sole neque luna, ut cum Senioribus phialas aureas plenas odoramentorum, orationes scilicet offerret, ad Sacellum Sanctissimae Trinitatis, ubi ille in medio Throni super Altare stans tamquam occisus, quia specie panis et vini velatus, palam erat expositus, descendens de sella Pontifex contendit, ac in genua provolutus coram oravit; receptis mox, quas ante precandum reliquerat, Mitra et candela iterum elatus subvectus est supplici eodem ritu in caveam Theatri. Novas Deo preces ante Aram principem, sub qua corpora Apostolorum Urbis Patronorum condita sunt, porrecturus, deposito iterum cereo, qui servandus deinceps erat a suo Pincerna D. Paulo Zani accensus usque ad finem Actus solemnis Canonizationis, descendit e sede, et infula circumdatus procubuit super faldistorium, a quo cum post orationem surrexisset, producto super adstantes Cardinales, ceterosque alios hinc et inde dispositos Crucis signo, eminens Solium petivit, seditque in dignissima illa Petri Cathedra, unde tantam accipit auctoritatem, ut unus ligandi atque solvendi, acceptis Regni caelestis clavibus habeat: Debitam proinde reverentiae significationem eidem exhibituri omnium primi Eminentissimi Patres, per anticos Solii gradus ascendentes, salutata prius, dum per medium superioris areae transirent, profunda capitis ac humerorum inclinatione Crucifixi imagine super altare posita, manum dexteram sedentis Pontificis sub auriphrygio Pluvialis detentam osculati sunt. Cardinalibus successere Episcopi Assistentes et non Assistentes, Abbates et Poenitentiarii sacris vestibus ornati; qui hac usi sunt methodo, ut singuli quidem de genu Crucem et Papam pari ritu adorarent; in planitie vero solii flexo poplite dextero, qui delibuti Chrismate erant, dexterum suae Sanctitatis genu; ceteri pedem deoscularentur.

Officio hoc ita praestito ad pristina loca omnes ordine regrediebantur. Qui scire velit, quem quisque locum occuparet, adeat delineatam Theatri Tabulam, vel Ornatus descriptionem inferius apponendam. Considentibus omnibus deductus primo est a D. Venantio Philippo Piersanti Caeremoniarum Magistro de numero Participantium, ut assideret super nudum faldistorium in summa planitie Solii dextrorsum positum, Eminentissimus Cardinalis Carafa Episcopus Assistens, loco Eminentissimi Thomae Rufo Decani, qui etsi praesens, praepeditus tamen senio ab hoc se munere optavit eximere. Tum D. Nuntius Sperandio alter Caeremoniarius, ad ejusdem solii anteriores gradus adduxit Cardinalem Portocarrero Procuratorem ad postulandam Canonizationem, ut supra diximus, electum, cui ad laevam comes incedebat Virgilius Montecatinus Consistorialis Aulae Advocatus caputio et veste, ut moris est, indutus ad instandum specialiter a SS. D. N. selectus: Ambo, monente Caeremoniario et aliquantulum praeeunte; Altare et Papam honore merito coluerunt, Cardinalis quidem profunde caput inclinans; Advocatus vero genu usque ad terram demittens. Ante imum Solii gradum cum pervenissent, stantis Eminentiae suae nomine, sic Sanctitatem Suam

(a) *Apoc.* 21. (b) *Apoc. ibid.*

D. Advocatus genuflexus rogavit, instanter petens, ut beatos Fidelem, Camillum, Petrum, et Josephum, et Catharinam inter Sanctos referret.

BEATISSIME PATER.

Reverendissimus D. Cardinalis Joachim Portocarrero hic praesens instanter petit per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi adscribi, et tanquam Sanctos ab omnibus Christifidelibus pronunciari venerandos, beatum Fidelem a Sigmaringa Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, beatum Camillum de Lellis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatorem, beatum Petrum Regalatum ejusdem Ordinis Minoris de Observantia, beatum Josephum a Leonissa recensiti Ordinis Minorum Capuccinorum, et beatam Catharinam de Ricciis Ordinis S. Dominici.

Dum haec circa Solium peraguntur, ii tantum qui in illo locum obtinent, stant; ceteri in suis locis sedent, candelis nequaquam extinctis. Non sine Beatorum laudibus huic postulato respondit D. Cajetanus Amato ab Epistolis ad Principes, rubro amictu circumdatus de more intimorum Cubiculariorum, et stans in planitie Solii ad sinistram Papae, quem flexo genu coluit in principio, et quoties inter dicendum nominavit.

AD PRIMAM INSTANTIAM.

Maximam omnium in hac Alma Urbe sacratissimi hujus diei celebritatem sanctis Apostolorum Principibus Petro et Paulo, quorum sacra pignora coram veneramur, consecratam mirifice ornant et augent oblatae preces, quibus tot Christifidelium omnium Ordinum nomine instanter petitur, ut publicus solemnisque cultus a supremo Sanctissimi Patris ac Domini Nostri judicio decernatur beatis Fideli a Sigmaringa laudatissimi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, Camillo de Lellis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatori, Petro Regalato ejusdem Ordinis Minorum de Observantia, Josepho a Leonissa dicti itidem Ordinis Capuccinorum, ac beatae Catharinae de Ricciis Virgini Moniali ex inclyta S. Dominici Religione. In coelesti autem hac sempiterni triumphi causa nihil sane praetermisit Sanctissimus Pater, quod juxta sapientissima Antecessorum suorum Romanorum Pontificum instituta aut disquirere potuerit debita in rebus accurate agendis prudentia; aut impetrare possit christiana pietas cum assiduis obsecrationum suffragiis, jejuniis et eleemosynis conjuncta. Itaque persuasum habet fore nimirum, ut singulares eorumdem Beatorum virtutes, res praeclare gestae, illustria exempla atque insignia merita, tot etiam ab omnipotenti Deo ad ipsorum invocationem patratis miraculis comprobata in sacri cultus incrementum divinique nominis gloriam cedant; in catholicae Religionis christianaeque disciplinae utilitatem et ornamentum redundent; ad imitandas virtutes, aemulandaque charismata ejusmodi studium et incitamentum afferant, et opportunum denique ac salutare nobis in tribulationibus et calamitatibus undique irruentibus levamen ac praesidium de Caelis promereantur. Eapropter hodiernum diem, qui omnibus laetitiis verisque gaudiis celebrari quotannis consuevit, splendidiorem solito veluti illuxisse putat, quo pia et ardentia christianorum Populorum, inclytarum Nationum ac potissimum Italiae, et Religiosorum Ordinum vota tandem rata faciat et cumulatissime laetificet. Verum cum hujusmodi gravissimum, quod Deo auctore suscepit, negotium commune sit caelestium atque mortalium Civium; ut eodem superno Numine adspirante, rite sancteque perficiat, sapientissime censet, inde invocandum esse lumen, unde Beatis istis tanta data est sapientia ac virtus, ut vincerent, et immortalem sibi in Caelis gloriam compararent. Jubet proinde omnes, quotquot hic frequentes adsunt, Christifideles ac praesertim Venerabiles Fratres suos S. R. E. Cardinales, ceterosque insignes Ordines ad hanc principem Aram in genua provolutos misericordiarum Patrem et Deum totius consolationis una secum obsecrare, ut beatissima in primis Dei Genitrice semper Virgine Maria deprecante, atque iisdem Apostolorum Principibus sanctisque omnibus suffragantibus ac bene faventibus, per Apostolicam sententiam

arcanum voluntatis suae mysterium pandere non dedignetur.

Audita responsione, Cardinalis Portocarrero cum salutasset Pontificem, rediit iisdem comitantibus ad locum, unde discesserat, inter alios Cardinales sui Ordinis; Papa vero relicta eminenti sede, non autem Mitra quam semper retinuit, venit ad faldistorium in ipsam Solii aream a Clericis Cappellae tunc delatum, et super illud procubuit, ceteris quoque in suis locis genuflectentibus. Tum duo Cantores habentes ante se Litaniarum librum positum super ligneum scabellum in Theatri cavea ad cornu Epistolae Altaris, ita genuflexi ut cornu Evangelii prospicerent, Litanias Sanctorum cecinere usque ad ultimum versiculum *Agnus Dei* inclusive: Choro alternis respondente. Omnibus post Litanias surgentibus D. Cardinalis Portocarrero eodem ac prius ritu et comitatu ante infimum Solii gradum iterum deductus, pro Canonizatione instantius oravit: Advocato ejus nomine Sanctitatem Suam in Sublimi Cathedra jam sedentem ita compellante.

BEATISSIME PATER.

Reverendissimus D. Cardinalis Joachim Portocarrero hic praesens instanter et instantius petit per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi adscribi, et tanquam Sanctos ab omnibus Christifidelibus pronunciari venerandos, beatum Fidelem a Sigmdringa Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, beatum Camillum de Lellis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatorem, beatum Petrum Regalatum ejusdem Ordinis Minorum de Observantia, beatum Josephum a Leonissa recensiti Ordinis Minorum Capuccinorum, et beatam Catharinam de Ricciis Ordinis S. Dominici.

Huic item instantiae laudatus idem Brevium ad Principes a Secretis responsum dedit his verbis.

AD SECUNDAM INSTANTIAM.

Quo instantius petitur, eo ferventius obsecrationibus insistendum, atque opem etiam et gratiam Spiritus sancti implorandam esse censet ac praecipit Sanctissimus Pater, ut ille Paraclitus catholicae Ecclesiae Sanctificator et Custos Spiritus, veniens coelitus, emittat lucis suae radium, utque in tanto judicio doceat omnem veritatem.

Regreditur ergo Cardinalis, comite Advocato Caeremoniarumque Magistro ductore, ad suum pristinum locum. Papa vero surgens descendit ad faldistorium a Solii area non remotum; Diacono Cardinali de Marinis, qui ad Sanctitatis Suae dexteram assistebat, omnes monente alta voce, ut orarent, hoc tantum verbo prolato: *Orate;* Sanctissimus Pater, ceterique omnes depositis Mitris, submissisque genibus perseveraverunt orantes silentio, donec alter Diaconus Cardinalis Alexander Albanus Assistens a sinistris, cunctorum primus stans clara pariter et alta voce dixit: *Levate:* quo audito surrexerunt omnes; et Sanctitas Sua ibidem subsistens, ministrantibus candelam et librum Episcopis Assistentibus, manumque ad eum sustinendum admovente Cardinali Carafa, praecinuit Hymnum: *Veni Creator Spiritus;* quem statim prosequuti sunt Cappellae Cantores. Sanctissimus autem postquam in genua provolutus una cum aliis expectasset, dum absolveretur cantus trium subsequentium versuum, Mitra redimitus adscendit ad sedem, ubi eam iterum deponens stetit: Completo Hymno duo Cantores cecinere v. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur*, respondentibus aliis: *Et renovabis faciem terrae.* Interim viam monstrante Caeremoniario, Cerostata ex abaco accepta cum candelis accensis portarunt Acolythi duo Signaturae Votantes ante Solii gradus, ibi consistentes usque ad finem Orationis, quam illico Papa cecinit ex libro sibi ut supra dictum est, allato.

OREMUS.

Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum ℟. *Amen.*

Post collectam sedit Pontifex, et Mitra ornatus D. Advocatum tertio postulantem Eminentissimi Procuratoris nomine, ut quinque Beati inter Sanctos recenserentur, audivit. Accesserant quippe ambo, ut prius a Magistro Caeremoniarum deducti: Alloquentis vero haec fuere verba.

BEATISSIME PATER,

Reverendiss. D. Cardinalis Joachim Portocarrero hic praesens instanter, instantius, et instantissime petit per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi adscribi, et tanquam Sanctos ab omnibus Christifidelibus pronunciari venerandos, beatum Fidelem a Sigmaringa Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, B. Camillum de Lellis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatorem, B. Petrum Regalatum ejusdem Ordinis Minorum de Observantia, B. Josephum a Leonissa recensiti Ordinis minorum Capuccinorum, et beatam Catharinam de Ricciis Ordinis S. Dominici.

Tertiae huic instantissimae postulationi hoc modo respondit idem D. Cajetanus Amatus ab Epistolis.

AD TERTIAM INSTANTIAM.

Omnipotenti Deo triumphalis hujusce actionis auctori, auspici ac ductori tandem obsequendum esse intelligens Sanctissimus Pater, nihil obstare putat, quod christianae plebis laetitiam jamdiu conceptam expectatamque diutius differre, et debitum hisce Beatis Sancti nomen cum publica sollemnique veneratione recolendum amplius morari possit. Itaque Apostolico Decreto, quod suo ipse ore mox prolaturus est, referet inter Sanctos quidem Martyres Fidelem a Sigmaringa, inter Sanctos vero Confessores non Pontifices Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, et Josephum a Leonissa, ac demum inter Sanctas Virgines non Martyres Catharinam de Ricciis; ut omnes Christifideles et luculentissima virtutum in terris, quae imitentur, exempla, et potentissimos novosque in Caelis habeant patronos; quorum patrocinio tuti Deum mirabilem in Sanctis suis magnificantes, non solum mundanas vices et adversas tempestates fortiter sustinere ac superare valeant; verum aeterna etiam cum ipsis jam Sanctorum Civibus et Domesticis Dei in caelesti Hierusalem societate conjuncti, Angelorum choris interesse, cum beatissimis Spiritibus gloriae Conditoris adsistere, praesentemque Dei vultum cernere mereantur.

Recedente post haec memorato Secretario inter alios intimos Cubicularios, surgentibusque cum Sacro Apostolico Senatu, quotquot ex multis, et variae dignitatis membris unum Christi Corpus visibili ejus capiti unitum eo tempore repraesentabant; unicus veritatis Interpres, et Religionis Antistes in Petri Cathedra sedens Mitra redimitus ex oblato per Assistentes Episcopos libro, legens hanc de Sanctitate Servorum Dei Fidelis a Sigmaringa Martyris, Camilli, Petri, ac Josephi Confessorum, et Catharinae de Ricciis Virginis sententiam protulit.

Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae, et Christianae Religionis augmentum, authoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra; matura deliberatione praehabita, et Divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Urbe existentium consilio, beatos Fidelem a Sigmaringa Martyrem, Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, Josephum a Leonissa, Confessores, ac Catharinam de Ricciis Virginem, Sanctos, ac Sanctam esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus: Statuentes ab Ecclesia universali illorum memoriam quolibet anno, die

eorum natali, nempe Fidelis die vigesima quarta Aprilis inter Sanctos Martyres, Camilli decima quinta Julii, Petri decimatertia Maii, Josephi quarta Februarii, inter Sanctos Confessores non Pontifices, et Catharinae decimatertia ejusdem mensis Februarii inter Sanctas Virgines non Martyres, pia devotione recoli debere: In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti. Amen.

Tunc D. Advocatus Montecatinus, Sententiam ita prolatam, a Cardinale Portocarrero libentissime excipi acceptarique, et ab eodem maximas ob id Pontifici gratias agi, eique supplicare, ut Apostolicae literae de more super ea darentur, Eminentissimi Principis nomine Sanctissimo Domino Nostro exposuit videlicet.

BEATISSIME PATER.

Idem Reverendissimus D. Cardinalis Joachim Portocarrero hic praesens acceptat pronunciationem a Sanctitate Vestra factam, eidemque gratias immortales agit, ac enixe supplicat, ut Sanctitas Vestra super Canonizatione eadem Literas Apostolicas dignetur decernere.

Assentiens petitioni Papa simplex hoc verbum protulit: *Decernimus:* statim vero Eminentissimus Procurator Solii gradus ascendens, cum genu et manum Sanctitati suae deosculatus fuisset, ad Cardinalium subsellia suo loco sessurus remeavit. Tunc praedictus D. Advocatus Montecatinus post genuflexionem stans, ita Protonotarios, et Notarios, appellavit ad eos conversus.

Rogantur omnes Protonotarii, et Notarii hic praesentes, ut super hujusmodi solemnis Canonizationis actu unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum vel Instrumenta conficiant ad perpetuam rei memoriam.

Protonotariorum praesentium antiquior pro omnibus spopondit dicens: *Conficemus*: et advocatis Testibus, qui circa Solii aream adstabant, familiaribus Papae, subdidit: *Vobis testibus*: suoque loco, et tempore rem totam, ut infra referetur, ex officio transcripsit in Tabulas.

Debitas post haec laudes et gratias Deo Optimo Maximo Sanctitas Sua redditura surrexit deposita Mitra, omnibus pariter consurgentibus; et manum admovente Episcopo Cardinali Carafa ad librum per seniores Assistentes Praesules sustentatum, ex eo alta voce concinuit hymnum *Te Deum etc.* quem Chorus Musicorum integre usque ad finem prosequutus est.

Incohante Pontifice praedictum hymnum, datoque per Caeremoniarium signo, illico auditus est Tubarum clangor, Tympanorumque pulsus, aeneorum tormentorum strepitus, et totius Ecclesiarum Urbis aeris campani sonitus; nec minor omnium tota urbe plausus ac laetitia fuit; cum fortissimum sibi praesidium contra tela nequissimi hostis omnes adpromitterent meritis horum Sanctorum, (a) qui de sua felicitate securi de nostra sunt adhuc incolumitate soliciti; longam proinde adprecabantur annorum seriem vigilantissimo Dominici Agri Cultori, a quo tantum ad aeternam salutem adipiscendam adjumentum accepissent.

Completo a Cantoribus hymno, Diaconus Cardinalis Marinus ad dexteram Papae Assistens, ibidem cantavit V. *Orate pro nobis sancti Fidelis, Camille, Petre, Joseph, et Catharina*, et Cantores subdidere R. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Tunc accedentibus Acolythis ante imum Solii gradum cum candelabris accensis; Praesulibusque Papae candelam ministrantibus, et librum quem etiam de more Cardinalis Episcopus sustinebat, Sanctitas Sua omnium vota in unum collecta, interposito novorum Sanctorum patrocinio confidenter obtulit Deo, per hanc a se cantu feriali recitatam orationem.

(a) *Ex lib. S. Cypriani Ep. et M. de Mortalit.*

OREMUS.

Omnipotens et mirabilis Deus in Sanctis tuis, qui beatorum Fidelis Martyris, Camilli, Petri, Josephi Confessorum, et Catharinae Virginis merita solemni glorificatione clarescere voluisti: concede propitius, ut quae sunt triumphantis Ecclesiae ornamenta, nova sint militantis praesidia. Per Dominum etc.

Post orationem Acolythi Candelabra ad Abacum reportaverunt. Pontifex vero adhuc sine Mitra apud suam sedem constitit; etenim Cardinalis Sacripantes Diaconi munus expleturus in Missa, digressus e supremo Altaris gradu, quem locum post Obedientiae obsequium cum aliis Pontifici praestitum Canonizationis actione nondum incoepta occupaverat, comitante Caeremoniarum Magistro in Aream Throni Pontificii conscendit, ibique sistens ad sinistram Sanctissimi Patris, paululum erga illum conversus inclinatusque, pro expiatione Populi consuetam cecinit Confessionem, additis novorum Sanctorum nominibus post nomina sanctorum Apostolorum, ut infra etc.

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, beatis Fideli, Camillo, Petro, Josepho, et Catharinae, omnibus Sanctis et Tibi Pater: *quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, beatos Fidelem, Camillum, Petrum, Josephum, et Catharinam, omnes Sanctos et* Te Pater *orare pro me ad Dominum Deum nostrum.*

Qua finita, cum jam praemonitus detulisset R. P. D. Clemens de Aroztequi Papalem Crucem ante ejusdem Solii gradus, eamque genuflexus sustineret elatam, Pontifex super adstantes absolutionem fecit de more, cantando ex libro.

Precibus et meritis beatae Mariae semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistae, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, beatorum Fidelis, Camilli, Petri, Josephi, et Catharinae et omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam. R. *Amen.*

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. R. *Amen.*

Benedictionem quoque solemnem impertiendo addidit.

Et Benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ Sancti descendat super vos, et maneat semper. R. *Amen.*

Extinctis deinde cereis, finis imponitur integrae actioni cooptandi in Sanctorum Coetum Dei Servos, virtutibus et signis praestantes; solemne enim Sacrum, de quo modo dicetur, tali tempore olim factum non fuisse, testatur in sua eruditissima dissertatione Franciscus Maria Phaebeus Archiepiscopus Tarsi, et Caeremoniarum Moderator eximius. Vulgata ea est a Dominico Cappello altero Caeremoniarum Magistro una cum Actis Canonizationis sanctorum Petri de Alcantara, Mariae Magdalenae de Pazzis a san. mem. Clemente IX., adstante in sublimi Thalamo Serenissima Suecorum Regina Christina Alexandra celebratae die XXVIII. Aprilis, in quem anno millesimo sexcentesimo sexagesimo inciderat Dominica in Albis. Ceterum posse aliquem Sanctum dici, aut sine Missae Sacrificio, utpote Actione ab ipsis solemniis prorsus separata, aut eodem Sacro in sequentem diem etiam translato, nec semper facto per Summum Pontificem, vel ipso praesente vetustis monumentis omissis, recentior comprobat celebritas, qua decem ab hinc annis fel. rec. Clemens XII. Sanctissimi Domini Nostri Praedecessor Divorum numero inseruit Vincentium a Paulo, Joannem Franciscum Regis, Julianam de Falconeriis, et Catharinam Fliscam Adurnam. Etenim octogenario major cum esset, timeretque, ne nimia mora et labore gravaretur, prolata de eorum Sanctitate Sententia, receptisque,

dum Chorus decantabat hymnum: *Te Deum etc.* a se inchoatum, de Postulantium manibus oblationibus, aliisque, quos supra recensuimus, Ritibus et Caeremoniis expletis; non dimisso Apostolico Senatu solus remeavit ad propria, sinens ut post suum discessum eadem celeberrima pompa ab Eminentissimo Rufo tunc Episcopo Praenestino conficeretur Sacrum; ac si ipse praesens adesset.

Attamen Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIV. nullo umquam fractus labore, nec pressus obrepentis senectutis pondere, geminatam hodiernae festivitatis laetitiam, quae de beatorum Apostolorum Martyrio, et de nova quinque Sanctorum glorificatione procedebat, Summo Sacerdote dignum putavit, ita augere, ut Deo Hostiam laudis solemni ritu immolaret, et Altissimo vota sua per se ipsum redderet; solemniis itaque Canonizationis memorato ordine jam completis, ab eminenti Sede descendens, et ad aliam humiliorem paratam introrsum in ipso Theatri aditu ex parte sinistra Altaris se transtulit, solo Diaconorum Assistentium et nonnullorum paucorum tunc ei ministrantium comitatu. Cum in ea paululum sedisset, stans sine Mitra et ad Altare conversus recitavit submissa voce *Pater*, et *Ave*; mox manu dextera signum Crucis formans a fronte ad pectus cecinit pro inchoatione horae Tertiae: *Deus in Adjutorium, etc.* Cantoribus prosequentibus Hymnum, et Psalmos usque ad finem. Post Responsorii cantum, completis jam precibus praeparatoriis ad Missam, inter quas sedens sandalia et caligas induerat de more, iterum stans sine Mitra, et delatis ut alias per Acolythos duobus candelabris ante Solioli infimum gradum Orationem diei Festi SS. Apostolorum: *Deus qui hodiernam diem etc.* praecinuit. Lotis deinde manibus, aquam consuetis caeremoniis praebente Sacri Hospitii Magistro Guadaneoli Duce, vestes ad Sacrificium faciendum paratas induit ministerio Diaconi Cardinalis Evangelium cantaturi Caroli Mariae Sacripantis, et annulo Pontificali per Card. Episcopum Assistentem subarrhatus, ita ornatus thure in Thuribulum immisso, ac praecedente Cruce inter candelabra septem processit ad Altare, instructo duntaxat a sibi Ministrantibus supplicationis agmine et exceptis inter eundum occurrentibus sibi tribus in ordine Presbyterali ultimis Cardinalibus ad oris et pectoris osculum. Confessione, et ad Apostolorum Aram thurificatione peracta sublime Solium repetivit, prosequendo Missam cum caeremoniis, quae servari celebrante Summo Pontifice solent: Nihil autem in hoc Sacro peculiare atque notatu dignum accidit, praeter Orationes Collectae diei una sub conclusione conjunctas, Homiliam post Evangelium a Sanctitate Sua recitatam, et solemnes Oblationes a Postulantibus praesentatas.

Orationes autem Collectae, Secretae, et post Communionem hae fuerunt.

OREMUS.

Omnipotens et mirabilis Deus in Sanctis tuis, qui beatorum Fidelis Martyris, Camilli, Petri, Josephi Confessorum, et Catharinae Virginis merita sollemni glorificatione clarescere voluisti: concede propitius; ut quae sunt triumphantis Ecclesiae ornamenta, nova sint militantis praesidia. Per etc.

SECRETA.

Celebritatis hodiernae munera in honorem Sanctorum Fidelis Martyris, Camilli, Petri, Josephi Confessorum, et Catharinae Virginis tibi Domine offerentes humiliter petimus; ut quorum exultamus triumphis, proficiamus exemplis. Per etc.

POSTCOMMUNIO.

Sacro pignore immortalitatis suscepto, fac nos, quaesumus Domine, Sanctorum Fidelis Martyris, Camilli, Petri, Josephi Confessorum, et Catharinae Virginis aeternae felicitatis consortes, quorum temporalis exaltationis voluisti participes. Per Dominum nostrum etc.

Homilia vero, quam sedens habuit ad circumfusam multitudinem Sanctitas Sua, luculenter exprimit, et ob oculos ponit utriusque solemnitatis memoriam, ut legenti patebit.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

HOMILIA

Die Natalis SS. Apostolorum Petri et Pauli

Communem Caelo terraeque laetitiam ex glorioso beatorum Apostolorum Petri et Pauli triumpho, quem pro Christo morientes uno die eodemque loco reportarunt, ad Nos maxime, et ad hanc Urbem, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, pertinere, certum est. Quamquam enim ad universam spectet Ecclesiam de gemina Principis Apostolorum, et Doctoris gentium corona laetari, quod sancita eorum sanguine Fides in omnes gentes sese feliciter propagaverit, Roma tamen debet prae ceteris efferri gaudio, et cumulatius exultare, quod quae antea fuerat errorum magistra, Apostolorum eorumdem opera facta sit discipula veritatis, Civitas Sacerdotalis et Regia, Arx Religionis, et Caput Orbis, cujus imperium divinae Fidei gloria latius, quam olim terreno principatu dilatatum, portae Inferi metuunt, ac contremiscunt.

A vetustissimis usque temporibus Romano Pontifici solemne fuit summa religione ac singulari celebritate diem hunc agere, in quo duplex Sacrum, alterum in hac Vaticana Basilica, alterum via Ostiensi in Basilica sancti Pauli facere consuevit, ut pius seculi quarti vates Prudentius testatur. Id quoque temporis complures ex variis partibus Episcopi ad Urbem commigrabant, festum hunc laetissimum diem una cum Romano Pontifice celebraturi, uti ex Paulino, qui sequentis aetatis scriptor extitit, colligimus.

Nos quoque, quos non una causa ad Principis Apostolorum memoriam honore cumulandam adducit, quod nempe in ejus locum et dignitatis amplitudinem, licet immerentes, successimus, sed aliae quoque rationes urgent ad illius et Apostoli Pauli cultum promovendum, quos una simul colere ac venerari consuevit Ecclesia, quod nimirum inter sacrae hujus Basilicae Canonicos decem et quatuor annos fuimus, quodque ejusdem Petri honori Metropolitana Bononiensis Ecclesia dedicata sit, quam decennio gubernavimus, et quam adhuc detinemus; Praedecessorum nostrorum vestigiis etiam in hac parte pro viribus insistere cupientes, non solum quotannis in pervigilio hujus Festi solemnibus Vesperis in hac Basilica interesse, et mane Pontificali ritu Missam celebrare consuevimus, sed etiam in perpetuum valitura sanctione decrevimus, ut per totam Octavam singulis diebus in diversis sacrae hujus Urbis Ecclesiis aliqua eorumdem Apostolorum memoria insignitis solemne Sacrum peragatur, praesente aliquo Praelatorum Apostolicae Sedis officiis addictorum Collegio; utque pomeridiano tempore alii piorum hominum Coetus, statis quisque die-

bus, ad easdem Ecclesias pie religioseque procedant. Ad haec mandavimus, ut Calendariis et divinorum Officiorum Libris iidem duo beatissimi Apostoli, tanquam primarii augustae hujus Urbis Patroni, inscribantur: quod quidem Nobis a sanctissimis Viris Leone Pontifice, Maximo Taurinensi, et Venantio Fortunato ex veteri disciplina traditum est.

Opportune quoque et merito hunc ipsum diem festum beatorum Apostolorum Petri et Pauli hodiernae Sanctorum Canonizationi selegimus: nedum ut saltem semel vitae nostrae tempore felicissimum hujusmodi diem ingenti populorum concursu, multaque Fratrum nostrorum Episcoporum frequentia, pristino more celebrari videamus, sed praesertim etiam, quod Sententiam illam definitivam, qua quinque Beatos nuper in Sanctorum Album retulimus, pronunciavimus, ut audivistis, in honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad Catholicae Fidei praesidium, et Christianae Religionis incrementum auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et nostra; et demum, quod in unoquoque eorumdem quinque Beatorum imago quaedam et nonnulla Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli similitudo inesse videtur. Hoc autem non ita dicimus, ut par meritum, aut aequalitatem virtutum horum cum illis inferamus, cum temeritas sit amplitudinem Apostolorum cum aliorum Sanctorum meritis comparare; sed ut ostendamus, haec nova Sanctitatis lumina ad clarissimas beatorum Apostolorum Petri et Pauli virtutes accedere pro viribus curavisse, et hac ratione ad Sanctorum gloriam in terris meruisse exaltari, qua jamdudum in Caelis inter beatissimos Cives fruebantur.

Venit Petrus Antiochia ad hanc Urbem, hic primam Sedem constituit, hic nequissimum debellavit Simonem, hic Jesu Christi Evangelium disseminavit. Venit huc quoque Paulus post navalem, ut Joannes Chrysostomus ait, pugnam; atque hic Judaeis et Gentibus in Christi Fide erudiendis dies noctesque laboravit. Ambo vitam et sanguinem pro Christi nomine effundere cupientes, ambo Romae, eodemque die gloriosam Martyrii coronam adepti sunt: Petrus quidem inverso capite cruci affixus, Paulus gladio capite obtruncatus; ex quorum sanguine veluti ex semine, tot beatorum Martyrum millia germinarunt, ut exuberante copia virtutis et fidei, ut Cyprianus inquit, singuli Martyres numerari non possent. In his modo Fidelem de Sigmaringa numeravimus, qui ad praedicandum verbum Dei et Catholicam Religionem ab haereticis vindicandam, ab hac Apostolica Sede in Rhaetiam missus, invicto animo morti occurrens, ab haereticis interfectus est, et gloriosam sibi Martyrii coronam comparavit.

Negavit ter Petrus, ab ancilla et Judaeis interrogatus, Divinum suum Magistrum. Persecutus est Paulus discipulos Christi, quos ad internecionem usque delere statuerat. At suam Petrus perfidiam flevit amare; et Paulus divinae vocis terrore correptus, humi stratus, factus est vas electionis, et ad Apostolicam dignitatem una cum Barnaba a Spiritu Sancto vocatus est. Quot ad poenitentiam ex praeclaro horum exemplo excitati, ex improbis et impuris facti sunt egregiae virtutis et sanctitatis lumina? Quot assiduis lacrymis sua deflen-

tes scelera uberrimos poenitentiae fructus fecerunt, quibus immortali deinde gloria in Caelis gaudere, et apud nos solemni ritu inter Sanctos recenseri meruerunt? His profecto Camillus de Lellis annumerandus est, qui eadem vestigia persequens, non modo juvenilis suae aetatis errores detestatus est, sed etiam reliquo vitae tempore, tum animae, tum corporis Proximorum saluti impense addictus, heroicis quibus Caelum promeruit, virtutibus maxime inclaruit. O quam bene sese ad Pauli doctrinam conformavit! qui in prima ad Timotheum se blasphemum, et persecutorem, et contumeliosum, et primum peccatorem vocans: FIDELIS, inquit, SERMO ET OMNI ACCEPTIONE DIGNUS, QUOD CHRISTUS JESUS VENIT IN HUNC MUNDUM PECCATORES SALVOS FACERE, QUORUM PRIMUS EGO SUM: addiditque: SED IDEO MISERICORDIAM CONSEQUUTUS SUM, UT IN ME PRIMO OSTENDERET CHRISTUS JESUS OMNEM PATIENTIAM AD INFORMATIONEM EORUM, QUI CREDITURI SUNT ILLI IN VITAM ÆTERNAM. Ita plane Camillus misericordiam Dei consecutus, a scelere et flagitiis ad bonam frugem revocatus, inde meritis et virtutibus plenus ad gloriam Sanctorum meruit extolli.

Minime contentus fuit Petrus in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, et Bithyniam Jesu Christi Fidem intulisse, sed, ne quis in ea haesitaret, aut ne quid ab ea alienum in Ecclesiam induceretur, epistolas binas canonicas scripsit, in quibus sanctissimae Leges ad reprimendos vitiorum impetus, ad resistendum nequitiae diaboli, et ad aeternae vitae haereditatem assequendam opportune traduntur. Hoc ipsum amplissime fecit Paulus decem et quatuor epistolis canonicis conscriptis, quarum sapientiam, et caelestis doctrinae copiam quis satis posset oratione complecti? Quaenam eloquentia pro dignitate explicaret epistolam ad Romanos, sive binas ad Corinthios, sive ad Hebraeos alteram, in quibus de fide, de bonis operibus, de virtutibus theologicis, de vitiis atque erroribus extirpandis, divina plane sapientia, et admirabili zelo fideles docet, cohortatur, inflammat? Atque hinc Episcoporum ad populos sibi commissos pastoralium epistolarum dimanavit consuetudo, per quas illi zizania in in medio tritici exorta eradicare conantur, et, si qui mali usus, aut depravati mores irrepserint, corrigere ac reformare student. Haec exempla quoque piis quibusdam in Ecclesia hominibus ansam dederunt identidem religiosorum virorum Coetus, hujus Sanctae Sedis auctoritate intercedente, reformandi, qui paulatim neglecta evangelicorum consiliorum observantia a pristinae virtutis gradu defecerant. Iter hujusmodi summa cum laude confecit Petrus Regalatus a Nobis nuper numero Sanctorum adscriptus; qui tot annos ingenti labore, incredibili austeritate vitae, miraque humilitate ac singulari prudentia Ordini suo Franciscano, qui quibusdam in locis a veteri splendore desciverat, reformando totus incubuit; et assiduo heroicarum virtutum studio eam assecutus est Sanctitatis laudem, quae et Seraphico Ordini esset exemplum, nec minus universae Ecclesiae ornamentum.

Hierosolymis Petrus una cum Joanne in vincula conjectus est, et ab Angelo bis solutus a vinculis, quibus hominum improbissimorum perfidia illum

obstrinxerat. Quid vero loquar vincula, flagella, lapides, naufragia, immissiones bestiarum, atque alia plurima, quae passus est Paulus, quaeque ipse ad Corinthios scribens enumerat, quamquam, ut Joannes Chrysostomus advertit, plura fuerint ab eo praetermissa, quam numerata? Adeo ut, etiamsi ei gladio mortem oppetere non contigisset, tot nihilominus acerba passus, quae illi vitam omnino eripere debuissent, nisi superstes divinitus extitisset, profecto inter Martyres computaretur. Hinc porro geminae Caelo januae patefactae sunt: altera iis, qui effuso sanguine pro Christo caesi sunt, et inter Martyres recensentur; altera vero iis, qui suppliciis, quae pro Fide fortiter passi sunt, superstites, jam olim Martyres vocabantur, nunc autem illustri Confessorum titulo decorantur. Hac altera via incessit Josephus a Leonissa, quem modo in Sanctorum Confessorum Albo retulimus. Hic per plures dies supplicium immane et exquisitum pro Christi nomine a Barbaris invicto animo toleravit, atque inter cruciatus acerbissimos Evangelium praedicare non destitit. Quibus expeditus nihil habuit antiquius, quam animas Christo evangelica praedicatione lucrari, suamque excelsarum omnium virtutum, quas heroicas dicimus, sublimitate sanctiorem in dies facere usque ad mortem, quam coram Deo pretiosam in pace obtinuit.

Commendavit Paulus in prima ad Corinthios virginitatis dignitatem, in cujus laude posuit multa, quae ab eo statu derivantur, emolumenta. Nullum tamen de virginitate praeceptum a Domino sese accepisse affirmavit, sed de illa tantummodo consilium se dare: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Haec autem Paulum Coapostolum secundum datam sibi sapientiam literis tradidisse, Petrus in epistola secunda contestatur. Consilium quoque Pauli fuit, praeter continentiam, orationem, jejunia, paupertatem, et obedientiam colere; quibus in rebus potissimum sita est vitae monasticae ratio, a primis usque Ecclesiae seculis tam in viris, quam in foeminis feliciter propagata. Recentiori vero memoria ad monasticam alia insuper accessit religiosorum hominum vita, eorum praesertim Ordinum, qui Mendicantes nuncupantur, in quibus non minus doctrina, quam sanctitate complures ex utroque sexu Ecclesiam mire illustrarunt. Tres jam inclytae foeminae, Catharina Senensis, Rosa de Lima, et Agnes de Monte Politiano ex Ordine B. Dominici solemni ritu sanctarum Virginum numero adscriptae sunt; ad quas et Nos Catharinam de Ricciis modo aggregavimus, claustrali vita tam illustrem, tam humilem, tam poenitentiae addictam, et a Deo maxime locupletatam iis caelestibus donis, quibus ipse animas sibi acceptas in terris quoque cumulare consuevit.

Tandem Apostolorum Actus pleni sunt novis et inusitatis miraculis, quae Deus ad manifestandam gentibus beatorum Apostolorum Petri et Pauli tum doctrinam, tum sanctitatem operari sibi complacuit. Enimvero nolumus illa conferre cum iis, quae Dominus agere dignatus est ad intercessionem et preces quinque Beatorum, quos modo solemniter inter Caelites recensuimus. Non

ignoramus, varia esse miraculorum genera, varios gradus. Verum si haec ad illa minus aequiparari valent, nihilominus haec quoque ita naturae vires excedunt, ut dubitari nullo modo possit, quin sint sanctitatis eorum, ad quorum merita facta sunt, luculentum expressumque Dei testimonium.

Ex iis, quae hactenus dicta sunt, satis apparet, quam apte in hoc ipso SS. Apostolorum Petri et Pauli laetissimo die hodiernae Canonizationis solemnia celebrentur. Nunc autem, quoniam prope Aram consistimus, sub qua eorundem beatorum Apostolorum cineres et ossa jacent, quid aliud restat, nisi ut ad vos, gloriosi Apostolorum Principes, orationem nostram et preces humiliter convertamus? Tu quidem, beatissime Petre, Venerabilem hunc Clerum de Caelo respice, qui abs te originem ducit, quique nomini tuo devotus te perpetuo colit: Respice et Nos, qui in hanc principem omnium Cathedram a te institutam, et quae Ecclesiarum omnium unitatis est centrum, impares licet meritis, successimus. Tu vero, beatissime Doctor Gentium Paule, populum hunc, quem te prae ceteris diligere, tuoque cordi inhaerere, literis tuis significabas, peramanter respice. Ad vos enim, Parentes optimi, et amantissimi Urbis hujus Patroni, in tanta hujus diei celebritate, fiducia pleni confugimus, ut, vestris intervenientibus meritis, a Deo impetremus catholicae Fidei propagationem, Romanae Ecclesiae, quae sanguinis vestri pretio fundata est, exaltationem et sartam tectam Apostolicae hujus Sedis dignitatem, cujus vindices et propugnatores vos semper extitistis. Ad vos deinde convertimur, Fidelis, Camille, Petre, Joseph, et Catharina, quos modo nostro apud Deum intercessores fore solemni ritu declaravimus, quosque fidelibus populis tanquam praeclara virtutum exempla proposuimus: Vos quoque humili corde obtestamur, ut christianam Religionem, ut Fidem, ut denique Apostolicam Sedem apud Deum orationibus vestris tegere ac tueri dignemini; Nobis praesertim in aerumnis, quibus in diem conflictamur, et quibus Petri navicula jactatur, opem auxiliumque divinum implorantes. Spe magna nitimur, Deum, Vobis intercedentibus, Nos in medio mari periclitantes non relicturum. Habemus enim perpetuo ante oculos Petrum in mediis fluctibus super aquas maris a Domino ambulare jussum, et naufragio perire metuentem: Quem Augustinus advertens: In unda, inquit, exclamet titubans Petrus, et dicat: Domine, salva me. Porrigit enim Dominus manum; et quamvis increpet dicens: Modicæ fidei, ut quid dubitasti? tamen a fluctibus rapit, et confitentem infirmitatem suam, atque illius auxilium postulantem perire non sinit. Demum gloriosi Principes Apostolorum, Beatique nuper in Sanctorum Catalogum relati lenite iram Dei in furore suo terras arguentis: exorate omnipotentem Principem pacis, in cujus manibus sunt corda Regum, et sub quo curvantur, qui portant Orbem, ut christianos Principes diuturnis nimium dissidiis inter se decertantes in pristinae charitatis compagem restituat.

Statim ac Papa institutae Orationi finem imposuit; Cardinalis Diaconus Evangelii in Solii planitie, quo perrexerat ex Altari, Magistro Caeremoniarum Duce, eodem ac antea modo ad excitandam compunctionem cecinit: *Confiteor*, quo recedente Episcopus Cardinalis Assistens a Sanctitate Sua Indulgentias petiit his verbis: *Indulgentias Beatissime Pater*, acceptoque responso: *Consuetas hujus Actionis;* illico conversus ad Populum eas promulgavit alta voce legendo sequentem formulam.

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus Noster, Dominus BENEDICTUS *Divina Providentia Papa Decimusquartus dat, et concedit omnibus hic praesentibus Indulgentiam Plenariam: Visitantibus autem quotannis Sepulchra Sanctorum* FIDELIS, CAMILLI, PETRI, JOSEPHI, *et* CATHARINÆ, *die eorum natalitio septem annorum, et totidem quadragenarum in forma Ecclesiae consueta: Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctitatis Suae et sanctae Matris Ecclesiae.*

Post Indulgentiarum promulgationem Sanctissimus Dominus Noster sine Mitra stans Populo solemniter benedixit pronuntiata ex libro, quem sibi obtulerunt consueti Assistentes Ministri, generali absolutione: Tum Symbolum praecinuit, illudque cum Diaconibus sibi hinc inde Assistentibus voce submissa recitavit, quod cum Psaltae Palatini prosequerentur, sedit, eoque expleto surrexit iterum capite detecto, ut v. *Dominus Vobiscum*: caneret, ac Offertorium legeret. Postea consedit denuo pretiosa Mitra redimitus excepturus Postulantium oblationes.

Fuerant hae a Magistris Caeremoniarum inter Symboli cantum hoc ordine dispositae. Tres ad singulas oblationes Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales adhibiti sunt ex unoquoque ordine incipiendo ab Antiquioribus, ne iis quidem exceptis, qui assistebant Pontifici: idcirco tempestive evocati novissimi duo Diaconi in eadem Congregatione non adscripti, primis in Assistentiae munere substituuntur.

Singuli Cardinales juxta monitum eisdem transmissum duos secum habebant nobiles Familiares talari indutos veste pro cereis praegrandibus, aut panibus, vel doliolis comportandis; hi suo quique hero praeibant; eos vero antecedebant quatuor Servientes armorum argenteis clavis instructi. Unumquemque Cardinalem subsequebantur primores duo Patres ex Regulari illa Familia, cujus vel Alumnus fuerat Sanctus, vel Institutor. Uterque parvum cereum gestabat canistri loco, quem alter eorum alias portasset cum binis vel turturibus, vel columbis, vel aviculis versicoloribus; ab hac enim solemnitate hoc genus oblationis omnino tolli Sanctissimus Pater imperaverat. Quam ob caussam id vetuerit, investigator cupidus facile assequetur lectione laudatissimi ejus operis de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione. Singulae oblationes in singulis separatis mensis sive Abacis compositae erant, candidis obductae velis, ex quibus tollebantur ministerio Custodis earumdem a Moderatore Coeremoniarum de more destinati. Qui portaturi eas erant, supposita mappula linea ipsas deferentes, transeundo per mediam Theatri caveam ante Confessionem recta usque ad Papam contendebant, cui exhibitae cum fuissent, eas ad mensam iterum reportabant Acolythi Signaturae Justitiae Votantes cum Abbreviatoribus. Procurator Canonizationis Cardinalis Portocarrero, qui inter eundem incesserat ad sinistram Cardinalis Episcopi primae oblationi assignati, consistens in planitie Solii dextrorsum sex cereos parvos arabice pictos in unaquaque oblatione a Religiosis Patribus delatos Sanctitati Suae offerebat: Quilibet vero Cardinalis Episcopus duos tantum praegrandes arabice item pictos et praeterea effigie Sancti, gentilitiis insignibus Summi Pontificis, ac stemmate Religionis ornatos; Presbyteri autem Cardinales magnos panes duos, unum auro, alterum argento illitos, et supereminenti caelatura Pontificii ejusdem stemmatis ornatos; Cardinales tandem Diaconi doliola duo affabre sculpta pari ornatu, auro argentoque splendida. Quilibet Cardinales accepta de Familiarium suorum manibus dona Sanctissimo exhibebat, deosculando peracta oblatione ejus genu et manum; cum pedis tantum osculum reliquis permitteretur.

Ad primam igitur oblationem pro sancto Fideli a Sigmaringa directam a D. Francisco Diversini Caeremoniario, et ab intimo Suae Sanctitatis Sacello, selecti fuere Eminentissimi Cardinales Annibal Albanus sancti Clementis nuncupatus Episcopus Portuensis ac sanctae Rufinae, Dominicus Passioneus Tituli sancti Bernardi Presbyter, et Carolus de Marinis Diaconus sanctae Mariae in Vialata; Fr. Joseph Maria ab Interamna Minister Generalis Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum, Fr. Sigismundus a Ferraria Procurator et Commissarius Generalis, Fr. Maximilianus a Wangbena Definitor Generalis Causaeque Postulator, Fr. Benedictus a Masafra, Fr. Joannes Maria a Parma, et Fr. Cherubinus a Noves, et ipsi Definitores Generales praedicti Ordinis.

Alteram pro sancto Camillo, praeeunte D. Joanne Lucca altero ex Caeremoniariis, peregerunt Eminentissimi Cardinales Nicolaus Maria Lercarius Tituli sancti Petri ad Vincula gerens Episcopi vices, Silvius Valenti Tituli sanctae Priscae, et Alexander Albanus Diaconus sanctae Mariae ad Martyres; RR. PP. Joannes Dominicus Constantini totius Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Praefectus Generalis, Vincentius Micciulla Procurator Generalis, P. Franciscus Stolfini, et P. Thomas Sanchez ambo Consultores, P. Jacobus Maria Fabiani Arbiter et Secretarius Generalis, ac Pater Camillus de Romanis Provincialis.

Tertiam sancti Petri Regalati, ad quam assistebat D. Joannes Baptista Valeriani Caeremoniarius Supranumerum, attulerunt Eminentissimi DD. Cardinales Franciscus Burghesius Tituli sanctae Mariae Transtyberim pro Episcopo, Camillus Paulutius Tituli sanctorum Joannis et Pauli, et Nerius Corsinus sancti Eustachii Diaconus, RR. PP. Fr. Raphael a Lucagnano Ordinis Minorum Sancti Francisci Minister Generalis, Fr. Felix a Roma ex Vice-Commissarius Generalis Reformatorum, Fr. Benedictus Maria Galli Procurator Generalis Observantium, Fr. Alexius a Roma Procurator Generalis Reformatorum, Fr. Petrus Joannes Molina Procurator Generalis Recollectorum, et Fr. Vincentius Antonius a Caprarola Definitor Generalis.

In quarta pro sancto Josepho a Leonissa, viam demostrante D. Joanne Baptista Lizzani Supranumerum secundo Caeremoniarum Magistro, adfuerunt praeter Eminentissimos Cardinales Antonium Xaverium de Gentilibus Presbyterum sancti Stephani in Caelio Monte vices Episcopi Cardinalis supplentem, Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Tituli sanctae Mariae de Pace, et Marium Bolognetti sanctorum Cosmae et Damiani Diaconum, sex alii Ordinis Capuccinorum Patres dignitatis gradu praestantes, nempe, Fr. Philippus ab Ameria Provinciae Romanae Minister Provincialis, Fr. Bonifacius Romanus, Fr. Joannes a Collepardo, Fr. Franciscus Antonius a Fivizzano, Fr. Carolus Antonius a Vultrio Definitores Provinciales, et Fr. Gregorius Romanus Ex-Definitor, Causaeque Canonizationis beati Josephi Postulator.

Quintam demum sanctae Catharinae de Ricciis, ductore D. Francisco Manganeni tertio sacrarum Caeremoniarum Magistro Supranumerum, detulerunt pro Episcopo Eminentissimus Fr. Joannes Antonius Guadagni Cardinalis Tituli sanctorum Silvestri et Martini ad Montes, ac Eminentissimi Cardinales D. Fortunatus Tamburini Tituli sancti Matthaei in Merulana, et Prosper Columna de Sciarra sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus: absente Reverendissimo P. Fr. Thoma Ripoll Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, qui annos excesserat nonaginta, cereum primum detulit Reverendissimus P. Fr. Nicolaus Ridolfi Sacri Palatii Magister, alios vero RR. PP. Magistri Fr. Vincentius Maria Ferretti Procurator Generalis totius Ordinis, Fr. Josephus Augustinus Orsi Sacrae Congregationis Indicis a Secretis, Fr. Alexander Pius Sauli supremae Inquisitionis contra haereticam pravitatem, sive Sancti Officii Congregationis Commissarius, Fr. Antonius Bremond Provincialis Daciae, et Fr. Joannes Thomas de Boxadors Provincialis Aragoniae, Reverendissimo Patri Magistro Generali hoc in munere substitutus.

Summus Pontifex perceptis oblationibus lavit ex more manus, (ad cujus munus selectos Nobiles Laicos deduxere alternatim et D. Lucas Verdiani et D. Alexander Mariani novissimi Caeremoniarum Magistri) perrexit

ad Altare, ex quo data Pace iterum discedens Solium repetivit, in eo Communionem sub utraque specie ritu supremi Ecclesiae Hierarchae statuto sumpturus; quam quidem consuetudinem non esse mysterio vacuam, ex allatis a praecitato Justiniano Chiapponi Apostolicarum Caeremoniarum Magistro rationibus evidentissime constat.

Absoluta deinde Missa in Altari, et Pontificali Benedictione Populo impertita, deposito praeterea supra principem Aram Pallio descendit Papa ad sellam gestatoriam, quae ante Altare, nec longe ab eodem parata tunc fuerat. In ea compositus, tiara tectus chyrothecisque et annulo Pontificali denuo sumptis consuetum Presbyterium accepit ab Eminentissimo Archipresbytero Basilicae Annibale Cardinali Albano una cum duobus Canonicis Sacrario Praefectis, nempe RR. PP. Jacobo Vittori, et Joanne Francisco de Abbatibus Oliverio; eis vero ipse suismet sanctissimis manibus tradidit aureum Calicem et Patenam, non solum materia, sed opere conspicuam, quibus eo die Deo libaverat, ut essent perenne tam eximiae solemnitatis, suaeque pietatis erga divum Petrum Apostolorum Principem argumentum. Ac Presbyterio quidem, quod acceperat, in Clericos erogato, eoque multo splendidius repenso, rei tantae memoriam alio quoque monumenti genere testatam voluit, largitione nimirum novi Numismatis, quod novorum quinque Sanctorum repraesentabat imagines cum Epigraphe: *Univit, palmamque dedit.*

Posthaec EE. Cardinalium Senatu dimisso, divertit Sanctitas Sua in Tentorium extra Theatri ambitum de industria comparatum, ubi sacras vestes exuit.

Superest (a), ut agamus gratias Deo nostro super omnibus dispositionibus suis, quod infirmos nos novis hisce Ecclesiae suae voluit fulcire columnis; congratulemur et Sanctis, quibus magna fecit Dominus introducens eos in gloriam suam, ut Festivitas quae merito eorum virtutum hodie votiva impenditur, ipsorum nobis efficiatur meritis, et precibus salutaris.

Quod sponsum est supra, Protonotariorum Instrumentum hic accipito.

IN NOMINE DOMINI AMEN

Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Divina Providentia Papa XIV. omnibus iis, quae super solemnibus Sanctorum Canonizationibus peragenda a Summis Pontificibus Praedecessoribus suis in eorum Constitutionibus sancita sunt, rite peractis; tandem anno ab Incarnato Verbo millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae Anno sexto: Die vero 29. Junii Feria quarta, Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli hujus Almae Urbis Patronorum Principalium, in Basilica Vaticana, splendida ingentique pompa exornata, devenit ad solemnem Canonizationem beatorum Fidelis a Sigmaringa Ordinis Min. S. Francisci Capuccinorum, Camilli de Lellis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris, Petri Regalati Min. Observan. S. Francisci, Josephi a Leonissa Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum, et Catharinae de Ricciis Sanctimonialis Professae Ordinis S. Dominici.

Ad implorandum a Patre luminum lumen et consilium, necnon beatissimae semperque Virginis Mariae patrocinium, et aliorum Sanctorum et Sanctarum opem et auxilium in re tanti ponderis, quae profecto gravior, dignior et major est, quae peragi possit a Summis Pontificibus, cum in ea potissimum Vicaria Christi potestas, quam gerunt in Terris, elucescat, juxta consuetum Ordinem solemnemque Ritum praehabita fuit solemnis Supplicatio.

Sanctissimus Pontifex sacris Vestibus indutus ex Aula Paramentorum inter Eminentissimos DD. Cardinales Carolum de Marinis, et Alexandrum Albanum S. R. E. Diaconos antiquiores; ad Cappellam Sixtinam processit, et intonato Hymno: *Ave Maris Stella*: Primisque ejusdem Hymni versibus per Cantores Pontificios absolutis, Sedem Gestatoriam conscendit.

(a) *S. Bernardus Serm. de S. Malach.*

Praeeuntibus utroque Clero, Praelatorum Romanae Curiae Collegiis, Basilicae Vaticanae Poenitentiariis, Abbatibus, et Generalibus in Cappella Pontificia locum habentibus, Episcopis, Archiepiscopis Pontificio Solio Assistentibus, et non Assistentibus, et inter Sacrorum Rituum Consultores Patriarchis, et Eminentissimis denique S. R E. Cardinalibus, omnibus juxta eorum Ordines sacris Vestibus indutis, et dextera manu accensum cereum gestantibus; Summus Pontifex Vaticanum Templum ingressus, et ea, qua par erat, reverentia, a Reverendissimo ejusdem Basilicae Capitulo exceptus, Cantoribus Capituli Antiphonam: *Tu es Petrus:* modulantibus, ante Altare Sanctissimae Trinitatis, ubi erat Augustissimum Sacramentum publicae Venerationi expositum, constitit, et e Sede Gestatoria descendens paulisper oravit; mox ad eandem Sedem reversus, delatus fuit (semper tamen supplicabundo ritu) usque ad principem Apostolorum Aram, brevibusque ibi precibus effusis, in Solio se recepit, et Eminentissimos Cardinales, Reverendissimos Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos Pontificio Solio Assistentes, et non Assistentes, necnon Poenitentiarios Vaticanae Basilicae ad Obedientiam admisit.

Obedientia expleta, Eminentissimus Dominus Joachimus Ferdinandus Presbyter Cardinalis Portocarrero a Sanctissimo Domino ad postulandam Canonizationem Procurator specialiter deputatus, necnon Illustrissimus Dominus Comes Virgilius Montecatinus Sacrae Consistorialis Aulae Advocatus ab eodem Sanctissimo Domino ad hoc pariter specialiter electus (uno ex Caeremoniarum Magistris eos admonente, et ducente) ante imum Pontificii Solii gradum constiterunt, et Dominus Advocatus Montecatinus in genua provolutus ejusdem Eminentissimi D. Cardinalis Portocarrero Procuratoris nomine, ut Beatis Fideli a Sigmaringa, Camillo de Lellis, Petro Regalato, Josepho a Leonissa, et Catharinae de Riccis cultus et Sanctorum honores decernerentur, Sanctitatem Suam instanter exoravit.

Illustrissimus Dominus Cajetanus Amatus Literarum Apostolicarum ad Principes a Secretis stans e sinistro Solii latere hujusmodi Postulationi, Sanctitatis Suae nomine respondit. Quod cum Sanctissimus Pater in tam gravi deliberatione lumen prius et auxilium de Sancto sibi implorandum censeret, ideo jubebat, quod omnes Ordines, totusque qui adstabat Populus cum Apostolico Senatu, Deum Optimum Maximum humillime deprecarentur, ut cor mentemque suam caelesti luce illustrare, et imperscrutabilis voluntatis suae beneplacitum aperire dignaretur.

Ad haec Summus Pontifex descendens e Solio flexis genibus ante Faldistorium procubuit, similiterque Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi ceterique omnes genua submiserunt ad orandum, et statim duo Cantores ante gradus Altaris Apostolorum, litanias Sanctorum cecinere, eisque absolutis, et Sanctissimo Domino Nostro ad Solium reverso, ibidemque composito:

Eminentissimus Cardinalis Portocarrero Procurator, et Dominus Advocatus Montecatinus ad imum Solii gradum, ut antea, Sanctitati Suae denuo sese obtulerunt, et Dominus Advocatus pariter Eminentissimi D. Procuratoris nomine pro eorumdem Beatorum Canonizatione rursus et instantius postulavit.

Sed a Domino Literarum Apostolicarum Secretario denuo Sanctitatis Suae nomine accepto responso: Quod Sanctissimus Pater antequam tanto operi supremam manum imponeret, pro majori animi sui illustratione mandabat, ut ferventius ad Deum preces iterarentur, statim novis precibus per Eminentissimum Dominum Cardinalem Diaconum indictis, hoc verbo: *Orate;* Sanctissimus Dominus iterum ad Faldistorium oraturus perrexit, universo quoque Venerabili Consessu in genua provoluto; et subinde Sanctitas Sua intonato Hymno: *Veni Creator Spiritus;* eoque a Cantoribus absoluto cum suo Verisculo: *Emitte Spiritum tuum:* cecinit orationem Spiritus sancti.

Sanctitas Sua ad Solium reversa tertiam demum et ultimam instantiam excepit a praedicto Domino Advocato Montecatino, qui Eminentissimi D. Cardinalis Portocarrero Procuratoris nomine, ut supra, Beatorum saepius praelaudatorum Canonizationem instantissime postulavit.

Et tertio pariter idem Dominus Literarum

Apostolicarum ad Principes Secretarius, Sanctissimi Domini Nostri nomine respondens, eidem Eminentissimo Domino Cardinali Portocarrero Procuratori, et Domino Advocato Montecatino Eminentiae Suae nomine postulanti, propensam paratamque Sanctitatis Suae ad solemnem Beatorum Canonizationem deveniendi voluntatem significavit, palamque fecit.

Tunc Sanctissimus Dominus consurgentibus Eminentissimis Patribus: erectis ad Caelum oculis nova quadam caelesti luce refulgentibus ex infallibili veritatis Cathedra, in qua Mitra adhuc insignitus considebat, prout et suprema Judicantis Vicarii Christi majestas, et rei quae peragebatur, gravitas pro dignitate postulabant, super formali eorundem Beatorum Canonizatione, alta, clara, plenaque Dei Spiritu voce ultimam suam definitivam Sententiam edidit et pronunciavit, et beatum Fidelem a Sigmaringa sanctorum Martyrum numero cooptavit, et beatos Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, et Josephum a Leonissa inter Confessores non Pontifices connumeravit, et beatam denique Catharinam de Ricciis Albo sanctarum Virginum, et non Martyrum adscripsit.

Incredibili sane universi Coetus laetitia, totiusque adstantis Populi exultatione recepta, et a Domino Advocato Montecatino acceptata Sententia a Sanctissimo Domino rite prolata, praefatus Dominus Advocatus Sanctitati Suae gratias agens immortales, ut super eadem Sententia solitae Apostolicae literae in forma Bullae expedirentur apud Sanctitatem Suam humiliter institit; ad cujus preces Sanctitas Sua clementer indulgens respondit: *Decernimus*: Et statim Eminentissimus Portocarrero Procurator gratias acturus Solium conscendit et in signum gratiarum, quas humiliter Sanctissimo Patri referebat, ejusdem manum et genu exosculatus, suis se Ordini et loco restituit.

Conversus interim Dominus Advocatus Montecatinus ad Nos Protonotarios Actioni praesentes rogavit, ut super praehabitis unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum vel Instrumenta ad perpetuam rei memoriam conficeremus; ad cujus instantiam ego Franciscus Maria Protonotarius Riccardi uti Protonotariorum Collegii Decanus, tum proprio, tum meorum Collegarum praesentium, et Collegii nomine respondi: *Conficiemus*: Et Sanctissimi Domini Nostri Papae Familiares et specialiter Illustrissimos DD. Paulum Zani Bononiensem, et Josephum Mariam Puoti Neapolitanum ab intimo Sanctitatis Suae Cubiculo, in hujus rei Testes vocatos adhibui his verbis: *Vobis Testibus*.

In tanti perfecti Operis gratiarum actionem Summus Pontifex deposita Mitra surrexit, et vix prima Hymni: *Te Deum*, verba cum cantu protulerat (reliqua Cappellae Cantoribus concinentibus), quod statim excitatis illic prius, et subinde ex Arce sancti Angeli obstrepentibus, et undequaque resonantibus per Urbem laetitiae signis, audivit, et nova haec laetata est Sion, benedicens Domino, quod eos, quos jamdudum in partem haereditatis suae vocaverat et admiserat in Caelis colendos, invocandos, imitandosque nobis nunc exhiberet in terris.

Emissa posthac ab Eminentissimo Cardinali Diacono Evangelium cantaturo Confessione, additis in ea nominibus Sanctorum nuperrime canonizatorum; Eminentissimus Carafa Episcopus Cardinalis Assistens Indulgentiam evulgavit: Plenariam videlicet pro omnibus illic praesentibus, et annorum septem et totidem Quadragenarum quotannis, eorundem Sanctorum sepulchra visitantibus.

Trina tandem Papali Benedictione solemniis Canonizationis absolutis, Sanctissimus Pater ad parvum Solium contendit, et dum Hora Tertia decantabatur, Pontificalibus indumentis et Insignibus de more exornatus, iterum, Sacris operaturus, ad Aram Apostolorum se contulit et Missam cecinit, servato in omnibus sacro solemni solito Ritu praeterquam ad Evangelium et ad Offertorium, quorum primo latine prius, ac deinde graece de more decantato, Sanctitas Sua singulari, qua pollet cum eximia pietate conjuncta doctrina luculentissimam Homiliam habuit, qua et de festo, qui sanctorum Apostolorum Petri et Pauli martyrio consecratus agebatur die, et de solemni Beatorum superius relatorum ab ipsa praehabita Canonizatione miro ordine, incredibili sermonis venustate, gravi sententiarum pondere, et ea quae summum An-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

HOMILIA

Die Natalis SS. Apostolorum Petri et Pauli

Communem Caelo terraeque laetitiam ex glorioso beatorum Apostolorum Petri et Pauli triumpho, quem pro Christo morientes uno die eodemque loco reportarunt, ad Nos maxime, et ad hanc Urbem, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, pertinere, certum est. Quamquam enim ad universam spectet Ecclesiam de gemina Principis Apostolorum, et Doctoris gentium corona laetari, quod sancita eorum sanguine Fides in omnes gentes sese feliciter propagaverit, Roma tamen debet prae ceteris efferri gaudio, et cumulatius exultare, quod quae antea fuerat errorum magistra, Apostolorum eorumdem opera facta sit discipula veritatis, Civitas Sacerdotalis et Regia, Arx Religionis, et Caput Orbis, cujus imperium divinae Fidei gloria latius, quam olim terreno principatu dilatatum, portae Inferi metuunt, ac contremiscunt.

A vetustissimis usque temporibus Romano Pontifici solemne fuit summa religione ac singulari celebritate diem hunc agere, in quo duplex Sacrum, alterum in hac Vaticana Basilica, alterum via Ostiensi in Basilica sancti Pauli facere consuevit, ut pius seculi quarti vates Prudentius testatur. Id quoque temporis complures ex variis partibus Episcopi ad Urbem commigrabant, festum hunc laetissimum diem una cum Romano Pontifice celebraturi, uti ex Paulino, qui sequentis aetatis scriptor extitit, colligimus.

Nos quoque, quos non una causa ad Principis Apostolorum memoriam honore cumulandam adducit, quod nempe in ejus locum et dignitatis amplitudinem, licet immerentes, successimus, sed aliae quoque rationes urgent ad illius et Apostoli Pauli cultum promovendum, quos una simul colere ac venerari consuevit Ecclesia, quod nimirum inter sacrae hujus Basilicae Canonicos decem et quatuor annos fuimus, quodque ejusdem Petri honori Metropolitana Bononiensis Ecclesia dedicata sit, quam decennio gubernavimus, et quam adhuc detinemus; Praedecessorum nostrorum vestigiis etiam in hac parte pro viribus insistere cupientes, non solum quotannis in pervigilio hujus Festi solemnibus Vesperis in hac Basilica interesse, et mane Pontificali ritu Missam celebrare consuevimus, sed etiam in perpetuum valitura sanctione decrevimus, ut per totam Octavam singulis diebus in diversis sacrae hujus Urbis Ecclesiis aliqua eorumdem Apostolorum memoria insignitis solemne Sacrum peragatur, praesente aliquo Praelatorum Apostolicae Sedis officiis addictorum Collegio; utque pomeridiano tempore alii piorum hominum Coetus, statis quisque die-

bus, ad easdem Ecclesias pie religioseque procedant. Ad haec mandavimus, ut Calendariis et divinorum Officiorum Libris iidem duo beatissimi Apostoli, tanquam primarii augustae hujus Urbis Patroni, inscribantur: quod quidem Nobis a sanctissimis Viris Leone Pontifice, Maximo Taurinensi, et Venantio Fortunato ex veteri disciplina traditum est.

Opportune quoque et merito hunc ipsum diem festum beatorum Apostolorum Petri et Pauli hodiernae Sanctorum Canonizationi selegimus: nedum ut saltem semel vitae nostrae tempore felicissimum hujusmodi diem ingenti populorum concursu, multaque Fratrum nostrorum Episcoporum frequentia, pristino more celebrari videamus, sed praesertim etiam, quod Sententiam illam definitivam, qua quinque Beatos nuper in Sanctorum Album retulimus, pronunciavimus, ut audivistis, in honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad Catholicae Fidei praesidium, et Christianae Religionis incrementum auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et nostra; et demum, quod in unoquoque eorumdem quinque Beatorum imago quaedam et nonnulla Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli similitudo inesse videtur. Hoc autem non ita dicimus, ut par meritum, aut aequalitatem virtutum horum cum illis inferamus, cum temeritas sit amplitudinem Apostolorum cum aliorum Sanctorum meritis comparare; sed ut ostendamus, haec nova Sanctitatis lumina ad clarissimas beatorum Apostolorum Petri et Pauli virtutes accedere pro viribus curavisse, et hac ratione ad Sanctorum gloriam in terris meruisse exaltari, qua jamdudum in Caelis inter beatissimos Cives fruebantur.

Venit Petrus Antiochia ad hanc Urbem, hic primam Sedem constituit, hic nequissimum debellavit Simonem, hic Jesu Christi Evangelium disseminavit. Venit huc quoque Paulus post navalem, ut Joannes Chrysostomus ait, pugnam; atque hic Judaeis et Gentibus in Christi Fide erudiendis dies noctesque laboravit. Ambo vitam et sanguinem pro Christi nomine effundere cupientes, ambo Romae, eodemque die gloriosam Martyrii coronam adepti sunt: Petrus quidem inverso capite cruci affixus, Paulus gladio capite obtruncatus; ex quorum sanguine veluti ex semine, tot beatorum Martyrum millia germinarunt, ut exuberante copia virtutis et fidei, ut Cyprianus inquit, singuli Martyres numerari non possent. In his modo Fidelem de Sigmaringa numeravimus, qui ad praedicandum verbum Dei et Catholicam Religionem ab haereticis vindicandam, ab hac Apostolica Sede in Rhaetiam missus, invicto animo morti occurrens, ab haereticis interfectus est, et gloriosam sibi Martyrii coronam comparavit.

Negavit ter Petrus, ab ancilla et Judaeis interrogatus, Divinum suum Magistrum. Persecutus est Paulus discipulos Christi, quos ad internecionem usque delere statuerat. At suam Petrus perfidiam flevit amare; et Paulus divinae vocis terrore correptus, humi stratus, factus est vas electionis, et ad Apostolicam dignitatem una cum Barnaba a Spiritu Sancto vocatus est. Quot ad poenitentiam ex praeclaro horum exemplo excitati, ex improbis et impuris facti sunt egregiae virtutis et sanctitatis lumina? Quot assiduis lacrymis sua deflen-

tes scelera uberrimos poenitentiae fructus fecerunt, quibus immortali deinde gloria in Caelis gaudere, et apud nos solemni ritu inter Sanctos recenseri meruerunt? His profecto Camillus de Lellis annumerandus est, qui eadem vestigia persequens, non modo juvenilis suae aetatis errores detestatus est, sed etiam reliquo vitae tempore, tum animae, tum corporis Proximorum saluti impense addictus, heroicis quibus Caelum promeruit, virtutibus maxime inclaruit. O quam bene sese ad Pauli doctrinam conformavit! qui in prima ad Timotheum se blasphemum, et persecutorem, et contumeliosum, et primum peccatorem vocans: FIDELIS, inquit, SERMO ET OMNI ACCEPTIONE DIGNUS, QUOD CHRISTUS JESUS VENIT IN HUNC MUNDUM PECCATORES SALVOS FACERE, QUORUM PRIMUS EGO SUM: addiditque: SED IDEO MISERICORDIAM CONSEQUUTUS SUM, UT IN ME PRIMO OSTENDERET CHRISTUS JESUS OMNEM PATIENTIAM AD INFORMATIONEM EORUM, QUI CREDITURI SUNT ILLI IN VITAM ÆTERNAM. Ita plane Camillus misericordiam Dei consecutus, a scelere et flagitiis ad bonam frugem revocatus, inde meritis et virtutibus plenus ad gloriam Sanctorum meruit extolli.

Minime contentus fuit Petrus in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, et Bithyniam Jesu Christi Fidem intulisse, sed, ne quis in ea haesitaret, aut ne quid ab ea alienum in Ecclesiam induceretur, epistolas binas canonicas scripsit, in quibus sanctissimae Leges ad reprimendos vitiorum impetus, ad resistendum nequitiae diaboli, et ad aeternae vitae haereditatem assequendam opportune traduntur. Hoc ipsum amplissime fecit Paulus decem et quatuor epistolis canonicis conscriptis, quarum sapientiam, et caelestis doctrinae copiam quis satis posset oratione complecti? Quaenam eloquentia pro dignitate explicaret epistolam ad Romanos, sive binas ad Corinthios, sive ad Hebraeos alteram, in quibus de fide, de bonis operibus, de virtutibus theologicis, de vitiis atque erroribus extirpandis, divina plane sapientia, et admirabili zelo fideles docet, cohortatur, inflammat? Atque hinc Episcoporum ad populos sibi commissos pastoralium epistolarum dimanavit consuetudo, per quas illi zizania in in medio tritici exorta eradicare conantur, et, si qui mali usus, aut depravati mores irrepserint, corrigere ac reformare student. Haec exempla quoque piis quibusdam in Ecclesia hominibus ansam dederunt identidem religiosorum virorum Coetus, hujus Sanctae Sedis auctoritate intercedente, reformandi, qui paulatim neglecta evangelicorum consiliorum observantia a pristinae virtutis gradu defecerant. Iter hujusmodi summa cum laude confecit Petrus Regalatus a Nobis nuper numero Sanctorum adscriptus; qui tot annos ingenti labore, incredibili austeritate vitae, miraque humilitate ac singulari prudentia Ordini suo Franciscano, qui quibusdam in locis a veteri splendore desciverat, reformando totus incubuit; et assiduo heroicarum virtutum studio eam assecutus est Sanctitatis laudem, quae et Seraphico Ordini esset exemplum, nec minus universae Ecclesiae ornamentum.

Hierosolymis Petrus una cum Joanne in vincula conjectus est, et ab Angelo bis solutus a vinculis, quibus hominum improbissimorum perfidia illum

obstrinxerat. Quid vero loquar vincula, flagella, lapides, naufragia, immissiones bestiarum, atque alia plurima, quae passus est Paulus, quaeque ipse ad Corinthios scribens enumerat, quamquam, ut Joannes Chrysostomus advertit, plura fuerint ab eo praetermissa, quam numerata? Adeo ut, etiamsi ei gladio mortem oppetere non contigisset, tot nihilominus acerba passus, quae illi vitam omnino eripere debuissent, nisi superstes divinitus extitisset, profecto inter Martyres computaretur. Hinc porro geminae Caelo januae patefactae sunt: altera iis, qui effuso sanguine pro Christo caesi sunt, et inter Martyres recensentur; altera vero iis, qui suppliciis, quae pro Fide fortiter passi sunt, superstites, jam olim Martyres vocabantur, nunc autem illustri Confessorum titulo decorantur. Hac altera via incessit Josephus a Leonissa, quem modo in Sanctorum Confessorum Albo retulimus. Hic per plures dies supplicium immane et exquisitum pro Christi nomine a Barbaris invicto animo toleravit, atque inter cruciatus acerbissimos Evangelium praedicare non destitit. Quibus expeditus nihil habuit antiquius, quam animas Christo evangelica praedicatione lucrari, suamque excelsarum omnium virtutum, quas heroicas dicimus, sublimitate sanctiorem in dies facere usque ad mortem, quam coram Deo pretiosam in pace obtinuit.

Commendavit Paulus in prima ad Corinthios virginitatis dignitatem, in cujus laude posuit multa, quae ab eo statu derivantur, emolumenta. Nullum tamen de virginitate praeceptum a Domino sese accepisse affirmavit, sed de illa tantummodo consilium se dare: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Haec autem Paulum Coapostolum secundum datam sibi sapientiam literis tradidisse, Petrus in epistola secunda contestatur. Consilium quoque Pauli fuit, praeter continentiam, orationem, jejunia, paupertatem, et obedientiam colere; quibus in rebus potissimum sita est vitae monasticae ratio, a primis usque Ecclesiae seculis tam in viris, quam in foeminis feliciter propagata. Recentiori vero memoria ad monasticam alia insuper accessit religiosorum hominum vita, eorum praesertim Ordinum, qui Mendicantes nuncupantur, in quibus non minus doctrina, quam sanctitate complures ex utroque sexu Ecclesiam mire illustrarunt. Tres jam inclytae foeminae, Catharina Senensis, Rosa de Lima, et Agnes de Monte Politiano ex Ordine B. Dominici solemni ritu sanctarum Virginum numero adscriptae sunt; ad quas et Nos Catharinam de Ricciis modo aggregavimus, claustrali vita tam illustrem, tam humilem, tam poenitentiae addictam, et a Deo maxime locupletatam iis caelestibus donis, quibus ipse animas sibi acceptas in terris quoque cumulare consuevit.

Tandem Apostolorum Actus pleni sunt novis et inusitatis miraculis, quae Deus ad manifestandam gentibus beatorum Apostolorum Petri et Pauli tum doctrinam, tum sanctitatem operari sibi complacuit. Enimvero nolumus illa conferre cum iis, quae Dominus agere dignatus est ad intercessionem et preces quinque Beatorum, quos modo solemniter inter Caelites recensuimus. Non

ignoramus, varia esse miraculorum genera, varios gradus. Verum si haec ad illa minus aequiparari valent, nihilominus haec quoque ita naturae vires excedunt, ut dubitari nullo modo possit, quin sint sanctitatis eorum, ad quorum merita facta sunt, luculentum expressumque Dei testimonium.

Ex iis, quae hactenus dicta sunt, satis apparet, quam apte in hoc ipso SS. Apostolorum Petri et Pauli laetissimo die hodiernae Canonizationis solemnia celebrentur. Nunc autem, quoniam prope Aram consistimus, sub qua eorumdem beatorum Apostolorum cineres et ossa jacent, quid aliud restat, nisi ut ad vos, gloriosi Apostolorum Principes, orationem nostram et preces humiliter convertamus? Tu quidem, beatissime Petre, Venerabilem hunc Clerum de Caelo respice, qui abs te originem ducit, quique nomini tuo devotus te perpetuo colit: Respice et Nos, qui in hanc principem omnium Cathedram a te institutam, et quae Ecclesiarum omnium unitatis est centrum, impares licet meritis, successimus. Tu vero, beatissime Doctor Gentium Paule, populum hunc, quem te prae ceteris diligere, tuoque cordi inhaerere, literis tuis significabas, peramanter respice. Ad vos enim, Parentes optimi, et amantissimi Urbis hujus Patroni, in tanta hujus diei celebritate, fiducia pleni confugimus, ut, vestris intervenientibus meritis, a Deo impetremus catholicae Fidei propagationem, Romanae Ecclesiae, quae sanguinis vestri pretio fundata est, exaltationem et sartam tectam Apostolicae hujus Sedis dignitatem, cujus vindices et propugnatores vos semper extitistis. Ad vos deinde convertimur, Fidelis, Camille, Petre, Joseph, et Catharina, quos modo nostro apud Deum intercessores fore solemni ritu declaravimus, quosque fidelibus populis tanquam praeclara virtutum exempla proposuimus: Vos quoque humili corde obtestamur, ut christianam Religionem, ut Fidem, ut denique Apostolicam Sedem apud Deum orationibus vestris tegere ac tueri dignemini; Nobis praesertim in aerumnis, quibus in diem conflictamur, et quibus Petri navicula jactatur, opem auxiliumque divinum implorantes. Spe magna nitimur, Deum, Vobis intercedentibus, Nos in medio mari periclitantes non relicturum. Habemus enim perpetuo ante oculos Petrum in mediis fluctibus super aquas maris a Domino ambulare jussum, et naufragio perire metuentem: Quem Augustinus advertens: In unda, inquit, exclamet titubans Petrus, et dicat: Domine, salva me. Porrigit enim Dominus manum; et quamvis increpet dicens: Modicæ fidei, ut quid dubitasti? tamen a fluctibus rapit, et confitentem infirmitatem suam, atque illius auxilium postulantem perire non sinit. Demum gloriosi Principes Apostolorum, Beatique nuper in Sanctorum Catalogum relati lenite iram Dei in furore suo terras arguentis: exorate omnipotentem Principem pacis, in cujus manibus sunt corda Regum, et sub quo curvantur, qui portant Orbem, ut christianos Principes diuturnis nimium dissidiis inter se decertantes in pristinae charitatis compagem restituat.

Statim ac Papa institutae Orationi finem imposuit; Cardinalis Diaconus Evangelii in Solii planitie, quo perrexerat ex Altari, Magistro Caeremoniarum Duce, eodem ac antea modo ad excitandam compunctionem cecinit: *Confiteor*, quo recedente Episcopus Cardinalis Assistens a Sanctitate Sua Indulgentias petiit his verbis: *Indulgentias Beatissime Pater*, acceptoque responso: *Consuetas hujus Actionis;* illico conversus ad Populum eas promulgavit alta voce legendo sequentem formulam.

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus Noster, Dominus BENEDICTUS *Divina Providentia Papa Decimusquartus dat, et concedit omnibus hic praesentibus Indulgentiam Plenariam: Visitantibus autem quotannis Sepulchra Sanctorum* FIDELIS, CAMILLI, PETRI, JOSEPHI, *et* CATHARINÆ, *die eorum natalitio septem annorum, et totidem quadragenarum in forma Ecclesiae consueta: Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctitatis Suae et sanctae Matris Ecclesiae.*

Post Indulgentiarum promulgationem Sanctissimus Dominus Noster sine Mitra stans Populo solemniter benedixit pronuntiata ex libro, quem sibi obtulerunt consueti Assistentes Ministri, generali absolutione: Tum Symbolum praecinuit, illudque cum Diaconibus sibi hinc inde Assistentibus voce submissa recitavit, quod cum Psaltae Palatini prosequerentur, sedit, eoque expleto surrexit iterum capite detecto, ut v. *Dominus Vobiscum*: caneret, ac Offertorium legeret. Postea consedit denuo pretiosa Mitra redimitus excepturus Postulantium oblationes.

Fuerant hae a Magistris Caeremoniarum inter Symboli cantum hoc ordine dispositae. Tres ad singulas oblationes Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales adhibiti sunt ex unoquoque ordine incipiendo ab Antiquioribus, ne iis quidem exceptis, qui assistebant Pontifici: idcirco tempestive evocati novissimi duo Diaconi in eadem Congregatione non adscripti, primis in Assistentiae munere substituuntur.

Singuli Cardinales juxta monitum eisdem transmissum duos secum habebant nobiles Familiares talari indutos veste pro cereis praegrandibus, aut panibus, vel doliolis comportandis; hi suo quique hero praeibant; eos vero antecedebant quatuor Servientes armorum argenteis clavis instructi. Unumquemque Cardinalem subsequebantur primores duo Patres ex Regulari illa Familia, cujus vel Alumnus fuerat Sanctus, vel Institutor. Uterque parvum cereum gestabat canistri loco, quem alter eorum alias portasset cum binis vel turturibus, vel columbis, vel aviculis versicoloribus; ab hac enim solemnitate hoc genus oblationis omnino tolli Sanctissimus Pater imperaverat. Quam ob caussam id vetuerit, investigator cupidus facile assequetur lectione laudatissimi ejus operis de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione. Singulae oblationes in singulis separatis mensis sive Abacis compositae erant, candidis obductae velis, ex quibus tollebantur ministerio Custodis earumdem a Moderatore Coeremoniarum de more destinati. Qui portaturi eas erant, supposita mappula linea ipsas deferentes, transeundo per mediam Theatri caveam ante Confessionem recta usque ad Papam contendebant, cui exhibitae cum fuissent, eas ad mensam iterum reportabant Acolythi Signaturae Justitiae Votantes cum Abbreviatoribus. Procurator Canonizationis Cardinalis Portocarrero, qui inter eundem incesserat ad sinistram Cardinalis Episcopi primae oblationi assignati, consistens in planitie Solii dextrorsum sex cereos parvos arabice pictos in unaquaque oblatione a Religiosis Patribus delatos Sanctitati Suae offerebat: Quilibet vero Cardinalis Episcopus duos tantum praegrandes arabice item pictos et praeterea effigie Sancti, gentilitiis insignibus Summi Pontificis, ac stemmate Religionis ornatos; Presbyteri autem Cardinales magnos panes duos, unum auro, alterum argento illitos, et supereminenti caelatura Pontificii ejusdem stemmatis ornatos; Cardinales tandem Diaconi doliola duo affabre sculpta pari ornatu, auro argentoque splendida. Quilibet Cardinales accepta de Familiarium suorum manibus dona Sanctissimo exhibebat, deosculando peracta oblatione ejus genu et manum; cum pedis tantum osculum reliquis permitteretur.

Ad primam igitur oblationem pro sancto Fideli a Sigmaringa directam a D. Francisco Diversini Caeremoniario, et ab intimo Suae Sanctitatis Sacello, selecti fuere Eminentissimi Cardinales Annibal Albanus sancti Clementis nuncupatus Episcopus Portuensis ac sanctae Rufinae, Dominicus Passioneus Tituli sancti Bernardi Presbyter, et Carolus de Marinis Diaconus sanctae Mariae in Vialata; Fr. Joseph Maria ab Interamna Minister Generalis Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum, Fr. Sigismundus a Ferraria Procurator et Commissarius Generalis, Fr. Maximilianus a Wanghena Definitor Generalis Causaeque Postulator, Fr. Benedictus a Masafra, Fr. Joannes Maria a Parma, et Fr. Cherubinus a Noves, et ipsi Definitores Generales praedicti Ordinis.

Alteram pro sancto Camillo, praeeunte D. Joanne Lucca altero ex Caeremoniariis, peregerunt Eminentissimi Cardinales Nicolaus Maria Lercarius Tituli sancti Petri ad Vincula gerens Episcopi vices, Silvius Valenti Tituli sanctae Priscae, et Alexander Albanus Diaconus sanctae Mariae ad Martyres; RR. PP. Joannes Dominicus Constantini totius Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Praefectus Generalis, Vincentius Micciulla Procurator Generalis, P. Franciscus Stolfini, et P. Thomas Sanchez ambo Consultores, P. Jacobus Maria Fabiani Arbiter et Secretarius Generalis, ac Pater Camillus de Romanis Provincialis.

Tertiam sancti Petri Regalati, ad quam assistebat D. Joannes Baptista Valeriani Caeremoniarius Supranumerum, attulerunt Eminentissimi DD. Cardinales Franciscus Burghesius Tituli sanctae Mariae Transtyberim pro Episcopo, Camillus Paulutius Tituli sanctorum Joannis et Pauli, et Nerius Corsinus sancti Eustachii Diaconus, RR. PP. Fr. Raphael a Lucagnano Ordinis Minorum Sancti Francisci Minister Generalis, Fr. Felix a Roma ex Vice-Commissarius Generalis Reformatorum, Fr. Benedictus Maria Galli Procurator Generalis Observantium, Fr. Alexius a Roma Procurator Generalis Reformatorum, Fr. Petrus Joannes Molina Procurator Generalis Recollectorum, et Fr. Vincentius Antonius a Caprarola Definitor Generalis.

In quarta pro sancto Josepho a Leonissa, viam demostrante D. Joanne Baptista Lizzani Supranumerum secundo Caeremoniarum Magistro, adfuerunt praeter Eminentissimos Cardinales Antonium Xaverium de Gentilibus Presbyterum sancti Stephani in Caelio Monte vices Episcopi Cardinalis supplentem, Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Tituli sanctae Mariae de Pace, et Marium Bolognetti sanctorum Cosmae et Damiani Diaconum, sex alii Ordinis Capuccinorum Patres dignitatis gradu praestantes, nempe, Fr. Philippus ab Ameria Provinciae Romanae Minister Provincialis, Fr. Bonifacius Romanus, Fr. Joannes a Collepardo, Fr. Franciscus Antonius a Fivizzano, Fr. Carolus Antonius a Vultrio Definitores Provinciales, et Fr. Gregorius Romanus Ex-Definitor, Causaeque Canonizationis beati Josephi Postulator.

Quintam demum sanctae Catharinae de Ricciis, ductore D. Francisco Manganoni tertio sacrarum Caeremoniarum Magistro Supranumerum, detulerunt pro Episcopo Eminentissimus Fr. Joannes Antonius Guadagni Cardinalis Tituli sanctorum Silvestri et Martini ad Montes, ac Eminentissimi Cardinales D. Fortunatus Tamburini Tituli sancti Matthaei in Merulana, et Prosper Columna de Sciarra sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus: absente Reverendissimo P. Fr. Thoma Ripoll Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, qui annos excesserat nonaginta, cereum primum detulit Reverendissimus P. Fr. Nicolaus Ridolfi Sacri Palatii Magister, alios vero RR. PP. Magistri Fr. Vincentius Maria Ferretti Procurator Generalis totius Ordinis, Fr. Josephus Augustinus Orsi Sacrae Congregationis Indicis a Secretis, Fr. Alexander Pius Sauli supremae Inquisitionis contra haereticam pravitatem, sive Sancti Officii Congregationis Commissarius, Fr. Antonius Bremond Provincialis Daciae, et Fr. Joannes Thomas de Boxadors Provincialis Aragoniae, Reverendissimo Patri Magistro Generali hoc in munere substitutus.

Summus Pontifex perceptis oblationibus lavit ex more manus, (ad cujus munus selectos Nobiles Laicos deduxere alternatim et D. Lucas Verdiani et D. Alexander Mariani novissimi Caeremoniarum Magistri) perrexit

ad Altare, ex quo data Pace iterum discedens Solium repetivit, in eo Communionem sub utraque specie ritu supremi Ecclesiae Hierarchae statuto sumpturus; quam quidem consuetudinem non esse mysterio vacuam, ex allatis a praecitato Justiniano Chiapponi Apostolicarum Caeremoniarum Magistro rationibus evidentissime constat.

Absoluta deinde Missa in Altari, et Pontificali Benedictione Populo impertita, deposito praeterea supra principem Aram Pallio descendit Papa ad sellam gestatoriam, quae ante Altare, nec longe ab eodem parata tunc fuerat. In ea compositus, tiara tectus chyrothecisque et annulo Pontificali denuo sumptis consuetum Presbyterium accepit ab Eminentissimo Archipresbytero Basilicae Annibale Cardinali Albano una cum duobus Canonicis Sacrario Praefectis, nempe RR. PP. Jacobo Vittori, et Joanne Francisco de Abbatibus Oliverio; eis vero ipse suismet sanctissimis manibus tradidit aureum Calicem et Patenam, non solum materia, sed opere conspicuam, quibus eo die Deo libaverat, ut essent perenne tam eximiae solemnitatis, suaeque pietatis erga divum Petrum Apostolorum Principem argumentum. Ac Presbyterio quidem, quod acceperat, in Clericos erogato, eoque multo splendidius repenso, rei tantae memoriam alio quoque monumenti genere testatam voluit, largitione nimirum novi Numismatis, quod novorum quinque Sanctorum repraesentabat imagines cum Epigraphe: *Univit, palmamque dedit.*

Posthaec EE. Cardinalium Senatu dimisso, divertit Sanctitas Sua in Tentorium extra Theatri ambitum de industria comparatum, ubi sacras vestes exuit.

Superest (a), ut agamus gratias Deo nostro super omnibus dispositionibus suis, quod infirmos nos novis hisce Ecclesiae suae voluit fulcire columnis; congratulemur et Sanctis, quibus magna fecit Dominus introducens eos in gloriam suam, ut Festivitas quae merito eorum virtutum hodie votiva impenditur, ipsorum nobis efficiatur meritis, et precibus salutaris.

Quod sponsum est supra, Protonotariorum Instrumentum hic accipito.

IN NOMINE DOMINI AMEN

Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Divina Providentia Papa XIV. omnibus iis, quae super solemnibus Sanctorum Canonizationibus peragenda a Summis Pontificibus Praedecessoribus suis in eorum Constitutionibus sancita sunt, rite peractis; tandem anno ab Incarnato Verbo millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae Anno sexto: Die vero 29. Junii Feria quarta, Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli hujus Almae Urbis Patronorum Principalium, in Basilica Vaticana, splendida ingentique pompa exornata, devenit ad solemnem Canonizationem beatorum Fidelis a Sigmaringa Ordinis Min. S. Francisci Capuccinorum, Camilli de Lellis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris, Petri Regalati Min. Observan. S. Francisci, Josephi a Leonissa Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum, et Catharinae de Ricciis Sanctimonialis Professae Ordinis S. Dominici.

Ad implorandum a Patre luminum lumen et consilium, necnon beatissimae semperque Virginis Mariae patrocinium, et aliorum Sanctorum et Sanctarum opem et auxilium in re tanti ponderis, quae profecto gravior, dignior et major est, quae peragi possit a Summis Pontificibus, cum in ea potissimum Vicaria Christi potestas, quam gerunt in Terris, elucescat, juxta consuetum Ordinem solemnemque Ritum praehabita fuit solemnis Supplicatio.

Sanctissimus Pontifex sacris Vestibus indutus ex Aula Paramentorum inter Eminentissimos DD. Cardinales Carolum de Marinis, et Alexandrum Albanum S. R. E. Diaconos antiquiores; ad Cappellam Sixtinam processit, et intonato Hymno: *Ave Maris Stella*: Primisque ejusdem Hymni versibus per Cantores Pontificios absolutis, Sedem Gestatoriam conscendit.

(a) *S. Bernardus Serm. de S. Malach.*

Praeeuntibus utroque Clero, Praelatorum Romanae Curiae Collegiis, Basilicae Vaticanae Poenitentiariis, Abbatibus, et Generalibus in Cappella Pontificia locum habentibus, Episcopis, Archiepiscopis Pontificio Solio Assistentibus, et non Assistentibus, et inter Sacrorum Rituum Consultores Patriarchis, et Eminentissimis denique S. R. E. Cardinalibus, omnibus juxta eorum Ordines sacris Vestibus indutis, et dextera manu accensum cereum gestantibus; Summus Pontifex Vaticanum Templum ingressus, et ea, qua par erat, reverentia, a Reverendissimo ejusdem Basilicae Capitulo exceptus, Cantoribus Capituli Antiphonam: *Tu es Petrus:* modulantibus, ante Altare Sanctissimae Trinitatis, ubi erat Augustissimum Sacramentum publicae Venerationi expositum, constitit, et e Sede Gestatoria descendens paulisper oravit; mox ad eandem Sedem reversus, delatus fuit (semper tamen supplicabundo ritu) usque ad principem Apostolorum Aram, brevibusque ibi precibus effusis, in Solio se recepit, et Eminentissimos Cardinales, Reverendissimos Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos Pontificio Solio Assistentes, et non Assistentes, necnon Poenitentiarios Vaticanae Basilicae ad Obedientiam admisit.

Obedientia expleta, Eminentissimus Dominus Joachimus Ferdinandus Presbyter Cardinalis Portocarrero a Sanctissimo Domino ad postulandam Canonizationem Procurator specialiter deputatus, necnon Illustrissimus Dominus Comes Virgilius Montecatinus Sacrae Consistorialis Aulae Advocatus ab eodem Sanctissimo Domino ad hoc pariter specialiter electus (uno ex Caeremoniarum Magistris eos admonente, et ducente) ante imum Pontificii Solii gradum constiterunt, et Dominus Advocatus Montecatinus in genua provolutus ejusdem Eminentissimi D. Cardinalis Portocarrero Procuratoris nomine, ut Beatis Fideli a Sigmaringa, Camillo de Lellis, Petro Regalato, Josepho a Leonissa, et Catharinae de Riccis cultus et Sanctorum honores decernerentur, Sanctitatem Suam instanter exoravit.

Illustrissimus Dominus Cajetanus Amatus Literarum Apostolicarum ad Principes a Secretis stans e sinistro Solii latere hujusmodi Postulationi, Sanctitatis Suae nomine respondit. Quod cum Sanctissimus Pater in tam gravi deliberatione lumen prius et auxilium de Sancto sibi implorandum censeret, ideo jubebat, quod omnes Ordines, totusque qui adstabat Populus cum Apostolico Senatu, Deum Optimum Maximum humillime deprecarentur, ut cor mentemque suam caelesti luce illustrare, et imperscrutabilis voluntatis suae beneplacitum aperire dignaretur.

Ad haec Summus Pontifex descendens e Solio flexis genibus ante Faldistorium procubuit, similiterque Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi ceterique omnes genua submiserunt ad orandum, et statim duo Cantores ante gradus Altaris Apostolorum, litanias Sanctorum cecinere, eisque absolutis, et Sanctissimo Domino Nostro ad Solium reverso, ibidemque composito:

Eminentissimus Cardinalis Portocarrero Procurator, et Dominus Advocatus Montecatinus ad imum Solii gradum, ut antea, Sanctitati Suae denuo sese obtulerunt, et Dominus Advocatus pariter Eminentissimi D. Procuratoris nomine pro eorumdem Beatorum Canonizatione rursus et instantius postulavit.

Sed a Domino Literarum Apostolicarum Secretario denuo Sanctitatis Suae nomine accepto responso: Quod Sanctissimus Pater antequam tanto operi supremam manum imponeret, pro majori animi sui illustratione mandabat, ut ferventius ad Deum preces iterarentur, statim novis precibus per Eminentissimum Dominum Cardinalem Diaconum indictis, hoc verbo: *Orate;* Sanctissimus Dominus iterum ad Faldistorium oraturus perrexit, universo quoque Venerabili Consessu in genua provoluto; et subinde Sanctitas Sua intonato Hymno: *Veni Creator Spiritus;* eoque a Cantoribus absoluto cum suo Verisculo: *Emitte Spiritum tuum:* cecinit orationem Spiritus sancti.

Sanctitas Sua ad Solium reversa tertiam demum et ultimam instantiam excepit a praedicto Domino Advocato Montecatino, qui Eminentissimi D. Cardinalis Portocarrero Procuratoris nomine, ut supra, Beatorum saepius praelaudatorum Canonizationem instantissime postulavit.

Et tertio pariter idem Dominus Literarum

Apostolicarum ad Principes Secretarius, Sanctissimi Domini Nostri nomine respondens, eidem Eminentissimo Domino Cardinali Portocarrero Procuratori, et Domino Advocato Montecatino Eminentiae Suae nomine postulanti, propensam paratamque Sanctitatis Suae ad solemnem Beatorum Canonizationem deveniendi voluntatem significavit, palamque fecit.

Tunc Sanctissimus Dominus consurgentibus Eminentissimis Patribus: erectis ad Caelum oculis nova quadam caelesti luce refulgentibus ex infallibili veritatis Cathedra, in qua Mitra adhuc insignitus considebat, prout et suprema Judicantis Vicarii Christi majestas, et rei quae peragebatur, gravitas pro dignitate postulabant, super formali eorundem Beatorum Canonizatione, alta, clara, plenaque Dei Spiritu voce ultimam suam definitivam Sententiam edidit et pronunciavit, et beatum Fidelem a Sigmaringa sanctorum Martyrum numero cooptavit, et beatos Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, et Josephum a Leonissa inter Confessores non Pontifices connumeravit, et beatam denique Catharinam de Ricciis Albo sanctarum Virginum, et non Martyrum adscripsit.

Incredibili sane universi Coetus laetitia, totiusque adstantis Populi exultatione recepta, et a Domino Advocato Montecatino acceptata Sententia a Sanctissimo Domino rite prolata, praefatus Dominus Advocatus Sanctitati Suae gratias agens immortales, ut super eadem Sententia solitae Apostolicae literae in forma Bullae expedirentur apud Sanctitatem Suam humiliter institit; ad cujus preces Sanctitas Sua clementer indulgens respondit: *Decernimus*: Et statim Eminentissimus Portocarrero Procurator gratias acturus Solium conscendit et in signum gratiarum, quas humiliter Sanctissimo Patri referebat, ejusdem manum et genu exosculatus, suis se Ordini et loco restituit.

Conversus interim Dominus Advocatus Montecatinus ad Nos Protonotarios Actioni praesentes rogavit, ut super praehabitis unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum vel Instrumenta ad perpetuam rei memoriam conficeremus; ad cujus instantiam ego Franciscus Maria Protonotarius Riccardi uti Protonotariorum Collegii Decanus, tum proprio, tum meorum Collegarum praesentium, et Collegii nomine respondi: *Conficiemus*: Et Sanctissimi Domini Nostri Papae Familiares et specialiter Illustrissimos DD. Paulum Zani Bononiensem, et Josephum Mariam Puoti Neapolitanum ab intimo Sanctitatis Suae Cubiculo, in hujus rei Testes vocatos adhibui his verbis: *Vobis Testibus*.

In tanti perfecti Operis gratiarum actionem Summus Pontifex deposita Mitra surrexit, et vix prima Hymni: *Te Deum*, verba cum cantu protulerat (reliqua Cappellae Cantoribus concinentibus), quod statim excitatis illic prius, et subinde ex Arce sancti Angeli obstrepentibus, et undequaque resonantibus per Urbem laetitiae signis, audivit, et nova haec laetata est Sion, benedicens Domino, quod eos, quos jamdudum in partem haereditatis suae vocaverat et admiserat in Caelis colendos, invocandos, imitandosque nobis nunc exhiberet in terris.

Emissa posthac ab Eminentissimo Cardinali Diacono Evangelium cantaturo Confessione, additis in ea nominibus Sanctorum nuperrime canonizatorum; Eminentissimus Carafa Episcopus Cardinalis Assistens Indulgentiam evulgavit: Plenariam videlicet pro omnibus illic praesentibus, et annorum septem et totidem Quadragenarum quotannis, eorundem Sanctorum sepulchra visitantibus.

Trina tandem Papali Benedictione solemniis Canonizationis absolutis, Sanctissimus Pater ad parvum Solium contendit, et dum Hora Tertia decantabatur, Pontificalibus indumentis et Insignibus de more exornatus, iterum, Sacris operaturus, ad Aram Apostolorum se contulit et Missam cecinit, servato in omnibus sacro solemni solito Ritu praeterquam ad Evangelium et ad Offertorium, quorum primo latine prius, ac deinde graece de more decantato, Sanctitas Sua singulari, qua pollet cum eximia pietate conjuncta doctrina luculentissimam Homiliam habuit, qua et de festo, qui sanctorum Apostolorum Petri et Pauli martyrio consecratus agebatur die, et de solemni Beatorum superius relatorum ab ipsa praehabita Canonizatione miro ordine, incredibili sermonis venustate, gravi sententiarum pondere, et ea quae summum An-

tistitem decet, dicendi majestate verba fecit, cunctis Venerabilis Consessus Ordinibus plaudentibus simul et admirantibus.

Secundo autem (Offertorio nempe) perlecto eadem Sanctitas Sua a quindecim Eminentissimis Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationi praepositis Oblationes per eorum nobiles Ecclesiasticos Familiares delatas exceptis, necnon ab Eminentissimo Cardinali Portocarrero Canonizationis Procuratore Oblationes alias minores quas Religiosi Viri Causarum eorumdem Sanctorum Postulatores deferebant.

Haec omnia peracta fuerunt in Basilica Vaticana, die, mense et anno quibus supra; et quia his omnibus dum peragerentur, Nos Protonotarii de numero Participantium interfuimus; ideo requisiti et rogati ut de illis unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum vel Instrumenta ad perpetuam rei memoriam conficeremus; praesens hoc publicum Instrumentum confecimus, subscripsimus et publicavimus, solitoque Collegii Nostri Sigillo muniri, et in nostro Archivio, ut perenne semper extet documentum, Secretario nostro perdiligenter asservari, et subscribi mandavimus. Actum ubi supra praesentibus, quibus supra Testibus ad praemissa vocatis, habitis, atque rogatis.

Ita est F. M. Protonotarius Riccardi Collegii Decanus.

Loco † Signi.

Franciscus Dominicus Clementi ejusdem Collegii Secret.

Literae Decretales de uniuscujusque Beati Canonizatione sub plumbo datae recensentur.

LITERÆ DECRETALES CANONIZATIONIS

B. FIDELIS A SIGMARINGA MARTYRIS.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Vinea electa, quam plantavit dextera Domini, cujus unica vitis Christus, tot autem palmites, quotquot in Christo radicati Fideles interiori gaudent ipsius vivificae nutritionis illapsu, providam circa se caelesti Agricolae curam et solicitudinem in eo potissimum experitur, quod omnes palmites non ferentes fructum, justo judicii rigore succidi et tolli; fructiferos vero atque feraces, ut fructum plus afferant, salubri ac pia severitate purgari, nunc quidem occulte persentit, nunc autem apertius atque evidentius agnoscit. Hanc sane aequabilem Divinae simul justitiae bonitatisque rationem manifeste agnoscimus in praeclaro beati Martyris Fidelis certamine; in quo et detestantes miramur eorum duritiam cordis, obcoecatam saevitiam, qui à felici, qua portabantur radice, sua culpa semel excisi, oblatam sibi a Domino pacem et gratiam pervicaciter repulerunt; Angelum vero pacis evangelizantem sibi bona, apprehensum et caesum occiderunt; et illius triumpho plaudentes gratulamur, qui in Dei et Ecclesiae charitate fundatus, post multos bonorum operum fructus, animam demum ac vitam suam, oblationem acceptam Domino meruit exhibere. Sicut enim illi vesano erroris spiritu in furorem acti, et sanguinem justi per summum scelus effundentes satis declararunt, nequaquam se ad Regnum dilectionis Filii Dei pertinere; ita dum gloriosus Martyr pro catho- A

A *Exordium.*

licorum Dogmatum integritate, et errantium Proximorum salute perpetuos labores, aerumnas, pericula, mortem denique ipsam fortiter subiit, profecto vitam suam non tam inimicorum ferro praecisam amisisse, quam veluti maturum caelestibus horreis fructum, in manus Dei deposuisse dicendus est.

Hunc itaque beatum Virum, catholicae Fidei praeconem, adsertorem, Martyrem, solemni judicio nostro, cum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, plurimorumque Archiepiscoporum, et Episcoporum Romae congregatorum consilio et assensu, agnitum atque probatum, Apostolica Auctoritate humilitati Nostrae divinitus concessa, universae Ecclesiae Dei colendum et venerandum proponimus: Qui Sigmaringae Constantiensis Dioecesis in Svevia Oppido, honesta Rojorum stirpe, catholicis piisque Parentibus ortus anno Domini MDLXXVII., et salutari lavacro tempestive regeneratus, innocenter exacta pueritia, et sequenti aetate in honestissimarum disciplinarum et scientiarum studiis cum laude transacta, nobilibus deinde Adolescentibus Italiam Galliamque peragrantibus comes et gubernator datus, sex ferme annorum spatio, tum eorum, tum propriae eruditioni et virtuti promovendae sedulam navavit operam. Mox utriusque Juris lauream Friburgi adeptus, advocati munus Ensishemii in Alsatia professus est. Verum quum ipsius animus desideriis secularibus neutiquam inhaerens, ad christianae perfectionis studium interiori Dei voce traheretur; turbulentas Fori controversias, atque suspecta negotia cito dimisit, seque Divinis obsequiis plenissime dedicaturus, sacris simul Ordinibus initiari, et in Religiosam Familiam Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum admitti postulavit. Utriusque voti compos effectus, post primum Missae Sacrificium die festo ejusdem S. Francisci religiosissime peractum, arctioris Instituti habitum atque rationem novumque Fidelis nomen (quum antea Marcus vocaretur) velut in auspicium praeclarae Fidei, quam Deo et Ecclesiae usque ad mortem praestiturus erat, assumpsit.

Evangelicae paupertatis, continentiae, obedientiaeque vota, ad quae toto constituti Tirocinii decursu, omnium virtutum exercitatione se comparaverat, eo spiritu emisit, ut semper hoc ipsum inter maxima erga se Divinae largitatis beneficia commemoraverit, quod ad ea profitenda vocatus fuerit et admissus. Quare de ipsorum implemento omni ex parte solicitus, et quum privatam Coenobio vitam ageret, Regularis vitae disciplinam summo studio atque humilitate servavit; et quum deinceps, ex obedientia, Conventus Veldkirchiensis regimini diu praefuit, consummatum se perfectionis Magistrum aliis etiam exhibuit; pro Dei gloria et animarum salute zelo flagrans, in exhortandis ad pietatem et concordiam Fratribus alacer, in corripiendis cum mansuetudine potens, in obeundis pro subditorum cura et levamine abjectis quibuscumque ministeriis laboriosus et humilis. De sua vero perfectione et salute super omnia solicitus, assiduus fuit in rerum Divinarum meditatione; ideoque ceteris, post nocturna precum et laudationum officia e Choro discedentibus, ipse in Ecclesia flexis genibus coram Sanctissimo Sacramento ad auroram usque in oratione Dei perseverare consuevit; insuper, praescripta Horarum Canonicarum psalmodia minime contentus, duo alia Officia, nimirum de beatissima Virgine Maria, et de S. Francisco Patriacha suo quotidie recitabat. Quod autem saepe a Domino flagitabat, ut sibi daretur vitam ab omni peccati labe immunem traducere, id, ut securius obtinere mereretur, corpus suum ciliciis aliisque voluntariis castigationibus afflictum perpetua fere inedia extenuabat, non ea tantum jejunia exactissime observans, quae ex legibus sui Ordinis maximam anni partem comprehendere dignoscuntur, sed iis etiam id ultro adjiciens, ut solemnibus Adventus et Quadragesimae jejuniis, et Sanctorum quorundam pervigiliis a quocumque obsonio abstineret, tum reliquis omnibus per annum Secundis, Quartis et Sextis Feriis so-

A *Sancti Fidelis ortus, et vita ante ingressum in Religionem.*
B *Capuccinorum Religionem ingreditur.* C *Ipsius virtutes.*

lis leguminibus victitaret: In Deiparae vero et Sanctorum Ordinis S. Francisci pervigiliis, pane tantummodo et aqua vesceretur; nec nisi sub vesperam plerumque cibo sese reficeret. Somno tandem ita parco utebatur, ut tribus, aut quatuor ad summum horis dormiendo transactis, reliquam noctis partem orationi, lectioni scribendisque concionibus tribueret.

A Quae quidem, atque alia plura interiorum virtutum exercitia quum Fideli Dei Servo assidua et perpetua fuisse, probatum fuerit; mirari satis non potuimus, quomodo idem, dilatatis charitatis suae spatiis, adeo se totum Proximorum saluti promovendae tradiderit, ut quasi nil aliud egisse, nil aliud cogitasse toto vitae suae tempore videatur. Quum enim a primis usque Religiosae professionis annis, exacto Theologiae curriculo, Sacramentalibus Fidelium Confessionibus excipiendis, et Praedicationi verbi Dei operam dare jussus fuerit, difficile dictu est, qua diligentia et labore, qua libertate ac zelo, qua contentione, quo fructu, eximias hasce Sacerdotalis officii partes omni tempore impleverit. Omnia vitiorum genera, pravas omnes consuetudines immaculatis christianae sanctimoniae legibus adversantes, qua fidelibus exhortationibus, qua liberiori voce, et mirabili quadam eloquentiae vi insectatus, novos populo mores induxisse visus est. Praecipuam vero curam studiumque adhibuit in investigandis Haereticorum impietatibus ac fallaciis, si quem forte aditum in Catholicorum animos, vel per seductorum fraudes et artificia, vel per Diaboli suggestionem, et ultroneam praesumptionis temeritatem, iis patefieri posse dubitaret; eisdemque profligandis, nec sua tantum opera, sed Magistratuum quoque ac Principum auctoritate, undequaque eliminandis fugandisque feliciter adlaboravit.

Denique charitatis suae plenitudinem ad externum quoque Proximorum levamen et auxilium extendens, omnes calamitosos paterno sinu complexus, Pauperum numerosos greges collectis undique eleemosynis sustentabat; Pupillorum ac Viduarum solicitudinem, comparata eisdem Potentiorum ac Principum ope, sublevabat; Carceribus inclusos, omnibus, quibus poterat, spiritualibus et corporalibus solatiis juvare; aegrotos quoslibet sedulo invisere, recreare, ac Deo conciliatos ad extremam subeundam luctam armare non desistebat. Quo quidem in genere nullam habuit uberiorem meritorum segetem, quam quum Austriacus exercitus in iis Regionibus stationes habens, epidemico morbo universim fere correptus, miserandum de se pabulum languoribus et morti praebebat. Tunc enim videre licuit, qua charitatis flamma succensus Fidelis esset, dum horrendas morborum et funerum species minime refugiens, aegrotos Milites singulatim invisere, solari, eorum ulcera contrectare, tabem et paedorem abstergere, cibos ac medicamenta ipsis suppeditare, denique Ecclesiae Sacramenta indefesso studio ministrare, in deliciis habuit.

Quum itaque sanctissimis Salvatoris Nostri exemplis atque praeceptis tam accurate insistens, duplici dilectionis spiritu se plenum ostenderet, id optimo jure assequutus est Fidelis, ut ad Apostolici muneris consortium, Divino consilio, Superiorum judicio, Romanae Sedis auctoritate adlegeretur; quo B tandem eximiae suae charitatis, cujus illustria diu dederat specimina, heroicum illum actum expleret, quo sane majorem nemo praestat, ut animam suam poneret pro Dei gloria et Proximorum salute. Quum etenim fel. recordat. Praedecessores Nostri Romani Pontifices Paulus V. et Gregorius XV. decrevissent, grassanti per conterminam Italiae Rhaetiam Haereticorum dogmatum contagioni, per Orthodoxae doctrinae praedicationem, salutaria admovere remedia, et validum simul aggerem, ne latius error propagaretur, objicere; visum est ex Capuccinorum potissimum Familia delectos Viros, ipso praeside ac duce Fideli, in hujusmodi opus designare, qui animas diabolica fraude deceptas ad Ecclesiae gremium revocare; eas vero, quae Dei beneficio a pestifera labe adhuc servabantur intactae, in sanctae Religionis Fide conservare niterentur.

A *Charitas erga Proximum singularis.* B *Missionibus in Rhaetia praeficitur.*

Hic vero excelsa Fidelis virtus, quae antea velut angustis conclusa limitibus se continuerat, tanquam latissimo sibi aperto ad currendum stadio, totam se exseruit et plenissime manifestavit. Nec enim assequi dicendo possumus, quo animi fervore ac zelo, quam invicta patientia atque constantia, quam assiduis durisque laboribus, impositum sibi munus fuerit executus; nunc stantes in fide confirmans, nunc nutantibus opportune succurrens; hic lapsos ad poenitentiam revocans, illic obfirmatos in impietate cum omni fiducia increpans et impugnans; non modo in Catholicorum Ecclesiis, sed in ipsis quoque Haereticorum Ædibus, per vicos praeterea atque plateas, per domos et rusticana tuguria, per aspera et invia montium, in sudore et angore, in fame et frigore et nuditate, in periculis et vitae discrimine; itaut admirabilis zeli, sanctitatis, atque doctrinae testimonium ab ipsis etiam stupentibus Haereticis extorqueret.

Excitabat eum ad praeclaros exantlandos labores, non modo suscepti officii sublimitas, et uberrimus animarum fructus, quem in multis quotidie Haereticis ex omni ordine atque aetate ad Ecclesiae sinum redeuntibus aperte cernebat; verum etiam occultà quaedam et blanda spes illius obtinendi finis, quem multo ante sibi propositum, et votis ardentibus expetitum, vix tamen se aliquando assecuturum fore putaverat, ut scilicet dignus efficeretur pro nomine Christi sanguinem et vitam profundere.

Et quidem non diu tulit humani generis hostis, hunc sibi virum tot praedas e faucibus eripere, dumque fiduciam conceperat, novas in dies Nationes, nova Regna in suam potestatem se redacturum, jam fere sibi ab acquisitis imperio suo terris migrandum esse. A Videns ergo Fidelem plura quotidie ad destructionem erroris, et Catholicae veritatis propagationem utiliter constituere, ejusque consilia incredibili populi voluntate, auctoritate quoque Principis in tota Regione constabiliri, nonnullos ex pervicacissimis impietatis sectatoribus diabolico furore complevit; misitque in cor eorum, ut Virum Dei, profanorum dogmatum ritnumque destructorem, Apostolicae Missionis ducem de medio tollerent. Qui quum novissent eum in quodam Oppido, Luceyn nomine, commorari, miserunt ad ipsum aliquos ex vicino B Seviensi Pago, qui pietatem verbo simulantes rogarent eum, ut proximo die Dominico, ad eorum Ecclesiam concionaturus se se conferret; ostendentes haud inutilem apud ipsos fore salutaris doctrinae praedicationem. Quamvis autem multa essent, quae insidiarum suspicionem Fideli merito facerent; ne tamen Apostolico muneri aliqua ex parte deesse videretur, quum praesertim martyrii certamen sibi nequaquam declinandum putaret, constituta die, quae fuit VII. kalend. Majas anno salutis MDCXXII., eorum salutis cupidior quam vitae suae, ad praefatum Seviensem Pagum tempestive perrexit: Cumque in primis omnipotenti Deo immaculatam Hostiam obtulisset, seque Eucharistici Panis alimento roborasset, Divini ardoris incendia spirans, suaque voluntate jam Martyr, suggestum conscendit: In quo quum instantis mortis praesagium invenisset in haec verba conscriptum: *Hodie praedicabis, et non amplius:*; non ideo tamen formidine fractus, nec de concepto zeli fervore quidquam remittens, coepit frequentissimo populo libera voce, ut solebat, veritatem annunciare, hortarique errantes, ut redirent ad Ecclesiam intemeratae Fidei alumnam, nutricem beatae spei. Cum subito armatis hominibus Templum completur, qui impetu facto, insanisque clamoribus elatis, Concionem perturbant, cumque omnes in unum Fidelem arma, fustes, tela dirigerent, quidam ex ipsis ignito globulo exploso, irrito quamvis ictu, eundem trajicere conatur. Tum demum Fidelis extremam sibi vitae horam adventasse conspiciens, e cathedra descendit, et ante majorem Aram in genua provolutus, quum se, vitam, et sanguinem suum in holocaustum Deo lubens obtulisset, suumque agonem, Ecclesiae pacem, ipsos demum persecutores suos, crudelia corda, cruentos animos Domino commendasset, scuto Fidei et lorica spei armatus, per ostium e latere Ecclesiae

A *Persecutio in eum excitatur.* B *Ipsius Martyrii narratio.*

patens, ad non dubiam mortem impavidus properavit. Qua in re non minor apparuit illius magnanimitas et fortitudo, quam si atrocissimos cruciatus, atque diuturnos dolores corpori suo inustos fortiter patienterque tolerasset. Quis enim putet minorem viam adhibitam esse homini, cujus animo praesentis mortis aspectus, perspicuum caedis periculum, non sine tumultu horrendisque minis objectum est; quam si ipsius corpus afflictum fuisset tormentis atque vulneribus, quae fortes saepe viri naturali quadam virtute constanter tulisse memorantur? Veruntamen hanc fortitudinem Militi suo donavit is, qui pro illo prior in Cruce sanguinem fudit.

Vix itaque Fidelis e Templi foribus modico spatio processerat, quum impiorum manus cum gladiis, hastis, ferratisque fustibus eum circumsistunt, ac furentium belluarum more in ipsum irruentes, vulneribus supra viginti confodiunt, atque immanissime contundunt. Ille autem sereno vultu horrendos ictus excepit, sublatisque quantum poterat in Caelum oculis, laetus et hilaris, quod sibi datum esset pro Ecclesiae Fide gloriosam mortem occumbere, in manus Dei, cui omnia vivunt, spiritum exhalavit.

A Invicta Fidelis in perferenda morte constantia, christianaque animi magnitudo, cujus non suspecti testes facti sunt ipsi Sicarii, Haereticos quoque in admirationem traxit, et alicujus ex ipsis mentem ita illustravit, ut paulo post ex magistro erroris discipulus fieret veritatis. Catholici vero, quibus et illius vitae sanctitas, et praedicationis veritas, et pretiosae mortis causa perspectae erant, minime dubitarunt Fidelem ipsum Martyris loco habere, ejusque opem apud Deum in angustiis et necessitatibus implorare. Itaque septimo post mense concisas Fidelis exuvias ex eo loco, ubi primum humatae fuerant, ad Ecclesiam Curiensem triumphali veluti pompa, Austriacis comitantibus copiis, atque universo Clero et Populo obviam prodeuntibus, detulerunt. Neque vero distulit Altissimus, editis signis atque prodigiis, ostendere quam accepta sibi essent praestita Martyri suo obsequia, et vota fidelium ipsius interventioni commendata. Etenim ille idem Archiducis Austriae Exercitus haud ita multo post contra rebellantes illius Regionis Haereticos arma ferens, non occulto dumtaxat Fidelis praesidio, sed et ipsius visibili ductu, quem et complures Milites, et ipsemet Haereticorum Dux clarissima in luce strictoque gladio sibi minitantem conspexerunt, insignem de perduellibus victoriam reportavit. Cumque innumeri quotidie fideles, qui se Martyris precibus commendabant, in rebus etiam naturae vires praetergredientibus votorum compotes fieri se testificarentur; eaque fama per universam Ecclesiam in dies magis augeretur; visum est Apostolicae Sedi, instante potissimum Venerabili Coetu S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, (qui, post eam Congregationem constitutam, primum hunc ex Missionariis a se ablegatis pro Christo mortem oppetiisse gloriabantur), legitimas Inquisitiones atque Processus auctoritate Apostolica confici; ut, si de Fidelis martyrio pro catholicae Fidei causa perpesso, et juxta tutissimam Ecclesiae Romanae disciplinam de miraculis praeterea ipsius intercessione a Deo patratis rite constitisset; debitus ipsi cultus in terris cum Sanctis Martyribus, quorum consortium in Caelis obtinuerat, ab Ecclesia exhiberi posset.

Coepta sunt igitur usque a temporibus fel. record. Praedecessoris Nostri Urbani Papae VIII., eoque annuente et jubente, hujusmodi Inquisitionum Acta, quae per integrum fere seculum continuata, tandem instantibus clar. memor. Carolo VI. Hispaniarum Catholico, et Romanorum Rege in Imperatorem electo, et Charissima in Christo Filia Nostra Elisabetha Christina earundem Hispaniarum Catholica ac Romanorum Regina Illustri, nunc ipsius Caroli Vidua, aliisque supremis Principibus, nec non praedicta Congregatione S. R. E. Cardinalium de Propaganda Fide; magnoque numero Antistitum et Procerum Germaniae, totoque praefato Ordine Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, sub piae memoriae Benedicto Papa XIII. similiter Praedecessore Nostro ad examen dedu- B

A *De fama Sanctitatis, et Miraculorum S. Fidelis.* B *Actorum series.*

cta., et primo quidem pro validis agnita, mox ad eruendas Martyrii et Miraculorum praedictorum probationes, totius Congregationis Sacrorum Rituum judicio subjecta fuerunt. Cumque Nos ipsi tunc in minori statu Promotoris Fidei munus gerentes, pro officii nostri debito, quaecumque super duplici hujusmodi judicii capite animadverti aut objici poterant, diligentissime adnotare, et tam voce, quam scripto deducere non omiserimus; triplici ipsius causae examine, ut moris est, in praedicta Congregatione Sacrorum Rituum praemisso, idem Benedictus Praedecessor, audito ejusdem Congregationis consilio, causaque cognita, die XXIV. Februarii anni MDCCXXIX. pronunciavit, constare de Martyrio in odium Fidei catholicae a FIDELI perpesso, ac de veritate quatuor potissimum Miraculorum ad invocationem ipsius beati Viri a Deo editorum; quorum primum fuit, quod exorto in Arce Majenfeldensi maximo incendio, eoque inter aptissima ignis alimenta, ligna nimirum et pyrii pulveris cumulos increbrescente, invocata apud Deum Fidelis ope, statim restinctum fuit: Secundum, quod Monialis quaedam, nomine Caecilia Munsingerin, horribili inflammatione mamillae cum suspicione cancri plures jam dies excruciata, admotis gloriosi Martyris Reliquiis, perfectam sanitatem illico recuperavit. Tertium, quod oculus Infantis Pauli Francisci Papussin a primis ipsius vitae diebus humore diffluens, apertoque foramine, et pellicula superinducta, excipiendae luci jamjam ineptus, quum a medica facultate auxilium frustra quaereretur, concepto a Matre voto in honorem ipsius Fidelis, naturali integritati restitutus fuit. Quartum denique, quod Gaspar Stigher ob quinquennales dorsi dolores ad omnem fere corporis motum impotens factus, quum se Fidelis patrocinio commendasset, ad tactum mucronis, quo Dei Servus confossus fuerat, momento temporis convalescens, non itineri modo, sed et rusticis quibusque laboribus ipsa die se dedit, integris viribus exinde utens. Quare audito iterum praefatae Congregationis consilio super tuto progressu ad formalem ipsius Servi Dei Beatificationem, idem Benedictus Praedecessor per suas Literas in forma Brevis datas die XXI. Martii ejusdem anni ipsum Fidelem in Beatorum Martyrum numero recenseri, ejusque memoriam, imagines, atque reliquias religiose coli, Divina quoque Officia, et Missas in ipsius honorem a Fratribus Minoribus praedicti Ordinis Capuccinorum, universoque Clero nonnullarum Civitatum et Oppidorum celebrari permisit.

Cum autem Beati gloria novorum prodigiorum fama, et impensiori fidelium cultu in dies amplificaretur, et praefati Supremi Principes, et S. R. E. Cardinales, aliique per Orbem Antistites et Proceres, idemque Capuccinorum Ordo pias super eo instantias iterarent, placuit fel. record. Decessori nostro Clementi Papae XII., non solum Lectiones proprias de ipsius beati Fidelis vita et martyrio a praedicta Sacrorum Rituum Congregatione recognitas in ejusdem Officio recitari, ejusque nomen in Martyrologio Romano describi; sed etiam reassumpta causa, noves auctoritate Apostolica Processus instrui concessit super Miraculis, quae post indultam ipsi venerationem accidisse dicebantur: Cumque hujusmodi Processus ante omnia rite et valide confectos esse constiterit; ex quatuor Miraculis inibi recensitis, et in praedicta Congregatione Sacrorum Rituum semel, bis, tertio, audito semper oretenus et in scriptis dilecto Filio Promotore Fidei, examinatis, duo praecipue reperta sunt plenissimis probationibus testata, et omnem naturae vim excedentia; quae quum deinde Nos ipsi privatis studiis accuratissime discusserimus, ea tandem, invocato saepe Divini Luminis auxilio, solemni Decreto nostro, die XVIII. Januarii anni MDCCXLIV. in Festivitate Cathedrae beati Petri Apostoli edito approbavimus et publicavimus. Unum eorum accidit dilecto Filio Fr. Candido a Mediolano Sacerdoti professo praefati Ordinis Minorum Capuccinorum, qui epileptico morbo per decennium laborans, postremo infirmitatis suae anno nullam fere diem, nullam

A *Decretum de martyrio, et causa martyrii.* B *Miracula pro Beatificatione approbata.* C *Solemnis Beatificatio.* D *Causa reassumitur pro Canonizatione.* E *Nova Miracula pro Canonizatione approbata.*

noctem, ab iteratis gravibusque ejusdem morbi accessibus liberam habuerat; et stomachi temperie labefactata cibum retinere non valens, corporis viribus adeo destitutus remanserat, ut in lectulo projectus ne cibum quidem manibus suis ori admovere posset. Hic post inutilem plurium medicamentorum usum beati Fidelis opem implorans, ejusque Imaginem a Confessario sibi benedicente oblatam devoto mentis affectu veneratus, perfectam sanitatem corporisque vires ac robur, nulla interjecta convalescentiae mora, recuperavit; itaut ipsa die communis Instituti observantiam resumere, et plurium milliarium iter peragere non dubitaverit, deindeque laboriosis quibusque officiis obeundis idoneus, et a quocumque praedicti morbi incursu exemptus extiterit. Alterum evenit in puero Josepho Kirner, qui antequam per aetatem pedibus suis incedere posset, dira rachitide in inferioribus corporis partibus correptus, eaque jam per triennium perseverante, nullo modo poterat cruribus pedibusque se substentare; Cum autem ipsius Mater ad beati Fidelis Aram supplex eum detulisset, ab omnipotenti Deo obtinuit, ut statim consolidatis ipsius basibus, relictisque fuleris, quibus corpus regere consueverat, per se ambulans et exiliens Domum redierit, ac deinceps libero pedum et crurium usu gavisus fuerit.

A His itaque novis miraculis, ut praediximus, cognitis et approbatis, quum jam beati Martyris glorificatio ipsius Dei voce manifeste declarari videretur, accepto prius consilio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, aliorumque in praedicta Sacrorum Rituum Congregatione suffragium habentium, Spiritus sancti lumine nostris aliorumque precibus implorato, tandem die XXIV, mensis Aprilis ejusdem anni MDCCXLIV. ipsius gloriosi Martyrii anniversaria, post sanctum Sacrificium Deo oblatum in Ecclesia Fratrum Capuccinorum ad Altare, in quo expositae erant ejusdem beati Fidelis Reliquiae, publicum Decretum edidimus, quo causam hanc in praefata Congregatione absolutam denunciantes, ad solemnem ipsius Beati Canonizationem servatis servandis quandocumque procedi posse declaravimus.

Pro cujus Decreti exequutione, quum praeter superius enunciatos, Charissima quoque in Christo Filia Nostra Maria Teresia Hungariae et Bohemiae Regina Illustris, in Romanorum Imperatricem electa, aliique catholici Principes et Populi, Ecclesiarumque Pastores demissas Nobis preces obtulissent, Nos, ut in tanto negotio nihil contra Sanctionum et Constitutionum Apostolicarum statuta, et tutissimum Praedecessorum nostrorum morem ageremus, primum quidem congregatis coram Nobis die XVIII. elapsi B mensis Aprilis in Consistorio secreto universis Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, de praeclaris beati Viri meritis verba fecimus, et adhibitas in hujus causae discussione, ad normam Decretorum Apostolicae Sedis, exactissimas diligentias, prolataque tum a Nobis, tum a Praedecessoribus nostris, ut praefertur, matura judicia Nos ipsi distincte exposuimus: Cumque eorum unanimis sententia fuerit, ut supremam gravissimo judicio manum, servata tamen consueta in hujusmodi causis tractandis Ecclesiae Romanae praxi, tandem imponeremus; Ideo accitis ad Urbem compluribus Ven. Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis per Ecclesias constitutis, uberem primo Relationem de ipsius Beati vita, virtutibus, martyrio, ac miraculis in publico Consistorio coram Nobis uni- C versoque Ecclesiasticorum Ordinum consessu, per dilectum Filium Virgilium Montecatinum nostrae Consistorialis Aulae Advocatum oretenus exponi; mox aliam ex authenticis monumentis praedictae Congregationis Sacrorum Rituum collectam scriptoque traditam, omnibus et singulis, quorum suffragia exquirebantur, exhiberi mandavimus. Deinde die VIII. currentis Junii, coactis ite- D rum coram Nobis in Consistorio semipublico praedictis S. R. E. Cardinalibus, tum etiam Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis in Romana Curia praesentibus, adstantibus quoque Apostolicae Sedis Notariis, et Causarum

A *Decretum de tuto processu ad Canonisationem.* B *Consistorium Secretum.* C *Consistorium Publicum.* D *Cardinalium et Episcoporum suffragia in Consistorio semipublico.*

Palatii Apostolici Auditoribus, praedictorum consulentium suffragia, et quidem omnia in unum sensum pro Beati Canonizatione convenientia laetantes audivimus; quorum etiam exempla a singulis subscripta in Tabulariis Romanae Ecclesiae jussimus asservari. Nos autem infirmitatis nostrae conscii, ut spiritum consilii de Caelo nostris atque fidelis populi precibus obtinere mereremur, generalibus indictis jejuniis, publicas in designatis per Urbem Ecclesiis obsecrationes plurium dierum spatio, concessa etiam in eum finem orantibus Indulgentia, fieri praecepimus.
A Tum adveniente hac die Apostolorum Petri et Pauli natalitio dicata, solemni supplicationis ritu ad Ecclesiam beati Petri in Vaticano procedentes una cum omnibus praedictis Ven. Fratribus Nostris ceterisque Romanae Curiae et nostrae Aulae Praelatis, Officialibus et Familiaribus, universoque Clero Seculari et Regulari, et devotissimo Populo divinam opem advocantibus; auditis iterum enixis christianorum Principum, Ecclesiarum et Populorum postulationibus, quas Nobis repraesentavit dilectus Filius Noster Joachimus Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum ejusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Portocarrero nuncupatus; post sacros Hymnos, Litanias aliasque preces de more decantatas, ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, ad Fidei catholicae exaltationem, et christianae Religionis augmentum auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, et de praemissorum omnium Ven. Fratrum Nostrorum consilio et assensu, praedictum Fidelem a Sigmaringa Sacerdotem Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de cujus vita sancte traducta, et morte pro catholicae Fidei propagatione perpessa, deque miraculis ipsius intercessione patratis plenissime constabat et constat, Sanctum Christi Martyrem esse pronunciavimus, et sanctorum Martyrum Catalogo adscriptum ab universa catholica Ecclesia honorari et coli decrevimus, definivimus, et respective mandavimus; In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Omnibus quoque Christifidelibus, qui singulis annis die XXIV. Aprilis vere poenitentes et confessi Ecclesiam Cathedralem Curiensem, in qua sacrum Martyris Corpus asservatur, devote visitaverint, septem annos et totidem Quadragenas de injunctis eis, seu alias debitis poenitentiis, eadem auctoritate misericorditer in Domino relaxantes. B

Mox omnipotenti Deo cum Angelis et Sanctis ejus humillimam gratiarum actionem, demissasque preces per ipsius Sancti merita offerentes ad sacram beati Petri Apostoli Confessionem sacrosanctum Missae Sacrificium cum commemoratione ejusdem sancti Fidelis martyris, nec non sanctorum Camilli, Petri, et Joseph Confessorum, sanctaeque Catharinae Virginis a Nobis pariter Sanctorum Albo rite adscriptorum solemniter celebravimus, ac denique humilitatis in conspectu Domini Fidelibus cunctis ibi praesentibus plenariam omnium peccatorum Indulgentiam largiti fuimus.

Gratulemur igitur invicto orthodoxae Religionis Praeconi, cui donatum est pro Christo non solum ut crederet in eum, sed etiam ut pateretur pro eo, atque ita per momentaneum tribulationis certamen ad aeternum Beatitudinis triumphum perveniret in Caelis, ubi eum pro catholicae Fidei dilatatione, et pro temporum nostrorum tranquillitate, apud Auctorem pacis nostrae, et consummatorem Fidei suae deprecatorem fore confidimus.

Ut autem praemissa omnia perpetuae futurorum temporum memoriae commendentur, Nos ea praesentium Literarum Apostolicarum tenore in omnium per universum C Orbem notitiam deduci volumus; mandantes, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat pagi- D nam hanc nostrae definitionis, decreti, ad-

A *Solemnis Canonizatio.* B *Indulgentiae.*
C *Praesentium transumptis auctoritas tribuitur.* D *Sanctio.*

scriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

A Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI., III. Kalendas Julii, Pontificatus Nostri anno VI.

✠ Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ Sigilli.

† *Ego T. Episcopus Ostien. et Veliternen. Card. Rufus Decanus, et S. R. E. Vice-Cancellarius.*

† *Ego A. Episcopus Portuensis Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.*

† *Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Petra, Major Poenitentarius.*

† *Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.*

†

† *Ego V. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.*

†

†

†

†

†

†

† *Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.*

†

†

†

† *Ego F. Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.*

† *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presbyter Card. Gentili.*

† *Ego Fr. J. A. Tit. SS. Silvestri et Martini Presbyter Card. Guadagni.*

† *Ego T. Tit. S. Caeciliae Presbyter Card. de Acquaviva.*

† *Ego D. Tit. Basilicae Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*

† *Ego J. B. Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Card. Spinula.*

†

†

†

†

† *Ego R. Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.*

†

†

† *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*

† *Ego S. Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.*

†

† *Ego J. F. Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.*

† *Ego C. Tit. SS. Joannis et Pauli Presbyter Card. Paulutius.*

†

† *Egó C. A. Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.*

†

†

†

†

†

†

†

† *Ego F. Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Card. de Ricciis.*

† *Ego A. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.*

† *Ego C. Tit. S. Mariae de Ara-Cáeli Presbyter Card. Calcagnini.*

† *Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.*

† *Ego F. Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Card. Tamburini.*

† *Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besozzi.*

†

†

†

†

†

†

†

A *Dat Pontificatus Anno VI. die* 29. *Junii* 1746.

† *Ego Carolus S. Mariae in Via-Lata Diaconus Card. de Marinis.*
† *Ego Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Albanus.*
† *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*
† *Ego Agapitus S. Agathae Diaconus Card. Mosca.*
†
†
† *Ego C. S. Mariae in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*
† *Ego M. SS. Cosmae et Damiani Diaconus Card. Bolognettus.*
† *Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*
† *Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.*
† *Ego A. S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. Tanari.*
† *Ego H. S. Adriani Diaconus Card. Bardi.*
† *Ego D. SS. Viti et Modesti Diaconus Card. Ursinus.*
†

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA
de Curia I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

LITERÆ DECRETALES CANONIZATIONIS

B. CAMILLI DE LELLIS CONFESSORIS.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

A Misericordiae studium, caelestis Patris exemplo, inculcatoque saepius Salvatoris nostri praecepto commendatum, Discipulos Christi Ecclesiaeque Filios ab omnibus humanarum Societatum Sectatoribus ita discernit, ut qui dilectionem habuerint ad invicem, ii demum supereminentem omni scientiae disciplinam percepisse, ii vere ad Regnum Filii Dei pertinere dignoscantur. Haec charitatis lex non lapideis Israelitarum cordibus insculpta, non levitico generi haereditate transmissa, non Aaronis stirpi cum Sacerdotii praerogativa tributa fuit, sed in Fidelium cordibus per Spiritum sanctum suaviter copioseque diffusa, sicut alienigenam Samaritanum languenti Judaeo proximum fecit, ita universas Orbis Terrae Nationes Fraternitatis vinculo inter se copulavit. Per hunc dilectionis spiritum vere renovata est facies Terrae; dum genus humanum, peccatorum et consequentium poenarum vulneribus sauciatum, non amplius hanc lacrymarum vallem pro exilii atque supplicii loco, sed pro charitatis exercitatione, ac beatae peregrinationis diversorio habere coepit; humanaeque infirmitates jam inter unius Corporis membra communes redditae, patientibus quidem factae sunt in expiationem delictorum, et causam salutis aeternae; compatientibus vero meritorum augmentum, et obtinendae sibi, quam aliis praestitissent, misericordiae fiduciam attulerunt. Hoc spiritu de Caelo repletus superiori seculo beatus Camillus de Lellis piam calamitosorum omnium, praecipue vero aegrotantium curam in se suscepit, quosque nec patriae, nec sanguinis conjunctione ullo modo attingebat, urgente charitate Christi, plusquam paternis fraternisque officiis complecti et sublevare, proprium sibi munus assumpsit. Quin etiam quum se videret, nec ad omnes ubique in tribulatione constitutos, nec ultra praefinitum sibi vitae cursum, ad futuras aetates operam studiumque suum extendere posse; propagato in alios ejusdem spiritus sui fervore, iisque perenni charitatis nexu, et Religiosi voti proposito obligatis, spiritualem ac temporalem Infirmorum curam ipsis perpetuo commisit et commendavit. Cujus quidem beati Viri virtutes, quum ad illud perfectionis fastigium, quod huma-

A *Exordium.*

na ratio, et naturae vires assequi nequeunt, Dei gratia pertigisse constiterit; ejusque Sanctitatem omnipotens Deus, illustribus editis miraculis, in conspectu filiorum hominum magnificare dignatus fuerit, Nos eum merito ex hac veritatis Cathedra, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Romana Curia frequenti numero congregatorum assensu et consilio, Ecclesiae universae colendum et venerandum, Populis invocandum, Fidelibus cunctis imitandum proponimus, et praesentium literarum tenore denunciamus.

A Natus est is Buclanici Theatinae Dioecesis Oppido in Marrucinis Anno Domini MDL. non sine futurae Sanctitatis praesagiis, quum Mater, quae ipsum provecta jam aetate conceperat, visa sibi in somnis fuerit Puerum peperisse, Crucem in pectore gestantem, et Chorum ducentem aliorum complurium Cruce similiter signatorum. Quibus tamen auspiciis minime respondit Camilli adolescentia, ab eo in vitiis, maximeque in effuso alearum lusu traducta, cum valetudinis, fortunarum, et famae dispendio; ut etiam probrosa paupertate adactus, abjectissimis primum ministeriis a natalium suorum conditione alienissimis, in Nosocomio Incurabilium de Urbe, mox laboriosae Militiae in Venetorum Castris, denique in Sipontino Fratrum Capuccinorum Conventu famulatui se addicere compulsus fuerit; ubique inconstans, ubique sibi aliisque gravis, nunquam tamen a miserentis Dei longanimitate desertus, qui et eum semper a profundiore abysso, a blasphemiarum scilicet impietate, aleatoribus adeo familiari arcere dignatus fuerat; et tandem ostensurus in eum divitias misericordiae suae excitavit ipsum aliquando a somno mortis, et in manu potenti et brachio extento a perditionis via ad salutis tramitem revocavit. Cum enim quadam die iter agens Camillus, accepta quondam fastidientibus auribus piarum exhortationum verba solus secum recoleret et quasi ruminans animo volutaret, interiori luce subito perculsus, ac peccatorum suorum conscientia, divinorumque judiciorum timore perterrefactus humi B se prostravit, nec inde prius surrexit, quam anteactae vitae crimina vehementissimo doloris actu detestatus, de custodiendis in posterum justificationibus Domini immutabiliter constituerit. Ex eo tempore novus homo factus Camillus, non modo ab omni vitiorum genere deinceps abstinuit, sed ad sublimiorem christianae perfectionis metam contendere coepit. Sancti Francisci habitum in Ordine Fratrum Capuccinorum Siponti induit. Sed veteri ulcere, quod olim in tibia contraxerat, identidem recrudescente, bis a dolentibus Superioribus dolens dimissus, ab hac sibi charissima arctioris vitae semita deflectere coactus est.

Romam reversus, vetus Hospitium suum, S. Jacobi scilicet Domum, Incurabilium nuncupatam repetiit, ac Deo sic disponente, ejusdem bonorum administrationi praefectus fuit. Quo in munere quum se Camillus non tam hominibus quam Deo servire cogitaret; maxima sedulitate ac diligentia, Infirmorum necessitatibus sublevandis se totum dicavit. Sed quum ea in re non satis sibi obsecundare videret eos, qui temporali mercede conducti in ipsius Nosocomii ministeriis adhibebantur, secum cogitare coepit quomodo ferventiores Operarios praestantioribus propositis spiritualium meritorum praemiis compararet. Communicavit consilium hac de re suum cum S. Philippo Nerio tunc in humanis agente, a cujus praeceptis nutuque pendebat; quo approbante atque hortante, cum paucis primo ejusdem Nosocomii Ministris, mox cum ampliori piorum Fidelium nume- C ro, Sodalitatem quandam instituit Laicorum hominum, qui se Divinis obsequiis, et aegrotantium curae, in ipsa primum S. Jacobi Domo, pro Dei amore et futurae vitae mercede manciparunt, et contempta propriorum commodorum ratione, superatisque Divino praesidio invidorum calumniis, in Instituto constanter perseverantes, brevi tempore extra praedictam quoque Domum charitatem suam dilatarunt; cumque proprium sibi do-

A *S. Camilli ortus, et adolescentia.* B *Ipsius ad Deum conversio, et sanctioris vitae initia.*
C *Societatem instituit Ministrantium Infirmis.*

micilium in Urbe constituissent, inde ad omnium pauperum aegrotantium levamen tam in Nosocomiis, quam in privatis Domibus accurrentes, incredibilem Urbi universae utilitatem attulerunt. Haec autem utilitas tunc major evasit, quum multis Ecclesiasticis Viris Camillo se se adjungentibus, ipsoque Camillo de praedicti S. Philippi directoris sui consilio, post exacta in Scholis Collegii Romani singulari humilitatis exemplo Literarum studia, ad sacrum Presbyteratus Ordinem promoto, spiritualis non minus quam temporalis vitae subsidia aegrotis quibusque praestare coeperunt. Ea re permotus sapientissimus Pontifex Sixtus Papa V. Praedecessor noster per suas Literas Apostolicas datas apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii anni MDLXXXVI. hujusmodi Institutum, omnipotentis Dei atque ejus pauperum aegrotorum famulatui dicatum, ac voluntariae paupertatis, castitatis, et obedientiae proposito, nulla tamen voti sponsione adstrictum, collaudans atque commendans perpetuo approbavit et confirmavit sub denominatione *Congregationis Ministrantium Infirmis*, eidemque complura Indulta et Privilegia tam in spiritualibus, quam in temporalibus benigne concessit; inter quae illud specialibus Literis die XXVI. Junii ejusdem anni datis indulsit, ut illius Sodales pro habitus proprii distinctione Crucem fulvi coloris ad latus dextrum vestium suarum assutam deferrent. A

Sed quum hujusmodi Congregatio paucorum annorum decursu, Camillo praeside et promotore, non solum fructuosior evaderet, sed et spectabilium Virorum numero aucta, ad ampliorem Domum S. Mariae Magdalenae de Urbe in Regione Columnae translata fuisset, omniumque eidem adscriptorum jam sensus esset, ut sub prudentissimis Legibus et Regulis ab eodem Camillo praescriptis, ac solemni paupertatis, castitatis, et obedientiae professione, in perenni ministerio aegrotantium, ne excepto quidem pestiferae contagionis casu, Religiosam vitam degere optarent; exhibitis felicis recordationis Praedecessori pariter nostro Gregorio Papae XIV. hujusmodi Regulis, iisque examinatis et approbatis, placuit eidem Gregorio praefatam Congregationem in Ordinem Regularem erigere sub nomine et nuncupatione *Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis*; ejusque Professores in quibuscumque locis tunc et deinceps commorantes, sub immediata et speciali sua et Apostolicae Sedis protectione perpetuo susceptos, amplissimis gratiis et privilegiis de Apostolica liberalitate ditare; prout in ipsius Gregorii praedecessoris Literis, datis apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicae MDXCI. Kalen. Octobris plenius atque distinctius continetur. B

Ex hac nova charitatis schola, mirum quanta in omnium ordinum homines, tum corporum tum animarum praecipue utilitas dimanavit. Non jam aegrotantes ad morborum aerumnas, solitudinis ac derelictionis moerorem accessisse doluerunt: Non jam transactae vitae reatibus gravati imminentis mortis discrimen absque peccatorum expiatione subire timuerunt: Non jam humani generis adversarius miseros mortales in extremis laborantes infesta rabie circumsistens, eos a susceptorum Sacramentorum robore imparatos, aut Fidelium exhortationum solatio et subsidio destitutos invenit. Reddita Nosocomiis mundities, allevati Ministrorum labores, animarum Pastores ubique adjuti, in anxietatibus, curis et solicitudinibus sublevati; ut minime sit mirandum, tot hujus Instituti Domos, et tunc modico temporis intervallo per Italiam universam, per Siciliam aliasque remotiores Provincias, et deinceps per Europae totius Regiones, plaudentibus Civibus, Episcopis adnitentibus, erectas esse; in quibus cum magno populorum fructu et emolumento viget eximiae charitatis spiritus per Camillum in ipsius Filios atque Discipulos diffusus et propagatus. C

Ipse vero saluberrimi operis institutor atque promotor, cum omnes quas aliis tradiderat, christianae perfectionis Leges exa- D

A *Societas plurimum aucta, a Sixto V. confirmatur et privilegiis ditatur.*
B *Eadem in Congregationem Regularem erigitur a Gregorio XIV.*
C *Ejus Congregationis utilitas, et fructus.* D *S. Camilli Fundatoris Virtutes.*

ctissime implevit; tum eam praecipue, quae plenitudo Legis est, Dilectionem: Cujus profecto Nobis datum est, ex collectis de ipsius vita et rebus gestis, certissimis monumentis, tam sublimitatem atque profundum, quam latitudinem longitudinemque dignoscere.

A Sublimis profecto charitas, quae a Deo procedens, et in Deum ipsum se referens, creata omnia, quae aliis inordinatae cupiditatis fomenta esse solent, vel tamquam pietatis in Deum argumenta, vel tamquam occasiones misericordiae in Proximos exercendae unice intuebatur. Hinc, quum ex omnibus rebus, quaecumque ipsius sensibus obversabantur, nova quotidie amandi laudandique Creatoris incitamenta sumeret, novas charitatis flammas conciperet; in assiduos de Deo sermones, in flagrantissimos Divini Amoris actus, non sine lacrymis identidem erumpebat; tantoque cor ejus aestuabat ardore, ut sensibilem aliquando lucem e vultu suo radiantem emitteret; et nihilominus ingemiscens, quod se infinitae bonitati pro merito diligendae imparem agnosceret, infinitas sibi animas dari voluisset, quas in Dei amore totas impenderet. Hoc desiderio incensus, ad operosa ministeria Proximis praestanda eo spiritu accedebat, ut omnipotenti Deo, quem in pauperibus intuebatur, obsequium aliquod pro viribus exhiberet; ab eaque cogitatione nunquam mentem animumque avertebat. Itaque caelestem fere vitam in Terris ducens, nonnumquam visus est per mirabiles ecstases a sensibus omnino alienatus, totoque corpore in aere elevato ac suspenso, beatorum spirituum consortio sese miscere: Unde et eorum ope ac praesidio complura Vitae discrimina mirabiliter evasit; et S. Philippi Nerii testimonio compertum est, Angelos ipsius Sociorum lateribus, dum Infirmis ministrarent, adstantes apparuisse. Sed et aliis supernaturalibus donis a Deo cumulatus, spiritu prophetiae, gratia curationum, et mirabili in naturae leges imperio, adhuc vivens, innumera caelestis favoris, quo fruebatur, argumenta dedit.

Ab ea tamen virtutum suarum, et supernorum charismatum sublimitate oculos declinans Camillus, eosque in propriae humilitatis profunditate libentius defigens, nec unquam oblivione captus purgationis veterum suorum delictorum, saepe se inter omnes peccatores pessimum appellabat, seque indignum qui inter homines viveret, ac destinatum aeternis ignibus titionem intimo animi sensu profitebatur; ex quo sane humilitatis fonte prodierunt assidua, quibus corpus affictabat, poenitentiae ac mortificationis exercitia; praecipue vero demissus ille mentis habitus, quo pauperibus et aegrotis, quos sibi in Dominos adsciverat, in abjectis et laboriosis quibusque officiis sine requie ministrabat atque inserviebat. Neque vero ob praeclaram, Deoque et hominibus acceptissimam Religionem a se fundatam, sapientissime administratam, latissimeque propagatam, ullo modo efferebatur; quinimo delatum sibi forte Fundatoris nomen refugiens, ipsam quoque Ordinis Praefecturam, quam per XXVII. annos in omni patientia et solicitudine gesserat, tandem, firmato jam ipsius statu et regimine, humiliter a se abdicavit et sponte dimisit; ut ita cum eo, a quo didicerat mitis esse et humilis corde, fratribus suis jam dicere posset: *Ego autem in medio vestri sum, tamquam qui ministrat.* Qua tamen ex re iidem novam utilitatem sunt consequuti; dum ab ipso Ordinis moderatore, a quo sapientissimas leges atque vivendi Regulas ad eum diem acceperant, deinceps etiam perfectae subjectionis et obedientiae formam ipsius exempla intuentes desumere potuerunt. B

Sed jam videamus, qua latitudine dilatatum sit cor ejus, ut charitatis suae fructus ad omnes Proximos in tribulatione et angustia positos derivaret. Quo in genere non hic omnia recensenda ducimus, quae Camillus assidue pro Pauperibus sustentandis, alendis, hospitio accipiendis, pro Virginibus tuendis et collocandis, pro Viduis ac Pupillis defensandis sublevandisque gerebat. Unum pro C

A *Pietas in Deum.*

B *Humilitatis et poenitentiae studium.*

C *Charitas erga Proximos, maxime infirmos.*

cunctis opus, quod sibi suisque Alumnis proprium et praecipuum sumpserat, ut aegrotantium animabus corporibusque succurreret, immensam prope illius charitatis amplitudinem satis demonstrat. Quis enim tota Urbe infirmabatur, cum quo commiserationis affectu non infirmaretur Camillus? Ad quem non accurreret, ac vel ipse praesens inserviendo et consolando usque ad extremum adesset, vel subrogatis Sociis, desideratam opem afferret? Quem reperit inopia pressum, aegritudine prostratum, aut nimio mortis metu perterritum, cui non opportuna corporis animique subsidia contulerit, eumque in aeternae salutis fiduciam erexerit? Quem vitiis atque peccatis irretitum, vel Religionis mysteria et dogmata ignorantem, quin eum ad melioris vitae propositum, ad Divinae bonitatis sinum reducere studuerit, vel in doctrina Fidei et in lege Domini erudierit? Quin etiam constat, aliquos Haereticos in Urbe morbo correptos, Camilli charitate et comitate devinctos, ejusque instructionibus atque hortationibus illustratos, adjuvante Divina gratia, Ecclesiae catholicae restitutos fuisse.

Quibus in rebus quum per omnes Urbis Regiones ac Domos magni ipsius fuerint et quotidiani labores; tum vero in publicis Xenodochiis, et potissimum in Hospitali Domo Sancti Spiritus in Saxia illius opera adeo assidua fuit, ut ibi cogitationum atque studiorum omnium scopum, ibi veluti perpetuam vitae suae sedem collocasse videretur. Ibi non solum Famuli et Inservientes, sed ipsi quoque Praepositi viderunt eum in omnis officii ministerio sibimetipsis praeeuntem, quaeque inter plures dispertita sunt munera, eumdem unum omnia amplectentem, ac mira sedulitate obeuntem. In eo habuerunt aegroti quidquid homines fere ab amicis, propinquis, parentibus desiderare consueverunt: Nec major est amantissimae Matris solicitudo erga unicum languentem filium, ea quam Camillus singulis quibusque aegrotantibus praestabat; eorum desideria praevertens, eorum solatium, commodum, munditiem, ac potissimum animae expiationem, rectamque Sacramentorum perceptionem procurans; In eos vero peculiariter intentus, a quibus ceteri vel contagionis metu, vel morborum nausea et horrore refugiebant, eos ipse ultnis amplexari, fovere sinu, suisque vestibus tegere non recusabat. Ibi saepe laboriosas noctes laboriosissimis diebus continuavit, nec ulcerati cruris, nec gravis herniae incommodo et dolore detentus, nec cibi, nec somni, nec requietis memor, non semel ob extremam corporis defatigationem, spirituum deliquio captus in terram semianimis corruit.

Reliquum erat, ut praesenti experimento proposito, videretur, an Camilli charitas A
ad illum quem cum Sociis professus fuerat, gradum revera pertingeret, ut nimirum aegrotis Fidelibus, quos etiam pestis incessisset, opem et ministerium praestaret. Et quidem quatuor vix annis post indultam novo Ordini Apostolicam confirmationem invasit Urbem contagiosa lues, cum extrema Annonae caritate conjuncta, ut duplici clade perculsa Civitas, funeribus, luctu, vastitate completa fuerit. Alios morbi vis, alios inopia et fames, plurimos desperatio et horror ad mortem ducebant; omnes vero metus, ac praesens vitae periculum, ad salutem et securitatem alibi conquirendam, vel saltem discrimini non objiciendam adigebant. At vero Camillus propria incolumitate vitaque contempta, minime dubitavit cum suis Alumnis pro salute publica se devovere. Itaque visus est, non modo publicis omnibus Nosocomiis sine intermissione adesse, ac miseris aegrotantibus opera, consilio, exhortationibus opem ferre; verum etiam incredibili solicitudine privatas quaslibet Domos ingredi, quandoque etiam, si occlusae essent fores, adhibitis scalis per fenestras penetrare; remotissima quaeque loca, obscuras cryptas, immunda stabula anxie circumire; languentes, afflictos, inedia dejectos conquirere, atque omnes quibuscumque poterat, subsidiis juvare, ac reficere; eorum plagas curare, tabem abstergere, sordes eluere, lectos purgare: Praeterea novum aperuit Xenodochium in ipsa Religionis suae Domo; alterum in Regione Caelimontana ad sanctum Sixtum;

A *Grassante peste in Urbe, quid praestiterit Camillus.*

alterum quoque ad Clivum Capitolii in via Rhedarum nuncupata constituit; illucque aegrotos undique comportari curavit, complures etiam propriis sublatos humeris ipse detulit; per omnes denique Urbis vastissimae Regiones alacer opera, voce, animo praesto fuit, ut non sine causa judicatum fuerit, clementissimum Dominum, qui etiam in ira sua misericordiae recordatur, deliberato in Urbem flagello opportunum levamen per Camillum, ejusque propositi Sectatores opponere voluisse.

A Ea tempestate sedata, ecce biennio post, novum calamitatis genus novam Camillo praebuit occasionem ardentissimae charitatis suae erga periclitantes Proximos ostendendae: Quum scilicet Tiberis aquarum copia plus nimio auctus magnam Urbis partem inundasset, jamque adjacentes sancti Spiritus Ædes invadens inferiora ipsius cubicula occupasset; commotus tanto Infirmorum periculo Camillus, in medias aquas prosiliens coepit aegrotos ipsos, eorumque grabatos humeris suis alio transferre, nec prius ab opere cessavit, quam immenso trium dierum labore in tuto omnia collocata conspexerit.

Quod si, veritatis aeternae testimonio, majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis; quid ni heroicam agnoscamus fuisse charitatem Camilli, qui minime detrectavit pro Pauperibus Christi vitam saepe suam in manifestum discrimen adducere, nec unquam animam suam pretiosiorem fecit ea cujus desiderio flagrabat, Proximorum salute?

Neque vero unius Romanae Urbis ambitu
B se continuit ipsius dilectionis amplitudo, sed alias quoque Regiones ac Civitates complexa est, ad quas Instituti sui fructum utilitatemque propagavit; Italiam vero universam fere benefaciendo peragravit, mirifica charitatis opera ubique exercens, omniumque necessitatibus opportune succurrens. Mediolanum, et Nolam Urbes, pestifera contagione grassante, quo tempore alii earum Urbium commercia omni ratione vitabant, quin etiam earum Cives alio evolare posse cupiebant, ultro ingressus est Camillus, dilectionis ignem in sinu portans, atque utrobique admiranda illa virtutis exempla, quae Roma olim conspexerat, pari omnium ordinum admiratione renovavit. Buclanicum Patrium Oppidum, ut audivit Annonae difficultate graviter afflictum, illico Roma eo se contulit, suosque Cives impensis providentiae et charitatis officiis, illustribus quoque impetratis a Deo prodigiis, mirifice recreavit.

Denique inextinctam charitatis suae flam C
mam usque ad exitum vitae, usque ad metam praeclari cursus feliciter perduxit; cumque diuturno triginta trium mensium languore, lentaque et molesta febri probatus fuisset, praenunciatum sibi caelitus mortis diem animo concupiscenti praestolando, nil aliud praeter Dei et Proximi dilectionem in corde et in ore habens, nil aliud Sociis ac Discipulis suis commendans, tandem Ecclesiae Sacramentis pie et religiose susceptis, die XIV. Julii anno salutis MDCXIV., aetatis suae LXV. ad regnum perfectae charitatis migravit.

Nec dubitarunt quicumque ipsius laborum agnovere certamina, quin ipsi coronam justitiae reddidisset justus Judex; qui etiam, editis potentiae suae signis, devota frequentis populi ad ejus funus confluentis officia sibi accepta esse monstravit. Cumque de hujusmodi Miraculis, ac potissimum de perspecta Servi Dei sanctitate, universalis fama et constans hominum judicium esset, cito deventum est ad legitimorum Processuum constructionem, quibus Ordinaria primum, mox etiam Apostolica auctoritate confectis, eorumque validitate approbata, post maturum omnium examen iteratis vicibus resumptum, Nobismetipsis olim pro munere Promotoris Fidei, quod gerebamus, minutissima quaeque dubitationis capita proponentibus, tandem a felic. recor. Praedecessore Nostro Benedicto Papa XIII. cum consilio Congregationis Sacrorum Rituum judicatum est, constare de Camilli Virtutibus in gradu heroico; D
ut patet ex Decreto ab eo edito die XXIV. Julii Anni MDCCXXVIII.

Mox examinatis in eadem Congregatione

A *Quid exundante Flumine.* B *Quid aliis in Civitatibus et Oppidis.*
C *Ipsius sancta mors.* D *Heroicae Camilli Virtutes juridice approbantur.*

Miraculis, quae post Camilli obitum, ejusdemque intercessione evenisse dicebantur; hujusque examinis summa ad Nos ipsos in
A Petri Cathedra jam sedentes delata, post invocatam Divini luminis opem ac reiteratam collectarum probationum considerationem visum est Nobis, duo potissimum ex novem propositis indubitanter approbanda esse; unum nimirum de enormi Polypo in naribus cujusdam Puellae Viterbiensis suborto, et plures jam menses pervicaciter permanente, qui ex solo contactu fili subuculae Servi Dei penitus evanuit. Alterum de lethali morborum congerie, maligna scilicet febri, pulmonum et pleurae inflammatione, gutturis etiam ulcere, quibus Catharina Dondula sexto jam mense uterum ferens, correpta et ad extremum vitae Medicorum etiam judicio deducta fuerat, sed omnia solo haustu aquae, in qua comminutus fuerat pulvis e cubiculo Servi Dei collectus, illico depulsa fuerunt, itaut aegra non modo sanitatem, sed pristinas etiam vires momento temporis recuperavit. Quae quidem Miracula quum Nos Decreto edito die XXVI. Septembris Anni MDCCXLI. approbata publicaverimus, mox praefatae Congregationis consilium audierimus super Beatificationis honoribus eidem Dei Servo tuto deferendis, die demum secunda Februarii Anni MDCCXLII. in Festivitate Purificationis beatissimae Virginis Mariae, quo die olim Camillus superni luminis radio illustratus ad bonam frugem conversus fuisse perhibetur, aliud Decretum protulimus de ejusdem formali Beatificatione peragenda; cujus solemnia deinde in Basilica
B Principis Apostolorum de Urbe rite celebrata fuerunt vigore Literarum Nostrarum Apostolicarum die VII. ejusdem mensis et anni sub Annulo Piscatoris editarum.

Indultam beato Viro venerationem, ac summo Fidelium studio eidem exhibitam nova subsequuta sunt Miracula, quae manifestam Dei voluntatem de ipsius glorificatione
C in Terris augenda ostendere videbantur. Tribus itaque Episcopis ad inquirendum super hujusmodi Miraculis auctoritate Nostra Apostolica de more delegatis, cognitaque Processuum ab ipsis confectorum validitate, ex tribus Miraculis in praedicta Sacrorum Rituum Congregatione accuratissime discussis, audito ut par erat, Peritorum judicio, novisque inquisitionibus super sanationum obtentarum perseverantia legitime peractis, duo potissimum tanquam approbatione nostra digna Nobis proposita fuerunt, quae quum revera privatis nostris studiis adhibitis, et invocato lumine Spiritus sancti, clarissima in luce posita esse judicaverimus, die prima Maji superioris anni MDCCXLV. Decreto nostro approbavimus et publicavimus.

Primum est sanatio Luciae Teresiae Petti D
Puellae ex Oppido Caprarolae, quae quum ab ipsa nativitate ob pravam Thoracis structuram magna respirandi difficultate laborasset, et procedentibus annis, ingravescente Asthmate, accedentibus purulentis et sanguineis excretionibus, ac summa virium prostratione, externo quoque contracto gibbo, gravem sibi aliisque vitam haud longe protrahere posse ostenderet: in maxima morborum hujusmodi intensione, quum invocata beati Camilli ope, aquam bibisset praefato pulveri admixtam, unius noctis spatio a morbis omnibus expedita, et perfecta valetudinis firmitate donata fuit.

Alterum est instantanea sanatio Margaritae Castelli duodeviginti annorum Puellae ex Oppido Marini, quae ob vitium sanguinis ab utero Matris contractum malignis pustulis saepe afflicta, tandem earum numero in immensum aucto, itaut universum ipsius corpus unica crusta, sanie taboque manante coopertum appareret, acuta quoque febri superveniente, omnique amissa motus et sensuum facultate jamjam expiratura judicabatur; quum subito imposita ipsi Imagine beati Camilli, ac brevi prece ab ipsius Sorore et Matre emissa, velut a somno mortis excitata perfecte convaluit, corpus repente detumuit, crustae deciderunt, reliquit eam febris; itaut e lecto statim surgens, integer-

A *Miracula pro Beatificatione approbata.*
B *Solemnis Beatificatio.* C. *Causa reassumitur.*
D *Miracula pro Canonizatione approbata.*

rimis viribus incedere et operari potuerit, neque deinceps inveteratae hujusmodi affectionis incommoda amplius perpessa fuerit.

A Consulta deinde fuit eadem Sacrorum Rituum Congregatio, an rebus ita se habentibus, ad solemnem beati Camilli Canonizationem tuto procedi posse censeret; omnibusque Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus eandem Congregationem constituentibus, necnon dilectis Filiis ejusdem Congregationis Consultoribus in partem affirmativam consentientibus, Nos deinde matura ponderatione praemissa, ac ferventibus Deo oblatis precibus, tandem anno superiore die XVII. Augusti, illius diei anniversaria, quo inscrutabilis Divini consilii altitudo Nos immerentes ad Summi Pontificatus apicem evexit, publico Decreto edito hujusmodi Congregationis sententiae Nos quoque adhaerere declaravimus.

Urgebant vero pro hujus Decreti implemento non solum communia fidelium Populorum, ac in primis dilectae Urbis nostrae vota, sed et enixae preces ac supplicationes antedictae Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus, et olim clar. mem. Philippus III., et Philippus IV. Hispaniarum Reges Catholici, plurimique Ecclesiastici et Secularis Ordinis Proceres apud Praedecessores nostros Romanos Pontifices suas preces adjunxerant, et suas nuper postulationes Nobis humiliter exhiberi mandaverant Carissimus in Christo Filius noster Carolus utriusque Siciliae Rex Illustris, ejusque Conjux Carissima in Christo Filia nostra Maria Amalia utriusque pariter Siciliae Regina Illustris et cum aliis pluribus Antistitibus et Principibus, dilecti Filii Nobiles Viri Neapolitanae Civitatis Electi. Quapropter communicato consilio cum universo Collegio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E.

B Cardinalium in Consistorio secreto die XVIII. elapsi mensis Aprilis coram Nobis habito, hisque similiter, audito a Nobismetipsis Causae statu ac meritis, ad ulteriora, servatis servandis, progrediendum esse suadentibus; Nos demum convocatis per Literas compluribus Ven. Fratribus Archiepiscopis et Episcopis per Ecclesias constitutis, eorum quoque suffragia, ut in tanti momenti judicio fieri consuevit et decet, audire deliberavimus.

Itaque expositis primum in plenario publicoque praedictorum S. R. E. Cardinalium, Antistitum omniumque Ordinum Romanae Curiae Consessu, per dilectum Filium Julium Caesarem Fagnanum nostrae Consistorialis Aulae Advocatum, ejusdem B. Camilli gestis, Virtutibus et Miraculis, iisdemque praeterea in summaria Relatione ex monumentis praedictae Sacrorum Rituum Congregationis fideliter desumpta una cum Actorum serie, praedictorum omnium judicio subjectis; die decima currentis Junii eosdem S. R. E. Cardinales, et Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos universos coram Nobis in Consistorio semipublico congregatos, adstantibus de more dilectis Filiis Sedis Apostolicae Notariis et Causarum Palatii nostri Auditoribus requisivimus, an ad solemnem ipsius Beati Canonizationem deveniri posse censerent; cumque omnes unanimi sensu id a Nobis praestandum esse suaderent, exhibitis quoque in scriptis per singulos suffragiis, quae in Romanae Ecclesiae Tabularium inferri jussimus; Nos quidem tunc eos omnes hortati sumus, ut pro impetrando Nobis superni luminis adjutorio, suas Deo preces offerrent; mox generalia per Urbem jejunia indiximus, designatisque Ecclesiis cum Indulgentia ab omnibus Christifidelibus Nobiscum orantibus consequenda, iteratis etiam Sacrificiis, Deum omnipotentem precati sumus, ut sedium suarum assistricem sapientiam ad illuminandas mentis nostrae tenebras emittere dignaretur.

Demum adveniente hac die beatorum Apostolorum Petri et Pauli Martyrio consecrata, in splendidissimo Ecclesiae Romanae jubilo, praecedentibus cum prece omnibus Cleri Secularis et Regularis Ordinibus, et subsequentibus Aulae nostrae, et Curiae Of-

A *Decretum de tuto processu ad Canonizationem.*
B *Consistorum Secretum.* C *Consistorium Publicum.*
D *Cardinalium et Episcoporum suffragia in Consistorio Semipublico.* E *Solemnis Canonizatio.*

ficialibus atque Ministris, frequentissima Consacerdotum corona stipati, ad sacram beatissimi Apostolorum Principis memoriam in Vaticano solemnis supplicationis ritu processimus: Ubi exhibitis Nobis iterum a dilecto Filio nostro Joachimo Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali Portocarrero nuncupato, praedictorum supremorum Principum et Procerum, Ecclesiarumque, et Congregationis Clericorum Regularium precibus et obsecrationibus, Dei nomine cum gemitibus invocato, ad laudem sanctae et individuae Trinitatis, ad Triumphantis Ecclesiae gloriam, et Militantis consolationem atque praesidium auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, ac de congregatae Fraternitatis, ut supra diximus, assensu et consilio praedictum Camillum de Lellis Dioecesis Theatinae Sacerdotem, Fundatorem Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, de cujus praecellenti Fide et charitate ceterisque Virtutibus in gradu heroico, necnon de Miraculis ipsius intercessione a Deo patratis plenissime constabat et constat, Sanctum esse definiendo pronunciavimus, et pro Sancto ab omnibus habendum atque colendum ediximus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; omnibusque Christifidelibus, qui singulis annis die XIV. A Julii vere poenitentes et confessi Ecclesiam S. Mariae Magdalenae de Urbe Congregationis praefatae Clericorum Regularium, in qua ipsius Sancti Corpus religiose asservatur, devote visitaverint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias debitis poenitentiis, eadem auctoritate in perpetuum misericorditer relaxavimus. Denique in obsequium omnipotentis Dei decantato Laudis et Confessionis Hymno, incruentam salutis nostrae Hostiam ad Altare Confessionis beatissimi Petri Apostoli in spiritu humilitatis obtulimus cum commemoratione etiam ipsius S. Camilli Confessoris, necnon Sanctorum Fidelis Martyris, Petri, et Josephi Confessorum, et Catharinae Virginis, quos pariter Sanctorum Albo rite adscripsimus, omnibusque ibi praesentibus plenariam peccatorum Indulgentiam largiti fuimus.

Exultet igitur Ecclesia sancta Dei, et jucundetur in Domino, qui secundum promissiones suas sanctitatis et dilectionis spiritum in ea conservat et fovet. Excitentur Fideles ad praeclara Sancti hujus persequenda vestigia, ut ipsius mereantur suffragiis adjuvari; qui quum in illo Regno Beatitudinis in quod neque luctus neque dolor ingreditur, non habeat, cui assueta misericordiae suae exhibeat officia, nos hic in tantis angustiis et calamitatibus constitutos sua intercessione sublevare, et flagella Divinae iracundiae a nobis lubens studebit avertere.

Ut autem praemissa omnia ad consolationem et eruditionem Christianae plebis ubique innotescat, Nos ea praesentium Literarum Apostolicarum tenore et auctoritate, publicanda atque edicenda esse censuimus; mandantes, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. B

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. C

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI., III. Kalendas Julii, Pontificatus Nostri anno VI. D

✠ Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ Sigilli.

† *Ego T. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Rufus Decanus, et S. R. E. Vice-Cancellarius.*

A *Indulgentiae.* B *Praesentium Litterarum exemplis auctoritas tribuitur.*
C *Sanctio.* D *Dat. Pontificatus Anno VI. die 29. Junii 1746.*

† *Ego A. Episcopus Portuensis Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.*

† *Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Petra, Major Poenitentiarius.*

† *Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.*

†

† *Ego V. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.*

†

†

†

†

†

†

† *Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.*

†

†

†

† *Ego F. Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.*

† *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presbyter Card. Gentili.*

† *Ego Fr. J. A. Tit. SS. Silvestri et Martini Presbyter Card. Guadagni.*

† *Ego T. Tit. S. Caeciliae Presbyter Card. de Acquaviva.*

† *Ego D. Tit. Basilicae Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*

† *Ego J. B. Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Card. Spinula.*

†

†

†

†

† *Ego R. Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.*

†

†

† *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*

† *Ego S. Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.*

†

† *Ego J. F. Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.*

† *Ego C. Tit. SS. Joannis et Pauli Presbyter Card. Paulutius.*

†

† *Ego C. A. Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.*

†

†

†

†

†

†

†

† *Ego F. Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Card. de Ricciis.*

† *Ego A. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.*

† *Ego C. Tit. S. Mariae de Ara-Caeli Presbyter Card. Calcagnini.*

† *Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.*

† *Ego F. Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Card. Tamburini.*

† *Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besozzi.*

†

†

†

†

†

†

†

† *Ego Carolus S. Mariae in Via-Lata Diaconus Card. de Marinis.*

† *Ego Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Albanus.*

† *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*

† *Ego Agapitus S. Agathae Diaconus Card. Mosca.*

†

†

† *Ego C. S. Mariae in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*

† *Ego M. SS. Cosmae et Damiani Diaconus Card. Bolognettus.*

† *Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

† *Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.*

† *Ego A. S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. Tanari.*

† *Ego H. S. Adriani Diaconus Card. Bardi.*

† *Ego D. SS. Viti et Modesti Diaconus Card. Ursinus.*

†

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA
de Curia I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

LITERÆ DECRETALES CANONIZATIONIS

B. PETRI REGALATI CONFESSORIS.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

A Negotiatores Caeli, qui fidelibus Redemptoris nostri promissionibus innixi, quaecumque Mundus appetit, quae caro concupiscit, quae Daemon pollicetur, omnia relinquunt, ut Christum bajulantem sibi Crucem per asperam angustamque viam prosequantur, non modo inaestimabilem bonae negotiationis fructum in aeternae vitae possessione percipiunt, sed etiam in terris centuplum pro omnibus quae dimiserunt, utilissima commutatione lucrantur. Dum enim vitae hujus oblectamentis per mortificationis et continentiae studium renunciant, puris tranquillisque voluptatibus, de conscientiae serenitate ac Divini favoris suavitate replentur; dum anxias Mundi divitias, Evangelicam paupertatem amplexi, a se abdicant, supernorum charismatum thesauris abunde ditantur; et pro vanis fluxisque honoribus quos contemnunt, veram solidamque gloriam non solum coram Angelis Dei, sed etiam coram hominibus adipiscuntur. Vidit haec caelesti lumine edoctus beatus Petrus Regalatus Ordinis Minorum Alumnus, ejusque disciplinae quam sanctus Patriarcha Franciscus discipulis suis tradiderat, perfectissimus ipse Sectator et in aliis quoque Restitutor, gustavit, quam suave ac bonum esset, abnegatis secularibus desideriis, uni Deo adhaerere; reliquit quae sua erant, ut Christum lucrifaceret: Verum in ipsis etiam voluntariae paupertatis angustiis dilatatum est cor ejus, ut quarum rerum nec possessione nec affectu tenebatur, in eas mirum saepe jus et imperium, supra id quod naturae leges ferunt, Deo concedente exerceret. Nunc denique ad immensum Gloriae pondus, qua is jamdudum in Caelis potitur, non exiguus in Terris accessit honoris cumulus, decreto eidem cultu universae per Orbem Ecclesiae, cui nos licet indigni, Divina voluntate praesidentes, ipsum beatum Virum, christianarum virtutum perfectione et miraculorum claritate illustrem, inter sanctos Confessores a Nobis cum consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Romana Curia frequenti numero congregatorum rite ac solemniter adscriptum, religiosa veneratione prosequendum, et proficua devotione invocandum proponimus, ac praesentium Literarum tenore denunciamus.

Vallisoleti nobili Hispaniae Urbe, natus est Petrus anno salutis MCCCXC. ex Nobilibus piisque parentibus, quorum disciplina et exemplis eruditus, ac Divina praesertim gratia praeventus coepit a puero ad christianae perfectionis leges vitam moresque suos componere et conformare; quin etiam vix decimo aetatis anno transacto, domesticis facultatibus honoribusque contemptis, Franciscani Instituti habitum ac professionem expetere. Restitit quidem ab initio amantissima Mater, et piis Filii desideriis obsecundare triennio toto recusavit; verum is in sancto proposito firmiter perseverans, eumque praeferens Matri, quem praeferre jubemur B

A *Exordium.*
B *S. Petri Regalati ortus et initia.*

et animae nostrae, instando et obsecrando A tandem obtinuit, ut ad Religiosae vitae Tirocinium, mox etiam ad solemnia emittenda vota in patriae Civitatis Coenobio admitteretur. Ex eo tempore quum in suscepto perfectionis curriculo per internae humilitatis externaeque mortificationis studium, per assidua Orationis et contemplationis exercitia, per solicitam puri cordis et sensuum custodiam novos semper progressus faceret, numquam respiciens retro, sed ad perfectiora et sublimiora extendens se ipsum; ad illud brevi pervenit virtutis fastigium, ut et in omnibus religiosi Viri officiis toti Sodalitio exemplis suis praeluceret; et sanctioris disciplinae in Minorum Familia non nihil tunc temporis laxatae, in pristinum splendorem restituendae, inspirante Deo, consilium caperet, eodemque adjuvante ad effectum mire perduceret.

B Etenim occasionem nactus, qua Vir pius ac prudens Frater Petrus Villacretius ejusdem Ordinis Professor, potestate a Superioribus sibi facta Hispaniae Coenobia peragrabat, ut ex iis qui a subinducta libertate ad perfectiorem vivendi rationem transire cuperent, peculiarem veluti gregem conflaret, in quo pristina Franciscanae Regulae puritas et austeritas revivisceret, nihil cunctatus Petrus se illi socium adjunxit, et in solitariam Domum prope Aquileriam Oxomensis Dioecesis Oppidum permissu Episcopi extructam lubens cum eo secessit. Ibi in perpetuis pietatis et poenitentiae exercitationibus ambo viventes, non solum coelestium gratiarum copiam, sed etiam hominum admirationem sibi conciliarunt; ut ea permoti quamplurimi, tum ex ipso Fratrum Minorum Ordine, tum e seculari Clero et e Populo in eorum Societatem admitti certarint, eorumque disciplinae se instituendos tradiderint. Quare cum nova Reformatorum Familia ad eum numerum aucta fuisset, ut jam Aquileriensibus Ædibus contineri minime posset, alterum ejusdem Instituti Coenobium de Abroxo nuncupatum in Agro Tribulano ad Ripam Durii Fluminis construi opus fuit.

In horum Conventuum regimine, quoties C nascentis Reformationis negotia Villacretium alio vocabant, Petrus Regalatus ipsius vices sustinere consuevit. Cum vero idem Villacretius, post obtenta a felicis recordationis Martino Papa V. Praedecessore nostro quem praesens adierat, quaecumque ad ipsius Reformationis firmitatem atque dilatationem maxime optaverat, ex hac vita pie migrasset, communi Religiosorum voto in ipsius locum suffectus est Petrus, qui sicut eum viventem in praelaudati operis constitutione et administratione, consilio suo atque opera maxime juverat, ita deinceps non modo Aquileriense Coenobium, in quo praecipuum fixit domicilium, sed Tribulanum etiam, quod modo per se ipsum, modo per Vicarios a se delegatos regebat, ad perfectioris disciplinae normam sanctissime gubernavit.

Fuit in eo ad Socios Subditosque in via D Mandatorum Dei dirigendos non solum eximius zelus et assidua vigilantia, verum etiam in omni virtutum genere praeclari exempli lux et auctoritas. Quorum enim jejuniorum observantiam ad mentem Sancti Fundatoris in usum reduxerat; ea ipse et exacte servabat, et voluntariis abstinentiae rigoribus cumulabat, quum nullum fere obsonii genus ad panem et aquam plerumque adjiceret, et praeter dies Dominicos, nihil omnino ad vesperam sumeret; quinimmo totos saepe dies absque ullo cibo transigeret in laboribus aut orationibus, quarum etiam amore nonnunquam integras noctes insomnes ducebat, vel humi cubando curabat, ut ne quid somni caperet praeter id, quod ineluctabilis naturae necessitas postulabat. Duris praeterea flagellis, asperrimis ciliciis corpus affligere et in servitutem redigere non desinebat. Paupertatis vero adeo amator fuit, ut quae prae ceteris attritae et lacerae vestes essent, eas ipse sibi deligeret, nec unquam fere sandaliis aliove calceamenti genere uteretur, sed nudis plerumque pedibus ad humilitatis et poenitentiae exercitium incederet.

Quare cum sibi ac Mondo crucifixus omnino esset, minime est mirandum, si totum cor E

A *Ordinem Minorum ingreditur.* B *Ejusque Reformationem una cum Petro Villacretio promovet.* C *Reformatorum Coenobia gubernat.* D *Ipsius religiosae virtutes.* E *Pietas in Deum.*

ejus sibi vindicavit caelestium amor, cujus virtute fortiter tractus, ac dulcedine suaviter illectus, ineffabilia divinitatis attributa et Redemptionis nostrae mysteria praesentissimo animi sensu assidue contemplabatur; adeoque in piis meditationibus affectibusque inardebat, ut saepe clarissimus lucis splendor ex ipsius corpore diffusus, non solum ad cubiculi ambitum, sed longe lateque supra Coenobii tectum emicaret; cujus rei causa a finitimis cognita, *Domus Dei* nomen Coenobio inditum fuit, quo etiam usque in praesentem diem appellatur. Ex frequentibus vero mentis excessibus, quibus ad interiora cum Deo colloquia admittebatur, quum caelestium virtutum formam in se referret, earum quoque exemplar aliorum animis imprimere vehementer optabat. A Hinc ortum habuit zelus ille ardentissimus, quo ad animarum salutem opportunissimis rationibus procurandam accendebatur; neque solum Religiosos Viros curae suae peculiariter commendatos exemplis praeceptisque suis ad perfectionis culmen ducere satagebat; sed ceteris etiam omnibus opera, consilio, sermone, ac potissimum impensis misericordiae et charitatis officiis tutissimam ad Caelum viam commonstrare et complanare curabat. Hic erat praecipuus ipsius scopus, et cum pauperes Christi aegritudine afflictos, eosque maxime, quos propter horrificam morborum speciem, aut contagionis periculum ab aliis derelictos conspiciebat, per se ipse adjuvare, hospitio recipere, laboriosa curatione sublevare gestiebat; et cum corrogata a divitioribus stipe, calamitosis omnibus opem ferre, potissimum vero Christifidelibus apud Barbaros in captivitate detentis libertatem impetrare studebat; cum demum inimicitias omnes et simultates inter Fideles componere omni studio nitebatur: ut scilicet peccata et vitia eliminaret, pericula occasionesque peccandi omnibus subtraheret, et Proximos a se adjutos, non sibi sed Christo lucrifaceret, atque ad divinae Bonitatis amorem, ad Evangelicae legis observantiam adduceret. Denique purgantium Defunctorum cruciatus pio commiserationis affectu respiciens, oblatis Deo precibus, Sacrificiis jejuniis, aliisque voluntariis sui corporis castigationibus prolatam ipsis aeternae Beatitudinis possessionem accelerare curabat.

B His aliisque virtutibus apud suos exterosque clarus, miraculorum quoque gratias aliisque supernaturalibus donis illustris, cum ad sexagesimum sextum aetatis annum pervenisset, jamque prospiceret, haud procul esse depositionem Tabernaculi sui, de apto idoneoque Rectore gregi suo post se relinquendo solicitus, longum asperumque iter ingressus est, ut Lupum Salazarium antiqui Instituti cultorem ac vindicem ad id muneris suscipiendum suaderet. Ea re impetrata, quum Tribulanum Coenobium in reditu visitasset, inde ad Aquileriense se contulit, ubi lethali morbo correptus decubuit, exactoque inter acerbos cruciatus atque languores integro Quadragesimae cursu, tandem die sancto Paschae Eucharistici Panis viatico munitus, et sequenti die ab Episcopo Palentiae Oleo sancto unctus in nomine Domini, quum dilectissimos Fratres ad severioris disciplinae custodiam, ad paupertatis studium, ad imitationem Christi etiam atque etiam hortatus esset, animam suam in manus Dei fidenter amanterque commendans justorum somno obdormivit tertio Kalendas Aprilis Anno salutis MCCCCLVI.

Petri corpus, ut piis Fidelium turbis ad Coenobium undique concurrentibus satisfieret, per aliquot dies inhumatum remansit; cumque nullas interim mortalitatis injurias pateretur, tandem in communi Fratrum Sepulchro conditum fuit; unde tamen post triginta sex annos translatum fuit ad praenobile loculamentum, quod ipsi clar. mem. Elisabetha Castellae Regina ex alabastrite marmore extrui curavit.

Ibi et propter constans hominum judicium de Servi Dei Sanctitate, et propter miraculorum frequentiam, assidua venerationis et cultus obsequia a piis Fidelibus ipsi delata fuerunt.

C Et sane de generali ipsius Sanctitatis, virtutum et miraculorum fama Testes sunt antiqui Processus auctoritate ordinaria super eo confecti, qui cum ante hos centum viginti

A *Charitas in Proximos.* B *Extrema vitae et obitus.* C *Acta sub Urbano VIII.*

annos ad hanc Sanctam Sedem delati fuissent, et pro legitimo cultu eidem Servo Dei asserendo Apostolicae definitionis oracula, instantibus etiam Catholicis Hispaniarum Regibus universoque Ordine Fratrum Minorum S. Francisci vehementer expeterentur; visum est fel. record. Urbano Papae VIII. Praedecessori nostro, signata Chirographo suo Commissione, ad discutiendam in specie ipsius Beatificationis et Canonizationis Causam novorum Processuum constructionem demandare. Quibus deinde ad Urbem allatis, et trium antiquiorum tunc temporis Causarum Palatii Apostolici Auditorum examini subjectis, quum hi pro sua integritate et prudentia eorum validitatem et revelantiam plenissime approbantes, in luculenta Relatione eidem Urbano Praedecessori exhibita, tam praeclaras Servi Dei virtutes in gradu heroico, quam illustria in vita et post mortem ejus intercessione patrata miracula satis demonstrata esse censuissent; idem Urbanus Praedecessor ipsius Causae judicium remisit Congregationi Sacrorum Rituum: Quae post approbatam eorumdem Processuum validitatem et examinis formam, A quum decrevisset una cum dubio de Regalati virtutibus, alterum quoque de miraculis ipsius intercessione sequutis proponi et expendi; quatuor infrascripta miracula ad trutinam vocavit. Primum, quod olim in visitatione Conventuum Aquileriae et Tribuli, quam Dei Servus pedes peragebat, intermedium spatium quadraginta millium passuum unius horae intervallo confecisset. Alterum, quod quum collectas e communi mensa reliquias aliquando deferret ad pauperes, ob idque a Vicario sibi occurrente objurgaretur, quod supra modum in exteros se liberalem praeberet, quumque is nil aliud quam flores deferre se asseverasset, flores revera in sacculo reperti sunt, quos neque anni tempus, neque Regionis natura suppeditare potuerant. Tertium, quod Durii Fluminis aquas, quoties increbuissent, et navicula deesset ad transfretandum, extento super eas pallio, non semel sicco pede transierit. Quartum denique, quod pauperi post ipsius obitum assueta eleemosyna pro Coenobii foribus fraudato, eaque de re ad ipsius Petri sepulchrum conquerenti, exerto e sepulchro brachio, panem porrexerit. Hisque admirabilibus sane prodigiis, quae etiam a vetustissimis temporibus marmoreo Servi Dei sarcophago insculpta cernebantur, mature discussis et approbatis, peracto quoque virtutum examine; eadem Congregatio Decretum edidit die XVI. Novembris anni MDCXXX., quo tam virtutes ejusdem Servi Dei, quam ipsa praedicta miracula comprobata fuerunt.

Quum vero paulo post, super hujusmodi judiciorum ordine et methodo, nova et consultissima ejusdem Urbani Papae VIII. Decreta prodiissent, proindeque inducta fuisset necessitas ostendendi, quod iis paritum esset; antequam ad ulteriora in hac Causa procederetur, opus fuit planum facere, quod per centum annos, immo verius per duo fere secula ante eorundem Decretorum editionem publicus cultus ipsi Dei Servo praestitus fuerat. Quare post aliquot annorum silentium, percrebrescentibus religiosis catholicorum Principum et Populorum votis, instantibus quoque quamplurimis Episcopis universoque praedicto Ordine Fratrum Minorum sancti Francisci, Anno Domini MDCLXXV. a fel. recordat. B Praedecessore pariter nostro Clemente Papa X. de consilio praefatae Congregationis Sacrorum Rituum signata fuit Commissio pro reassumptione Causae in statu et terminis, cum facultate in primis et ante omnia conficiendi Processum particularem super paritione Decretis Urbani Papae VIII. de non cultu editis, seu super casu ab eisdem excepto; et consequenter ab Episcopo Oxomensi vigore Literarum a praedicta Congregatione ipsi directarum confectus fuit hujusmodi Processus, ac sententia rite prolata super cultu eidem beato Viro a centenario tempore et ultra publice exhibito, ac proinde de casu a praefatis Urbani VIII. Decretis excepto: Quam porro sententiam in praedicta Congregatione Sacrorum Rituum revisam et approbatam san. mem. Praedecessor pariter noster Innocentius Papa XI. Apostolica auctoritate confirmavit et roboravit, Decreto edito die XVII. Augusti Anni MDCLXXXIII.

A *Virtutum et miraculorum approbatio.*

B *Approbatio cultus.*

A Itaque non solum ipsius beati Petri cultus impensioribus Fidelium studiis per totam Hispaniam aliasque Regiones frequentari coepit, verum etiam subsequutis Apostolicae Sedis Indultis magnopere auctus fuit; concessa primum in ipsius honorem Officii Divini ac Missarum celebratione per Ordinem Fratrum Minorum de Observantia, et per aliquas Hispaniae Dioeceses; mox extenso per gradus hujusmodi Indulto ad universam Franciscanorum Familiam et ad omnes Hispaniarum Civitates atque Dioeceses cum Oratione etiam et Lectionibus propriis, ab eadem Congregatione Sacrorum Rituum examinatis et approbatis; demum permissa ab eodem Innocentio Translatione Corporis ipsius beati Petri ad novum atque splendidius Sacellum piorum sumptibus in ipsius honorem excitatum.

B Quoniam vero, juxta Apostolicarum sanctionum Decreta, ad solemnem Beati Canonizationem minime procedi poterat, nisi demonstratum fuisset, nova post indultam ipsi venerationem miracula supervenisse; ideo quum delatum fuerit ad fel. record. Praedecessorem nostrum Benedictum Papam XIII. nonnulla miracula ab omnipotenti Deo ad invocationem ejusdem beati Petri recens patrata fuisse, placuit ipsi Apostolica auctoritate necessarias facultates delegare Episcopis Oxomensi, et Palentino, ut juxta instructiones iis transmittendas super hujusmodi assertis miraculis Testes examinarent; aliasque legitimas probationes colligerent. Hinc delatis ad Urbem Processibus ab iis confectis, eorumque validitate, necnon examinis forma in Congregatione Sacrorum Rituum recognita, et juxta ipsius Congregationis consilium a fel. pariter recordat. Clemente Papa XII. Decessore nostro approbata; mox etiam alio Processu ejusdem Clementis auctoritate constructo super novissimo miraculo, ut ferebatur in Dioecesi Palentina edito, cujus pariter Processus validitas approbata fuit; de hujusmodi miraculorum relevantia secundum collectas probationes a dilecto Filio Magistro Ludovico de Valentibus Promotore Fidei diligenter excussas, actum primo fuit inter praefatae Congregationis Consultores coram dilecto Filio nostro Antonio Xaverio Tituli S. Stephani in Monte Caelio Presbytero S. R. E. Cardinali Gentili nuncupato, hujus Causae Ponente a Nobis deputato. Deinde, novis animadversionibus ab eodem Fidei Promotore exaratis, iterum iidem Consultores coram universis Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus praefatae Sacrorum Rituum Congregationi praepositis, in Quirinali Palatio nostro congregatis, sententias suas dixerunt: Atque ita demum Causa plene discussa, et per novissimas praedicti Promotoris animadversiones accuratissime cribrata, ad nostrum judicium delata fuit. Nos vero omnibus gestorum probationibus examinatis, et tam facti et juris allegationibus, quam Peritorum judiciis et consultationibus perlectis; auditis etiam oretenus tum Causae Postulatoribus et Patronis, tum etiam praefato Promotore Fidei; Congregationem generalem praedictorum omnium tam Cardinalium, quam Consultorum die secunda Junii Anni MDCCXLIV. coram Nobis coegimus.

Et quamvis ex tam exquisita rerum omnium discussione, ex Consultorum suffragiis, quae Nobis antea in scriptis oblata perpendimus, quin etiam in Summarium redacta eidem Cardinalium Congregationi per nosmetipsos exposuimus, ac denique ex consiliis praedictorum Ven. Fratrum nostrorum in eadem Congregatione a Nobis auditis, jam satis omnia videri potuissent clarissima in luce collocata, nihilominus ut uberiorem caelestis luminis gratiam perseveranti oratione impetrare mereremur, nostram adhuc sententiam proferre distulimus usque ad diem festum S. Bonaventurae ejusdem Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci; quo die celebrata Missa in Ecclesia S. Mariae Ara-Caeli nuncupata, solemni Decreto edito, duo infrascripta miracula ipsius beati Petri intercessione a Deo obtenta approbavimus et publicavimus.

Primum est de Caeco illuminato, Didaco nimirum Sacerdote, cognomento Plasentia, C

A *Ejusdem cultus amplificatio.*

B *Judicium super novis miraculis institutum.*

C *Miracula pro Canonizatione approbata.*

qui cum epileptico paroxysmo correptus in domesticum focum prunis ardentibus refertum corruisset, eoque casu plenam ferventis aquae ollam subvertisset, ustulata facie, crematis palpebris, et oculorum acie labefactata, omnem videndi facultatem penitus amisit, nec eam quatuor circiter mensium spatio, pluribus etiam remediis adhibitis, ulla in parte recuperavit. Verum quod neque a natura, neque a Medicorum arte obtinere jam amplius sperabat, id ei ab omnipotenti Deo mirabiliter concessum fuit per merita B. Petri Regalati, cujus Cucullum oculis suis admoveri curavit; dum ad illius Reliquiae contactum, illico perfectissimum oculorum usum recepit, quem ad mortem usque haud imminutum retinuit.

Alterum recentius miraculum experta fuit Birgitta Ortega in sanatione horrendi ulceris, quod ipsi ex praevio tumore et interclusa sanie in sinistra lumborum regione obortum, cum integumenta omnia, quibus renes continebantur, et duas quoque costas maligna corruptione depascendo obsumpsisset, contracto demum callo, et acerbissimis doloribus cum febri accedentibus, jam prope erat, ut ipsam Mulieris vitam praeciderét. Cum tamen illa ad Beati sepulchrum adduci se postulasset, ibique ipsius opem apud Deum cum lacrymis implorasset, iter ingressa ut domum rediret, sensit se repente sanatam, atque ulceris locum inspiciens invenit amplissimam fistulam coaluisse, et cicatrice inducta, nullas alias morbi reliquias jam superesse; quin etiam auctis sibi corporis viribus, optima deinceps usa est valetudine, dum vita fuit.

A His itaque duobus miraculis cognitis et approbatis, illud definiendum supererat, an res eo adducta videretur, ut ad solemnem Beati Canonizationem tuto procedi posset: Qua in re quum jampridem dubitatum fuisset, an obstaret Decretum a Nobis editum die XXIII. Aprilis Anni MDCCXLI., quo scilicet inter alia statuimus, in Causis Servorum Dei per viam Cultus immemorabilis, sive Indulti procedentibus, et in quibus virtutes ex Testibus duntaxat de auditu, sive ex coaevorum Scriptorum testimoniis probatae fuissent, quum post approbationem Cultus immemorabilis ad solemnem Canonizationem transitus fieri vellet, non duo solum, ut olim obtinuerat, sed quatuor in posterum miracula rite probari debere: Hujusmodi dubitatio a Nobis sublata fuerat per aliud Decretum die secunda Augusti ejusdem anni prolatum, quo declaravimus, hanc Causam ab ea lege exceptam esse et censeri debere; ob eam nimirum justissimam rationem, quod quum jam usque a temporibus Urbani Papae VIII., ut supra diximus una cum heroicis beati Petri virtutibus, quatuor simul miracula approbata fuerint, jure dici poterat praedicto generali Decreto nostro antecedenter paritum fuisse, proindeque ad ipsius Beati Canonizationem non quatuor, sed duo tantum miracula approbanda superesse. Itaque praedicta quaestione proposita in Congregatione generali Sacrorum Rituum coram Nobis habita die XXII. Septembris Anni MDCCXLIV., unanimis omnium sensus fuit, ut ad solemnem beati Petri Canonizationem servatis servandis quandocumque procedi posset; Nosque ipsi deinde solemne Decretum in eandem sententiam edidimus die VI. Octobris ejusdem Anni.

Cumque charissimi in Christo Filii nostri Philippus V., et Elisabetha ejus Conjux Hispaniarum Reges Catholici, cum reliquis ipsorum Regiae Familiae Principibus, oblatas jam pridem a Praedecessoribus suis Apostolicae Sedi preces et postulationes pro hujus beati Viri Canonizatione omni studio foverent, accederentque in eum finem complurium Ven. Fratrum Hispaniae Antistitum, totiusque religiosissimi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci vota et obsecrationes; Nos ut in hoc gravissimo negotio juxta praescriptam servatamque a Praedecessoribus nostris agendi normam procederemus, universi primum Collegii Ven. Fratrum nostrorum S. R. B E. Cardinalium in Consistorio secreto VI. Idus Aprilis coram Nobis congregatorum sententiam atque consilium exquisivimus. Qui-

A *De tuto progressu ad Canonizationem.*

B *Consistorium secretum.*

bus post auditam a Nobis gestorum seriem, et beati Viri praeclara merita, ad legitimam Causae hujus absolutionem unamini voce Nos adhortantibus; non viciniores modo, sed etiam remotiores per Italiam Episcopos et Archiepiscopos moneri curavimus, ut circiter Kalendas Junias, quibus commodum esset, ad Urbem sese conferrent; quo et instantem Natalem diem beatorum Apostolorum Petri et Pauli, veteri more nobiscum una celebrarent, et Nobis de saepedicti B. Petri Regalati, necnon BB. Fidelis a Sigmaringa Martyris, Camilli de Lellis, et Josephi a Leonissa Confessorum, et Catharinae de Ricciis Virginis, solemni Canonizatione deliberantibus, consiliorum suorum suffragia, prout Spiritus sanctus ipsis suggessisset, exponerent.

A Ut autem praeclarae ipsius B. Petri virtutes ejusque insignia miracula, necnon adhibitae cautiones in totius Causae discussione neminem laterent, indicto prius coram Nobis plenario consessu omnium Ecclesiasticorum Ordinum et Collegiorum ac Magistratuum Romanae Curiae, mandavimus a dilecto Filio Joseph Ascevolino nostrae Consistorialis Aulae Advocato de praemissis omnibus verba fieri; mox etiam exactam eorundem narrationem ex authenticis documentis religiose collectam, ac typis impressam omnibus suffragium laturis exhiberi curavimus. Demum convocatos in Consistorio semipublico die XI. currentis Junii universos Ven. Fratres nostros S. R. E. Cardinales, necnon
B Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, qui jam frequentes undique in Urbem convenerant, conceptis verbis requisivimus, an ad ipsius B. Petri Canonizationem deveniendum nobis esse censerent. Ipsi vero summo animorum consensu gravibusque rationibus omnes in affirmativam sententiam ire comperti sunt. Qua de re a dilectis Filiis Apostolicae Sedis Notariis ibi praesentibus publica Instrumenta confici, ac praeter ea suffragiorum ipsorum exempla a singulis praedictis subscripta in Tabularium Ecclesiae Romanae inferri mandavimus.

Nos autem priusquam de summa rei definiendo pronunciaremus, ut quid placitum esset coram Deo, ab ipso Patre luminum edoceri mereremur; indictis per Urbem jejuniis, designatisque Ecclesiis cum Indulgentia ab iis consequenda, qui Nobiscum caelestem opem implorarent, orationibus et obsecrationibus instare non praetermisimus; donec hac die coruscante SS. Apostolorum C
Petri et Pauli Natalitio dicata magnam venerandae solemnitatis laetitiam, novo Ecclesiae gaudio, per definitivae hujusmodi Sententiae prolationem cumulare decrevimus. Quare praeeuntibus supplicationis generali ritu, omnibus primum Cleri Regularis Ordinibus, tum Ecclesiarum Collegiatarum et Basilicarum etiam Patriarchalium Cleris atque Capitulis, necnon praefatae Congregationis Sacrorum Rituum Consultoribus, Nos ipsi demum cum dilectis Filiis Aulae nostrae Officialibus et Familiaribus, cum Schola Cantorum cunctisque Romanae Curiae Praelatorum Collegiis, Presbyteris quoque Poenitentiariis Sacerdotali veste indutis, denique cum Ven. Fratribus Episcopis, Archiepiscopis, et Patriarchis; qui ad octoginta fere adfuerunt, universoque Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, ex Apostolicis Ædibus prodeuntes, frequenti Procerum et Magistratuum numero stipati, et subsequentibus Apostolicae Sedis Notariis, ac Regularium Ordinum Generalibus Superioribus, ad Basilicam beatissimi Apostolorum Principis in Vaticano caelestis Sponsae ornatu fulgentem Nos laeti contulimus, quo Nos vocabat et ipsa memorabilis diei festivitas et antiquissima Praedecessorum nostrorum consuetudo, quibus solemne fuit praeclaros hujuscemodi Sanctorum triumphos non alibi, quam apud memoriam ejusdem B. Petri Apostoli celebrare.

Ibi quum dilectus Filius noster Joachimus D
Tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter S. R. E. Cardinalis Portocarrero nuncupatus, perorante dilecto Filio Virgilio Montecatino nostrae Consistorialis Aulae Advo-

A *Consistorium publicum.*
B *Cardinalium et Episcoporum consilia in Consistorio semipublico.*
C *Solemnia Canonizationis.* D *Instantiae.*

cato, enixas quas supra innuimus, supremorum Principum, Ecclesiarum et Ordinum preces atque postulationes pro B. Petri Regalati, aliasque pro BB. Fidelis, Camilli, Joseph, et Catharinae Canonizatione Nobis instanter repraesentasset; Nos quidem ad gravissimi Judicii definitionem absque iterata caelestis auxilii invocatione procedere non audentes, decantatis cum venerabili Consacerdotum Coetu et devotissimo Populo sanctorum Litaniis, Deum Optimum Maximum per omnium electorum suorum merita precati sumus, ut Sedium suarum assistricem sapientiam in cor nostrum immittere dignaretur. Cumque adhuc instantius pro exoptatae Sententiae prolatione ab eodem Cardinali Promotore urgeremur; Nos iterum in genua provoluti Paraclitum Spiritum sanctum Hymno et Oratione solemni rogavimus, ut lucis suae radium emittens mentis nostrae tenebras discuteret, et trepidantem adhuc fragilitatem nostram virtutis suae robore confirmaret. Denique ad reiteratas et instantissimas praemissorum obsecrationes, quin potius ad manifesta universae catholicae Ecclesiae vota, ad maturas deliberationes rite praebabitas, et declaratum
A jampridem Ecclesiastici Senatus consilium respicientes, eaque auctoritate suffulti, quam Dominus Noster Jesus Christus beatissimis Apostolis Petro et Paulo Nobisque licet immerentibus tribuit, in honorem sanctae et individuae Trinitatis, Fidei catholicae exaltationem et christianae Religionis augmentum, definitivo pronunciato Decreto, praedictum Petrum Regalatum Ordinis Minorum S. Francisci Sacerdotem expresse Professum, Regularis disciplinae adsertorem et vindicem, christianarum virtutum praestantia et miraculorum gloria fulgentem, una cum supradictis Fideli, Camillo, Joseph, et Catharina Sanctum esse declaravimus, et Sanctorum Catalogo adscripsimus; statuentes ipsius Petri memoriam inter sanctos Confessores non Pontifices ab Ecclesia universali quotannis die XIII. Maji pia devotione recoli debere; in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Mox decantato pro debita gratiarum actione consueto Laudis et Confessionis Hymno, Nostrisque et Ecclesiae precibus praedictorum Sanctorum interventioni commendatis ad Aram Basilicae maximam supra sacratissimam Confessionem B. Petri Apostoli incruentam salutis nostrae Hostiam oblaturi reverenter accessimus. Porro post Evangelicam lectionem a Diaconibus utraque lingua recitatam continere labia nostra non potuimus, quin in tam justa sanctaque laetitia, Sacerdotalibus vocibus ex abundantia gaudii nostri erumpentibus, splendidissimam alloqueremur Ven. Fratrum dilectorumque Filiorum Coronam; ut quos devota Religio, et Apostolicae Sedis reverentia, non ex Urbe modo, aut ex finitimis locis, sed ex longinquis etiam et ultramarinis Regionibus ad Sepulchra Apostolorum frequentes attraxerat, antiquis beatorum Principum victoriis laetantes, et recenti Sanctorum triumpho plaudentes, ad eorum virtutes pro viribus imitandas, ad eorumdem Patrocinia studiose demerenda, atque in praesentibus potissimum calamitatibus quibus Ecclesia Dei jamdiu conflictatur, enixe imploranda, Paterno affectu et sermone accenderemus. Denique concessa omnibus adstantibus plenaria peccatorum Indulgentia, his vero qui singulis annis praedicta die XIII. Maji, ejusdem sancti Petri Regalati exuvias, aliisque statutis diebus aliorum Sanctorum praedictorum Sepulchra devote visitaverint, septem annis et totidem Quadragenis de injunctis eis, seu alias debitis poenitentiis, auctoritate praedicta in perpetuum relaxatis; omnipotenti Deo vota nostra reddentes, sacrosancta Mysteria pro totius Mundi salute, pro Ecclesiae pace, pro sanctae Plebis incolumitate solemni ritu peregimus. B

Quoniam vero post prolatam a Nobis, ut praefertur, hujusmodi Canonizationis et Adscriptionis Sententiam, ab eodem Cardinali Promotore Nobis humiliter supplicatum fuit, ut super praemissis omnibus Apostolicas literas perpetuo valituras decernere, atque edere dignaremur; ideo Nos justissimae pe- C

A *Decretum.* B *Indulgentiae.*
C *Literae decernuntur.*

titioni annuentes, praesentium litterarum tenore, atque ex certa scientia et Apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque catholicae Ecclesiae denunciamus; mandantes, ut earundem praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

B Si quis vero paginam hanc nostrae Definitionis, Decreti, Adscriptionis, Mandati, Statuti, Relaxationis, et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

C Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI., III. Kalendas Julii, Pontificatus Nostri anno VI.

✠ Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ Sigilli.

† *Ego T. Episcopus Ostien. et Veliternen. Card. Rufus Decanus, et S. R. E. Vice-Cancellarius.*

† *Ego A. Episcopus Portuensis Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.*

† *Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Petra, Major Poenitentiarius.*

† *Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.*

†

† *Ego V. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.*

†

†

†

†

†

†

† *Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.*

†

†

†

† *Ego F. Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.*

† *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presbyter Card. Gentili.*

† *Ego Fr. J. A. Tit. SS. Silvestri et Martini Presbyter Card. Guadagni.*

† *Ego T. Tit. S. Caeciliae Presbyter Card. de Acquaviva.*

† *Ego D. Tit. Basilicae Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*

† *Ego J. B. Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Card. Spinula.*

†

†

†

†

† *Ego R. Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.*

†

†

† *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*

† *Ego S. Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.*

†

† *Ego J. F. Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.*

† *Ego C. Tit. SS. Joannis et Pauli Presbyter Card. Paulutius.*

†

† *Ego C. A. Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.*

†

†

†

†

†

†

†

† *Ego F. Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Card. de Ricciis.*

A *Eorumque exemplis fides tribuitur.* B *Sanctio.*
C *Dat. Pontific. An. 6. die 29. Junii 1746.*

† *Ego A. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.*

†

† *Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.*

† *Ego F. Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Card. Tamburini.*

† *Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besozzi.*

†

†

†

†

†

†

†

† *Ego Carolus S. Mariae in Via-Lata Diaconus Card. de Marinis.*

† *Ego Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Albanus.*

† *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*

† *Ego Agapitus S. Agathae Diaconus Card. Mosca.*

†

†

† *Ego C. S. Mariae in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*

† *Ego M. SS. Cosmae et Damiani Diaconus Card. Bolognettus.*

† *Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

† *Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.*

† *Ego A. S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. Tanari.*

† *Ego H. S. Adriani Diaconus Card. Bardi.*

† *Ego D. SS. Viti et Modesti Diaconus Card. Ursinus.*

†

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA
de Curia I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

LITERÆ DECRETALES CANONIZATIONIS

B. JOSEPHI A LEONISSA CONFESSORIS.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Humani generis Redemptor Dei Filius, Sapientia Patris, ita mentes hominum disjecta veteri, qua operiebantur caligine, novo doctrinae caelestis splendore illustravit, ut simul ad ejus lumen ductumque sequendum maximis et pretiosis promissis languentia corda erexerit et excitaverit. Ita porro dum Nos edocuit, abjecta de perituris divitiis solicitudine, Thesaurum non deficientem in Caelo nobis parare, in eoque cogitationes et corda nostra defigere; simul etiam certissimam hujusmodi Thesauri adipiscendi spem nobis ostendit in Dei et Patris nostri benignitate fundatam, cui placuit humilitati nostrae Regnum aeternum disponere et destinare. Quod si terreni Regni, quantumvis caduci, fastigium, vilioribus mercibus, aut parvo agello, luteisve casis nemo non anteferret; si momentaneam oblectationis voluptatem nemo prae Imperii gloria amplissimaque dominatione non aspernaretur; quis erit profecto, qui mundanas, quantivis pretii, opes, potentiam, honores, comparare audeat cum ineffabili caelestis Regni beatitudine, quam Christus Dominus pusillo Electorum suorum gregi promisit? Cujus gloria non in opinione hominum, sed in divinae gloriae communione sita est; in qua bonum quod possidetur, desideriorum mensuram excedit; ubi denique in visione ac fruitione Dei, atque in beata Sanctorum societate plena est felicitas, perpetua jucunditas et secura tranquillitas. A

Ad hanc caelestis Regni promissionem advigilans, hunc verae felicitatis fontem sitiens beatus Joseph a Leonissa Religiosum Institutum Fratrum Minorum sancti Francisci,

A. *Exordium.*

quos Capuccinos appellant, plena voluntate et constanti devotione professus, desertam a vitiis, inviam adversariis potestatibus, et aridam a deliciis secularibus terram incolere statuit, ut sic tandem in sancto apparere Deo mereretur, atque ad illius Beatitudinis et gloriae consortium feliciter pervenire. Quam sane praeclaram mercedem ipsius sanctae conversationis, diuturnae poenitentiae strenuorumque laborum, quos pro Dei honore et Proximorum salute ad mortem usque toleravit, eidem beato Viro in caelesti Patria a Deo retributam fuisse, eumque propterea inter sanctos Confessores cum Christo regnantes ab Ecclesia universa colendum et venerandum esse, inspectis heroicis ipsius virtutibus, necnon miraculis ejus intercessione a Deo editis, apud Nos et Apostolicam Sedem rite probatis, cum consilio et assensu Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Romana Curia congregatorum, deque attributae Nobis potestatis plenitudine, nuper definiendo pronunciavimus, ac praesentium literarum tenore edicimus, statuimus, atque decernimus.

A Leonissae Aprutii Oppido ex Joanne de Desideriis et Francisca de Paulinis in Spoletana Dioecesi anno MDLVI. natus est Joseph, in Baptismate Euphranius dictus, et primo quidem apud Parentes pie ac liberaliter educatus fuit; postea vero iis defunctis, Viterbii ubi Patruus publice docebat, adolescentiae aetatem caste integreque transegit. Cum autem soli Deo perseveranter adhaerere statuisset, oblatas sibi a Patruo honestissimas nuptias, perpetuo virginitatis proposito se obstringens constanti animo recusavit; seque tandem ab omnibus Mundi periculis, insidiis, fallaciis, terroribus, in perfectam Filiorum Dei libertatem vindicaturus ad Religiosa Capuccinorum Claustra apud Assisium confugit, ubi frustra obnitentibus consanguineis, et minas etiam adhibentibus, quo eum a sancto proposito avocarent, arctiorem sancti Francisci Regulam professus est.

Quo autem mentis ardore suave Christi jugum Joseph amplexus esset, facile apparuit ex incredibili studio, quo et statim ad capessendum virtutum omnium culmen totus incubuit, et nunquam deinceps a suscepto perfectionis cursu deflexit. Religiosae paupertatis et spiritu et reipsa eximius cultor, B in summa rerum inopia, in qua hujusmodi Instituti sectatores vitam degunt, complura invenit, quae suis usibus voluntarie detraheret.

Mitis animo et humilis corde, se totum C suasque actiones et voluntates arbitrio Superiorum, quorum mandata aperto capite et flexis genibus excipere solebat, penitus permisit; ut quum sine eorum jussu cuicumque rei ineptum se esse duceret, eorum accedente nutu, difficilia quaeque aggredi non dubitaret: Quum vero nihil de se suisque viribus praesumeret, et ne suas quidem preces apud Deum quidquam valere putaret, aliorum orationibus assidue se commendabat: Denique in vilissimis quibusque exercendis ministeriis, in ferendis contemptibus et ludibriis laetus et alacer, tunc solum tristari videbatur, quum aut munus honorificum suscipere cogeretur, aut meritae ipsius virtuti laudes tribuerentur.

At vero seipsum pro abjecta, quam de se D fovebat, opinione, sic aspere duriterque tractabat, ut difficile sit alium reperire; qui novissimis hisce seculis poenitentiae ac mortificationi magis addictus fuerit. Quum etenim perpetuum fere jejunium sibi indixisset, non alio plerumque pane, quam duro ac mucido, non alio obsonio, quam putridis ac semiustis leguminibus, aut crudis oleribus, non alio potu quam corruptis aquis, aut vino cineribus conferto vitam sustentabat; et nihilominus crucifigendae carnis suae cupidior in dies, inusitatis flagellorum generibus suas in se ipsum manus armabat, quibus corpus suum acerrime dilaniaret; et quia non semper id ipsi licitum erat, horrida cilicia, ferreas catenas, ferreos circulos, ferream loricam, ad continuum sui cruciatum adhibebat: Ea tamen hilari fronte ac laeto vultu Apostolicae praedicationis ministerium adimplens tanto

A *S. Josephi ortus et initia.* B *Joseph propter spiritu.*
C *Mitis et humilis.* D *Poenitentiae deditus.*

spiritus fervore afflicta membra regebat, ut nec aestus, nec frigora, nec soles, nec imbres, nec famem, nec sitim, neque labores sentire videretur; dummodo aliquod faceret animarum lucrum, ac Dei cultum et gloriam propagaret.

A Justitiam enim esuriens et sitiens, nec de propria solum perfectione solicitus, sed ad aliorum quoque salutem procurandam ardentissimo studio intentus, quum praedicandi et evangelizandi munus ex obedientia gereret, incredibili labore ac zelo, nec minore animarum fructu, toto vitae suae cursu illud obivit. Frequens illi erat uno eodemque die pluries diversis populis, diversis argumentis, diversis in locis sacras conciones habere; nec tamen ideo restincta ardoris sui flamma, gaudebat privatis exhortationibus homines a vitiis avocare, ad virtutem inflammare, pueros et rudes Fidei elementis christianaque doctrina imbuere. Quin etiam ad Infidelium terras, ad ipsam Mahumetanae impietatis arcem quum accessisset, non modo Fidelibus in Babylonis captivitate degentibus opportuna attulit conservandae Religioni praesidia, sed plures Infideles ad christianae veritatis lucem quum adduxisset, exterminandae impietatis cupidissimus non dubitavit ipsum Imperii Tyrannum in Palatii sui penetralibus intrepida charitate adoriri, ut ei Evangelium Christi annunciaret. Quod sane magnanimum facinus, quum inscrutabili Dei judicio in irritum cessisset, regressus Joseph in Italiam, reliquum vitae spatium in Dominicae Vineae cultura per Aprutii potissimum et Umbriae Provincias impendit.

B In eas porro geminum Doctrinae et Misericordia suae thesaurum effudit; et sicuti, impositum sibi Apostolicum ministerium adimplens pro aeterna animarum salute utilissime semper adlaboravit; ita ad sublevandos omnes in hujus vitae angustiis et afflictionibus constitutos admirabilis charitatis opera indesinenter exercuit. Quos enim ad Caelestis beatitudinis sedem veluti manuducere conabatur, eos in mundi hujus calamitatibus oppressos jacere, quantum in ipso erat, minime patiebatur. Itaque parum est, quod pauperes omnes ad se confugientes, immo verius studiosissime a se conquisitos omni ratione juvabat, quod iis non solum mensae reliquias, sed ipsum paratum sibi cibum, atque etiam labores manuum suarum largiebatur; quod aegrotos quoslibet invisere, eosque piis hortationibus assiduisque officiis ac ministeriis reficere nunquam praetermittebat; quod carceribus inclusos solari, pascere, atque iis vel Judicum clementiam, vel Creditorum benignitatem conciliare curabat; Sed extant ad hunc usque diem eximiae ipsius charitatis perennia monumenta in publicis Hospitiis pro infirmorum, aut peregrinorum perfugio, in Montibus Pietatis pro pauperum subsidio, per earum Regionum Civitates et Oppida, ipso potissimum hortante, promovente, accurante, erectis, dotatis, instructis.

Cum autem in assiduis hujusmodi praedicationis et beneficientiae operibus immensi essent ipsius labores, aequum profecto erat, ut congruam vicissim corpori animoque suo quietem et relaxationem non invideret. Hanc Joseph in religiosa divinarum precum recitatione, ac potissimum in solitaria oratione, atque in rerum caelestium meditatione capiebat; quarum amore integras saepe noctes ante Crucifixi Domini sui effigiem insomnes ducebat; atque in ejus bonitatis sinu acquiescens, in immensae illius charitatis profundum se immergens, ipsi suam, ipsi Ecclesiae Causam, ipsi laborum suorum fructum impense amanterque commendabat. Ad quem porro divinae amicitiae gradum Joseph evectus fuerit, tuto conjicere licet ex singularibus donis, quibus glorificavit eum Deus in conspectu hominum; ut nimirum secreta cordium introspiceret, absentia tamquam videns enunciaret, futura praediceret, naturae atque elementis mirabiliter imperaret. Quis autem valeat enarrare beatas illas communicationes ac spirituales delicias, quibus omnipotens Deus fidelem Servum suum cumulare solebat? Satis haec manifeste apparebant ex frequentibus adspirationibus affectibusque ardentissimis, quibus, in mediis etiam mini- C

A *Justitiae cupidus, et divini cultus amplificator.* B *Misericors in Proximos.*
C *Orationi ac divinorum contemplationi deditus.*

sterii sui occupationibus, praegustatae suavitatis memor totus in Deum ferebatur; satis intimam illius animae unionem cum Deo testabatur imperturbabilis illa pax, quam secum et cum Proximo in omni rerum vicissitudine constanter servabat.

A Hanc pacem, quam Salvator Noster sua morte nobis acquisitam, exemplis praeceptisque suis commendatam, veluti paternam haereditatem discipulis suis reliquit, hanc Joseph in omnium Fidelium cordibus sedulo plantare curavit, in eaque potissimum evangelizanda prosperos atque mirabiles successus obtinuit. Ardebant eo seculo inter finitimas praedictarum Regionum Civitates inimicitiae, inter Familias discordiae et simultates, inter plerosque Cives dissensiones et odia; indeque tumultus et rixae; frequentesque caedes et homicidia, cum populorum excidio Deique offensa in dies oriebantur. Hanc ergo veluti furentium leonum silvam ingressus Joseph, succinctus pectora baltheo charitatis, et calceatus pedes in praeparatione Evangelii pacis, fidei scutum galeamque salutis assumens, et gladio spiritus, quod est Verbum Dei, instructus; tumentes undique iras compressit, odia restinxit, atque efferata dudum corda christianae pacis suavitate demulsit; ut nova prorsus Regionis facies, novi populorum mores brevi tempore apparuerint; ipsi vero tamquam restitutori pacis, et fundatori publicae quietis, maxima apud homines parta gloria, majus autem praemium pacificis a Deo promissum in Caelis assertum fuerit.

B Verum quo majorem adipiscendi Caelorum Regni securitatem Servo suo faceret Deus, permisit eum in tentationes varias incidere, gravissimasque persecutiones pro justitia perpeti; ut ipsius virtus per tribulationum ignem probata inveniretur in laudem et gloriam in die Domini nostri Jesu Christi. Nam praeter immane supplicium eidem Constantinopoli ab Infidelibus irrogatum, quum intra Palatii septa deprehensum, quo ad annunciandum Christi fidem penetraverat, sublimi e trabe ferreis uncis suspenderunt, atque igne fumoque supposito pene suffocarunt; innumeras etiam ab improbis Christianis injurias atque molestias saepe sustinuit, dum pro suscepto sanctae praedicationis officio, hominum vitia viriliter oppugnans, atque ita pervicacium offensionem incurrens, verberibus saepe, et colaphis, et contumeliis impetitus, aliquando etiam in vitae discrimen adductus fuit. Quae tamen omnia, quum nec ipsius mansuetudinem neque constantiam loco demovere valuerint, totidem Josepho gradus facta sunt ad caelestem triumphum, quem ipsi tandem a justo Judice tributum fuisse non est dubitandum.

Id enim evincit ipsius pretiosa mors, quam C apud Oppidum Amatricis Realinae Dioecesis, post diuturnam infirmitatem in pietatis et patientiae exercitationibus transactam, anno aetatis suae quinquagesimo septimo, ab Incarnatione Domini MDCXII., placide obiit in osculo Domini; et manifeste ostendunt illustria signa atque miracula, quae ab omnipotenti Deo, tum saepe Josepho vivente, tum etiam in ipsa ejus morte et post illam edita fuerunt; inter quae id sane mirabile fuit, quod defuncti corpus assidua maceratione, ac morbi vi antea squallidum, inusitata coloris et speciei venustate repente florere, et suavissimum odorem exhalare coepit; intima vero ipsius viscera medico cultro dissecta, nulla imbuta faece, sed lacteo quodam humore tota redundare reperta sunt. Innumeras vero gratias ad Josephi invocationem a Deo se obtinuisse testati sunt Fideles, qui ad ipsius funus undique frequentes convenerunt propter conceptam de ipsius Sanctitate opinionem, qua etiam impellente, Josephi Cives post aliquot annos pium illud facinus audacter perpetrarunt, ut nocte quadam, occasione data, ad Amatricis Oppidum accedentes venerandum ipsius corpus asportarent, et Leonissam deferrent; firma spe ducti, magnum sibi adversus ingruentes calamitates in illius possessione ac Servi Dei patrocinio praesidium fore.

Cumque ad legitimum instruendum judicium de ipsius Beatificatione et Canonizatione nihil deesset eorum, quae per Sacro- D

A *Pacificus.* B *Adversa patitur propter fidem, et justitiam.*
C *Ipsius sancta mors miraculis illustrata.* D *Series Actorum in causa ipsius Beatificationis.*

rum Canonum et Constitutionum Apostolicarum Decreta requiruntur; nonnulli primum Processus a Locorum Ordinariis constructi, mox etiam alii Apostolica Auctoritate confecti fuerunt, ex quibus desumptae sunt tum Virtutum Theologalium et Cardinalium, iisque adnexarum, quae in Josepho emicuerunt, tum etiam Miraculorum ejus intercessione a Deo editorum plenissimae probationes; quibus per dilectos Filios Consultores Congregationis Sacrorum Rituum, deinde per Ven. Fratres nostros S. R. E. Cardinales eidem Congregationi praepositos mature et ex ordine discussis, sanctae memoriae Praedecessor noster Clemens Papa XII., auditis eorum
A consiliis, die XV. Julii Anni MDCCXXXIV. definivit; *Constare de Josephi Virtutibus in gradu heroico;* ac similiter triennio post, die
B nempe VIII. Junii Anni MDCCXXXVII. de duobus Miraculis constare decrevit; nimirum de puero, qui a nativitate palpebras inter se adeo junctas habebat, ut lucis usura ipsi perpetuo interclusa judicaretur; implorata vero super eum Josephi ope, oculos statim aperuit, perfectumque visionis sensum deinceps obtinuit: deque Josepho Novello, qui quum gravissimo vulnere in genu sauciatus fuisset, invocato Servi Dei nomine, momento temporis sanatus fuit. Et consequenter de ipsius
C pariter Congregationis consilio idem Praedecessor ad publicum cultum Josepho indulgendum progressus est: Qua de re expeditis Apostolicis Literis die XIX. ejusdem mensis et anni, ejus Beatificationis Solemnia in Basilica Lateranensi celebrata fuerunt, aliaque religiosi cultus obsequia ad formam Indultorum in iisdem Literis contentorum, ipsius beati Viri memoriae summo Fidelium studio fuerunt exibita.

D Altero autem biennio vix elapso, quum eidem Clementi Praedecessori pro parte Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, totius Religionis suae nomine, expositum fuisset, ipsius beati Viri Sanctitatem novis atque frequentibus Miraculis a Deo illustrari, communibusque Populorum Votis atque etiam postulationibus clar. mem. Caroli VI. Hispaniarum Catholici et Romanorum Regis in Imperatorem electi, nec non Carissimorum in Christo Filiorum nostrorum Magnae Britanniae, Poloniae, atque Sardiniae Regum, aliorumque supremorum Principum et Magnatum, complurium praeterea S. R. E. Cardinalium, Antistitum, Ecclesiarum, atque Universitatum expeti, ut de solemni ejusdem Beati Canonizatione juxta Ritum et praxim Sanctae Romanae Ecclesiae tandem ageretur; placuit eidem Praedecessori, praefata Congregatione approbante, pro hujusmodi Causae reassumptione Commissionem signare, et compilationem novorum Processuum super indicatis Miraculis post indultam Josepho venerationem sequutis, auctoritate Apostolica, nonnullis Episcopis de more delegare.

Quorum Processuum validitate approba- E
ta, Nobis jam Dei voluntate in Petri Cathedra sedentibus, sex potissimum Miracula in praefata Sacrorum Rituum Congregatione iteratis vicibus rite discussa fuerunt; de quibus postquam Nos ipsi suffragia Consultorum perlegimus, et Cardinalium praedictorum consilia audivimus in Congregatione Generali coram Nobis habita die XXII. Septembris Anni MDCCXLIV., nihil Nos quidem tunc pronunciavimus, sed invocato saepius Divini luminis adjutorio, novisque diligentiis jussu nostro peractis, ut quaedam tollerentur difficultates in animo nostro subortae, dum interim privatis studiis rem totam ad summum judicii rigorem exigeremus, demum die prima Maji Anni MDCCXLV., in Festo sanctorum Apostolorum Jacobi et Philippi, celebrata Missa in Basilica Lateranensi, publico Decreto edito, infrascripta duo Miracula tertii generis omni ex parte probata esse declaravimus.

Primum est consolidatio crurium et fe- F
morum pueri Josephi Dionysii, qui inferiora hujusmodi membra adeo debilia et flaccida ab utero Matris attulerat, ut iis nullo modo corpus sustentare posset; quin immo quum

A *Approbantur ipsius heroicae virtutes.* B *Item miracula hic enunciata.*
C *Beatificatio.* D *Causa reassumitur.*
E *Nova miracula examinantur et approbantur.* F *Miraculum I.*

eorum membrorum carnes, linteoli ritu, quaquaversum complicarentur, ossibus ea carere omnino putabantur: Hunc Mater biennii jam aetate nil proficientem ad Aram adduxit, sub qua beati Josephi corpus requiescit; cumque omnipotentem Deum pro deplorata filii sanitate per ipsius Beati merita cum lacrymis exorasset, exaudita est oratio ejus, itaut puerum inde pedibus suis incedentem Domum reduxerit.

A Alterum est sanatio Antoniae Morelliae, cui congesta tabes in sinistra thoracis regione interiora viscera adeo infecerat, ut licet Chirurgi manu externus tumori hiatus apertus fuerit, attamen non ex eo solum, sed saepe etiam ex aegrotantis ore, sanies mixta sanguine alternatim fluere perrexerit; assiduusque dolor cum tussi et febri, hecticam Mulierem biennio toto afflictam detinuerit; vulnus autem, contracto callo, in fistulam degeneraverit, ex qua spiritus per respirationem pectore exceptus adeo libere permeabat, ut aliquando candelae flammam extingueret. In hoc desperato valetudinis statu quum oleo ex lampade ante corpus beati Josephi ardente fistulae labia inuncta fuissent; unius noctis spatio fistula coaluit, abscessit febris et dolor, tussis cessavit, color viresque redierunt, atque integra et perseverans valetudo Mulieri est restituta.

B His igitur probatis, quum in praefata Sacrorum Rituum congregatione coram Nobis coacta die 3. Augusti ejusdem Anni MDCCXLV. proposita fuerit quaestio, an tuto procedi posset ad solemnem beati Josephi Canonizationem, nemini dubium fuit, quin juxta praxim Apostolicae Sedis et Praedecessorum nostrorum Decreta, omnia jam ad hujusmodi effectum abunde suppeterent; Nosque ipsi demum die XVII. ejusdem mensis et anni in anniversario Assumptionis nostrae solemne Decretum edidimus de eadem Canonizatione, servatis servandis, quandocumque peragenda.

C Pro cujus Decreti executione quum praedictorum Supremorum Principum, et Antistitum, ac Populorum vota, demissaeque Ordinis praedicti Fratrum Minorum Capuccinorum preces Nos urgere non desisterent; Tandem communicato consilio cum universo Collegio Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in Consistorio secreto die XVIII. elapsi mensis Aprilis coram Nobis congregatorum, eorumque assensu accepto, complures Ven. Fratres Archiepiscopos et Episcopos ex tota ferme Italia ad gravissimum consilium advocavimus; eorumque judicio totam hujus Causae seriem, atque omnia, quae de virtutibus et miraculis beati Josephi probata fuerant, tum oretenus in Consistorio publico coram D Nobis habito, in quo dilectus Filius Philippus Maria Pirellius Aulae Nostrae Consistorialis Advocatus ipsius Beati Causam peroravit, tum etiam in scriptis exponi mandavimus, tradita nempe singulis distincta praemissorum omnium relatione, ex authenticis monumentis praefatae Congregationis Sacro- E rum Rituum religiose desumpta. Quibus praemissis, aliud Consistorium die XIII. labentis mensis Junii coegimus, in quo praeter Ven. Fratres nostros S. R. E. Cardinales, praedictos quoque Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos in Romana Curia praesentes sedere jussimus, atque adstantibus Apostolicae Sedis Notariis, et duobus antiquioribus Causarum Palatii nostri Auditoribus, super expetita beati Josephi praedicti Canonizatione sententias dicere. Cumque omnes ad unum pro suprema ipsius Beati glorificatione non assensum modo suum solidis rationibus confirmatum, sed enixa etiam studia et vota sua declarassent; Nos quidem ea de re a praedictis Apostolicae Sedis Notariis publica Instrumenta confici, ac praeterea prolatorum suffragiorum exempla a singulis subscripta colligi, et in Tabularium Ecclesiae Romanae inferri mandavimus: Verumtamen antequam ad ferendam hujusmodi definitivam sententiam adduceremur, indictis per Urbem generalium jejuniorum diebus, designatisque ad

A *Miraculum II.* B *Decretum de tuto progressu ad Canonizationem.*
C *Consistorium Secretum.* D *Consistorium Publicum.*
E *Cardinalium et Episcoporum sententiae in Consistorio Semipublico.*

supplicationes Ecclesiis cum Indulgentia ab iis consequenda, qui suas cum nostris obsecrationibus jungerent, publicas Ecclesiae preces apud Deum Patrem luminum interponere curavimus, ut ad dirigendos sensus nostros juxta viam suam gratiae suae auxilium Nobis non denegaret.

A Tandem hac die beatorum Apostolorum Petri et Pauli Triumphis decorata, in Basilica Vaticana, ad quam solemni ritu Nos praecesserunt omnes Cleri Secularis et Regularis Ordines, omnia Magistratuum et Officialium Romanae Curiae Collegia cum praedictis Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, Ecclesiasticum conventum celebrantes antequam sacra mysteria conficeremus, exhibitis Nobis iterum iterumque a dilecto Filio nostro Joachimo Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbytero S. R. E. Cardinali Portocarrero nuncupato, per organum dilecti Filii Virgilii Montecatini Consistorialis Aulae nostrae Advocati praedictorum christianorum Principum, Ecclesiarum, et Populorum postulationibus, ac votis pro ipsius beati Josephi a Leonissa, quemadmodum etiam pro Beatorum Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, et Catharinae de Ricciis solemni Canonizatione, implorata prius caelestium Spirituum et Sanctorum omnium intercessione, atque invocato Paraclito Spiritu ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae, et Christianae Religionis augmentum, ac de concessa humilitati nostrae Apostolicae auctoritatis plenitudine, ipsum beatum Josephum Ordinis Minorum Capuccinorum Sacerdotem, omnium christianarum virtutum laude, plurimorumque miraculorum gloria, maturo nostro, et adstantium Fratrum nostrorum judicio cumulatissimum, una cum praefatis Fideli, Camillo, Petro, et Catharina, Sanctum esse decrevimus et definivimus, ac Sanctorum Catalogo adscripsimus, ejusque memoriam, quam in subsequuta Missae celebratione Nos ipsi solemniter venerati sumus; ab universa Ecclesia quotannis die IV. Februarii religiose coli mandavimus, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Omnibus quoque B Christifidelibus ad tantae solemnitatis celebritatem congregatis, Plenariam, his vero, qui singulis annis praedicta die ad ejusdem Sancti Corpus venerandum accessissent, septem annorum et totidem quadragenarum Indulgentiam, in forma Ecclesiae consueta misericorditer in Domino largiti fuimus.

Gaudeant igitur in Domino universae familiae gentium, et in vocibus exultationis jubilent Deo, qui Ecclesiam suam perpetua miseratione custodiens, praeclaris eam Sanctorum exemplis quotidie instruere, meritis atque praesidiis roborare non desinit; ut quibus per Filium suum sanctissima vitae documenta tradidit, amplissimamque Caelestis Regni haereditatem promisit, iisdem per Sanctos suos nova ad currendam salutis viam incitamenta, novam semper attingendae metae fiduciam praebeat; ipso adjuvante et donante, qui est justitia, et sanctificatio, et redemptio nostra; qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum.

Ut autem praemissa omnia ad universae per Orbem Ecclesiae notitiam perducantur, eorumque memoria perpetuis futuris temporibus ad Dei gloriam, et Fidelium eruditionem indeficiens perseveret; Nos ea prae- C sentibus Apostolicis Literis complecti et roborare voluimus, mandantes, harum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat pagi- D nam hanc nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

A *Solemnia Canonizationis.* B *Indulgentiae.*
C *Fides habenda Transumptis.* D *Sanctio.*

A Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI., III. Kalendas Julii, Pontificatus Nostri anno VI.

✠ Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ Sigilli.

† *Ego T. Episcopus Ostien. et Veliternen. Card. Rufus Decanus, et S. R. E. Vice-Cancellarius.*

† *Ego A. Episcopus Portuensis Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.*

† *Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Petra, Major Poenitentiarius.*

† *Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.*

†

† *Ego F. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.*

†

†

†

†

†

†

† *Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.*

†

†

†

† *Ego F. Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.*

† *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presbyter Card. Gentili.*

† *Ego Fr. J. A. Tit. SS. Silvestri et Martini Presbyter Card. Guadagni.*

† *Ego T. Tit. S. Caeciliae Presbyter Card. de Acquaviva.*

† *Ego D. Tit. Basilicae Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*

† *Ego J. B. Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Card. Spinula.*

†

†

†

†

† *Ego R. Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.*

†

†

† *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*

† *Ego S. Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.*

†

† *Ego J. F. Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.*

† *Ego C. Tit. SS. Joannis et Pauli Presbyter Card. Paulutius.*

†

† *Ego C. A. Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.*

†

†

†

†

†

†

†

† *Ego F. Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Card. de Ricciis.*

† *Ego A. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.*

†

† *Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.*

† *Ego F. Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Card. Tamburini.*

† *Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besozzi.*

†

†

†

†

†

†

†

† *Ego Carolus S. Mariae in Via-Lata Diaconus Card. de Marinis.*

† *Ego Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Albanus.*

† *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*

A *Dat. Pontific. An. 6. die 29. Junii 1746.*

† *Ego Agapitus S. Agathae Diaconus Card. Mosca.*
†
†
† *Ego C. S. Mariae in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*
† *Ego M. SS. Cosmae et Damiani Diaconus Card. Bolognettus.*
† *Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*
† *Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.*
† *Ego A. S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. Tanari.*
† *Ego H. S. Adriani Diaconus Card. Bardi.*
† *Ego D. SS. Viti et Modesti Diaconus Card. Ursinus.*
†

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA
de Curia I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

LITERÆ DECRETALES CANONIZATIONIS

B. CATHARINAE DE RICCIIS VIRGINIS.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

A Ad nuptiale convivium, quod Rex caelestis praeparavit Filio suo, ad quod non cessat ab origine Mundi humanas animas invitare, donec Electorum numerus impleatur, omnes quidem virtutes, quibus electae Sponsae tamquam dotali censu ditantur, ingressum atque aditum parant; sed virginalis potissimum corporis animique puritas adeo faciles accessus praestare consuevit, ut qui casti sunt corpore et spiritu, interdum etiam ante statutum sponsalium diem ad ipsa nuptialia gaudia introduci contingat, nimirum talibus tantisque de Caelo favoribus in hujus vitae exilio adhuc degentes cumulari, ut jam fere ad perfectam cum Sponso unionem in antecessum pervenisse videantur. Hoc est fortasse, quod Nobis innuunt prudentes illae Virgines, de quibus in Evangelica Parabola legimus, quod licet ipsae tunc Sponsi thalamo destinatae non essent, attamen quum studio pervigiles, et cum ornatis ardentibusque lampadibus et vasis oleo plenis inventae fuerint, adveniente Sponso intraverunt cum eo ad nuptias; ut scilicet pro earum captu, ineffabiles illas praegustarent delicias, quibus felices demum animae compotes erunt, quum post expletam mortalis vitae peregrinationem, in Templum Regis, in Sanctuarium Dei cum laetitia et exultatione adducentur. Hoc satis aperte declaravit ipse Dominus Jesus, qui in diebus carnis suae Discipulum illum virginitatis candore praestantem, prae ceteris omnibus, quos amicos suos appellavit, singularibus charitatis significationibus est prosequutus; eidemque postea secreta caelestia revelavit. Hoc saepe deinceps in pluribus sanctis utriusque sexus virginibus demonstravit. Hoc denique recentius ostendit in B. Catharina Virgine Ordinis Praedicatorum Moniali; in cujus innocentia ac puritate ita sibi complacuit Sponsus virgo et Virginis Filius, ut eam ad sublimissimum perfectionis culmen evectam, ac caelestium charismatum copia perfusam, ad intimam sui familiaritatem in terris admiserit, et tandem suae ipsius beatitudinis participem in Caelis fecerit; ubi illam in sinu Dilecti certissime regnantem, et pro nobis assidue intercedentem, ab universa Ecclesia colendam ac venerandam esse (praevia virtutum ipsius, ac miraculorum in ejus gratiam a Deo editorum cognitione ac juridica approbatione,) de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepi-

A *Exordium.*

scoporum, et Episcoporum in Romana Curia congregatorum consilio et assensu, auctoritate Apostolica nuper definiendo declaravimus, decrevimus, atque statuimus.

A Florentiae clarissima Italiae Urbe ex Nobili Familia de Ricciis anno MDXXII. ortum habuit Catharina, quam Parentes in Baptismate Alexandram nuncuparunt. Porro ad quam excelsum Sanctitatis apicem provecturus eam esset omnipotens Deus, cito demonstravit praeveniendo illam in benedictionibus dulcedinis, ut quum ab ipsa puerili aetate sublimibus mentis illustrationibus atque ineffabili cordis suavitate in sanctae orationis exercitio atque in ceteris pietatis officiis exequendis frequenter completa fuerit, jam tunc mundana gaudia despicere, et ad caelestia ex animo adspirare assueverit. Itaque quum ad firmiorem aetatem pervenisset, et claustralis vitae bona, in Monasterio primum S. Petri e Monticulis prope Florentiam, tum in alio S. Vincentii in Civitate Pratensi praegustasset; frustra deinde Pater secularium nuptiarum splendorem et commoda ipsi proposuit; quae in odorem caelestis Sponsi currens nunquam quievit, donec ei tandem permissum fuit ad praedicti Pratensis Monasterii
B solitudinem convolare, ibique Deo sub Regula sancti Dominici perpetuo se addicere.

Angelicam vivendi rationem statim a Tirocinio exorsa, quum se in omni virtutum genere universae Societati magnopere probasset, summo Sororum studio ad Religiosam Professionem admissa fuit, quamvis ipsa prae animi demissione rejiciendam se fore pertimesceret. Perfectissima fuit Catharinae obedientia difficilioribus licet experimentis probata; absolutissima Regularis disciplinae custodia; alacris in abjectis quibusque ministeriis obeundis promptitudo; admirabilis modestia atque ab omni re, quae ipsius animae puritatem quoquo modo obfuscare aut obnubilare posset, summa aversio; assidua vero unio cum Deo, ad cujus honorem omnia sua dicta et facta fideliter dirigebat.

C Tanta vero illius virtutum admiratio in Monialium animis excitata fuit, ut eam vix quintum aetatis lustrum egressam unanimi consensu totius Monasterii moderatricem elegerint; idque munus deinceps eidem, quantumvis invitae, atque obediendi magis, quam imperandi cupidae ad annos quadraginta duos in omnem scilicet ipsius vitam prorogaverint. Nihil enim in ea desiderandum sibi esse intelligebant, sive ad rectitudinem atque prudentiam, sive ad vigilantiam et solicitudinem, sive ad charitatem et comitatem, sive ad religionis et pietatis fovendae studium, sive ad exemplum. Illam sibi ducem atque hortatricem ad spiritales profectus, illam in omni officio magistram, in omni rerum vicissitudine matrem amantissimam experiebantur, plenoque obsequio colebant, et sincero amoris affectu complectebantur. Ipsa vero ad innumeras curas, quas pro commisso sibi regimine gerebat, hoc etiam solicitudinis addebat genus, ut abjectissima magisque laboriosa ministeria sibi reservando, eaque continenter exercendo, impositam sibi auctoritatis et elationis speciem aliqua saltem ratione extenuaret; simulque ut animum suum, multiplicatis atque protractis orationi s temporibus, arctius cum Deo conjungeret, ne forte inter avocantium negotiorum occupationes divinae charitatis ignis in ejus sinu tepesceret.

Qua e sane in re votis suis fraudata non est piissima Virgo; sed per sui ipsius contemptum in Dei amore quotidie crescens, atque ex hoc ipso in sui abnegatione magis proficiens, ad eam brevi pervenit christianarum virtutum perfectionem, quam per legitimas plenissimasque probationes rite demonstratam, et manifestis divinae omnipotentiae signis atque miraculis comprobatam, solemni Ecclesiae vocabulo Sanctitatem appellamus. Quae quum sit omnium christianarum virtutum in gradu heroico pro cujusque status et vitae ratione plenissima complexio; perfectumque includat implementum divinorum praeceptorum et consiliorum, quae ad stabiliendam in credentium cordibus Dei et Proximi dilectionem, et ad destruendum humanae cupiditatis regnum a caelesti Legislatore D

A *S. Catharinae ortus et primordia.* B *Religionem ingreditur.*
C *Monasterii perpetuum regimen obtinet.* D *Perfectioni studet.*

tradita fuerunt; juvat hic ex praeclaris Catharinae operibus aliqua commemorare, ex quibus demonstrata illius habituali in Deum charitate, in Proximos misericordia, in semetipsam severitate, de reliquis etiam virtutibus, quibus eam cumulate praeditam fuisse compertum habemus, cuilibet licet conjectari.

A Sapientiae caelestis incensa studio unum sibi proposuit cui prae ceteris vacaret, Librum, unum quod sequeretur exemplar; Jesum Christum, et hunc crucifixum: Quem oculis cordis jugiter aspiciendo, quem dies noctesque contemplando, adeo in illius amorem exarsit, ut nihil extra eum cogitare, nil nisi de ipso loqui, nihil quod pro ipso et secundum ipsum non esset, agere posse videretur. Nulla res erat, nulla ejus vitae actio, quae non statim ipsam ad recordationem Dei, tamquam primae originis et finis omnium, revocaret; ejusque memoriae dulcedine perculsam ad ferventissimas adspirationes, ad inflammata suspiria, ad subita etiam animi deliquia compelleret. Indignam se prorsus esse ajebat, quae divini amoris igne accenderetur: Veruntamen, si ab ejus veluti vitali flamma destitui se forte contingeret, animam vitamque suam illico defecturam fore profitebatur. Quod si in communibus vitae actionibus Deo suo ita adhaerebat, ut ab eo divelli non posset, quanto magis necesse est intimam fuisse unionem, qua illius spiritus caelesti Sponso in oratione, ac mysteriorum et virtutum ejus contemplatione jungebatur? Tunc videre erat Catharinam extra se raptam, totamque in Deo absorptam, non solum spiritualium animae facultatum, sed etiam corporeorum sensuum commercium cum creatis omnibus rebus abrumpere, ac multas saepe horas aliquando etiam integros dies in ecstasi perseverare. Illud vero prae omnibus admirabile fuit, quod meditatio passionum Christi in ea operabatur; dum ipsam in imaginem et similitudinem patientis Sponsi interius exteriusque transformans, illius dolores jam alte animo insculptos corporis quoque motibus exprimere cogebat; itaut singulis hebdomadibus a meridie Feriae quintae usque ad horam nonam Feriae sextae a sensibus abstracta totam feralis Tragoediae seriem ordinate ad vivum repraesentaret. Quis autem vel mente assequi valeat uberrimas consolationes, quibus Catharinae cor in Eucharistici panis sumptione perfundebatur? Tunc fiebat super eam manus Domini, gloria Domini in eam descendens, clarissimae lucis radios adstantium quoque oculis perspicuos ex ipsius corpore undequaque spargebat: aliquando etiam ipsum ejus corpus a terra elevabat, ac diu in aere pendens multis inspectantibus sustinebat. Hinc minime mirum, si pia Virgo caelestium virtutum formam ex adeo intima Sponsi consuetudine in se recipiens, eam in suis moribus tanquam in speculi nitore exhibebat; ac ferventissimo divinae gloriae zelo flagrans, tam subjectas sibi Virgines, quam obvios quosque fideles ad amorem Dei inflammare, ad virtutem excitare curabat.

Qua in re cum ipsius Dei gloriam prae oculis praecipue habebat, tum etiam pro ingenti sua in Proximos charitate ipsorum aeternam salutem magnopere spectabat. Hoc erat sane potissimum argumentum perfectae dilectionis, qua omnes vocationis suae consortes prosequebatur; dum scilicet Dei cultum, Religionis fervorem, virtutum omnium studium in ipsis fovere atque amplificare omni ope satagebat. Sed nec in reliqua officii sui administratione minora ipsis maternae pietatis studia impendebat. Summa enim erat et jugis Catharinae solicitudo, ne quid concredito sibi gregi deesset, sive ad innocentiae custodiam, sive ad morum disciplinam, sive ad animorum quietem et tranquillitatem, sive ad temporalis vitae subsidia et corporum incolumitatem. Si quae vero ex Sororibus in morbum incidisset, ejus peculiarem curam eique inserviendi onus sibi sumebat; ipsi dies noctesque adstare, omniaque christianae charitatis officia praestare gaudebat. Denique in mortis agone constitutas apud Deum juvare, earumque animas in manus Sponsi, e quibus Adversarius eas rapere non auderet, commendare et pro viribus asserere nitebatur. B

Neque tamen angustis Monasterii sui finibus contineri potuit ipsius charitatis ampli-

A *Divino amore flagrat.* B *Proximos omnes charitate complectitur.*

tudo; sed quum ad omnes ubique terrarum homines dilataretur cor ejus, pro omnium salute impetranda assiduas suas et Sororum preces et voluntarios etiam corporis sui cruciatus, seque totam omnipotenti Deo, veluti Hostiam pacificam, in unionem Sacrificii Redemptionis humanae sine intermissione offerebat. Quin etiam ad sublevandas pauperum et calamitosorum omnium aerumnas, quod ipsa per se praestare non poterat, id excitata suis hortationibus ditiorum charitate assecuta fuit, immensa pecuniarum vis per totam Hetruriam alendis egenis, excipiendis aegrotis, viduis, orphanis, et senibus sustentandis, virginibus collocandis erogaretur. Denique ad purgantis Ecclesiae levamen non minori studio intenta multiplicabat in eum finem suas preces et lacrimas, jejunia aliasque carnis suae afflictationes, ut divinae Justitiae pro animabus adhuc in captivitate detentis satisfacere mereretur.

A Quae omnia quum clare pateat non sine praevia sui ipsius abnegatione a Catharina effici potuisse, silentio tamen praetereunda non sunt, quae de admirabili ipsius poenitentia et mortificatione juridice cognovimus. Sane quum semel Mundo et Satanae per ipsam religiosae vitae professionem omnino renunciasset, adversus carnem suam quam ipsi datum non fuerat una cum aliis rebus relinquere, perpetuum bellum gerendum sibi esse duxit. Itaque asperrimis flagellis instructa, ciliciis aliisque tormentorum instrumentis onusta, frigore, inedia, vigiliis, omnique cruciatuum genere virginale corpusculum assidue divexare et conterere non destitit, nec unquam per quadraginta et octo annos, quos in Religione transegit, carnem aut ova gustavit, sed solo plerumque pane et aqua victitare consuevit. Et tamen patiendi adhuc cupida pro suorum et alienorum peccatorum expiatione Dominum saepe oravit, ut se morborum ac dolorum vi amplius probare, et ad vivum urere vellet; idque suis precibus omnia exorantibus consecutam fuisse dicendum est; cum Medici saepe affirmaverint praeter naturam omnino esse gravissimos morbos et acerbissimos dolores, quibus Ancilla Dei mirum in modum torquebatur.

Quod si tali in re, quae ad illius cruciatum tendebat, caelestis Sponsus Dilectae suae preces audire non renuit, minime putandum est, ipsum qui totius consolationis fons est et origo, Catharinam in angoribus et desolationibus desertam voluisse; quique justo suo Job pro infortuniis patienter toleratis, aequissimo et clementissimo judicio omnium amissorum bonorum duplicia reddidit, non huic innocentissimae Virgini tribuisse, ut secundum multitudinem dolorum, quos vel libenter sustinuit, vel ipsa sibi sponte irrogavit, sanctorum solatia gaudiorum ipsius animam laetificaverint.

Itaque pro hujusmodi poenarum acerbi- B
tate ipsius spiritum ineffabilibus delectationibus, quae in dextera ejus sunt, adimplevit; effusa scilicet in eam lucis et veritatis suae communicatione, quae ad sublimiorum veritatum cognitionem, ad intelligenda divinorum mysteriorum arcana ipsam deduxit, et accensa in ejus pectore beatissima charitatis suae flamma, cujus incendii vi ac suavitate ipsius cor tamquam cera liquescens, deficiebat in Deum salutare suum.

Quamvis autem sanctarum animarum gloria omnis, in hac quidem vita plerumque ab intus, in altera vero adeo supra humanum captum posita sit, ut de ea vere dicatur, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se; voluit tamen omnipotens Dominus, sive ad manifestandas divitias gratiae suae, sive ad eruditionem nostram, tam insignium charismatum largitione Catharinam in terris adhuc viventem illustrare, ut omnibus liceret ex his arguere, quantam gloriae celsitudinem in aeterna Beatitudinis sede eidem conferre decrevisset.

Ad comprobandam siquidem atque juvan- C
dam sinceram ipsius charitatem, qua afflictis opem ferre, omnibusque prodesse summopere cupiebat, dedit ei Dominus potestatem faciendi mirabilia, in instantaneis morborum depulsionibus, in rerum multiplicatione, aliis-

A *Poenitentiae rigores in se ipsam exercet.* B *Spiritualibus deliciis cumulatur.*
C *Miraculorum gloria claret.*

que signis atque prodigiis, quae supra omnem naturae vim frequenter operabatur: Praeterea dedit ei spiritum prophetiae, quo sive ad Proximorum correctionem, sive ad cautelam, sive ad consolationem futura praevideret, absentia conspiceret, et cordium secreta dignosceret.

A Amoris vero magnitudinem, quo Deum ipsum ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus suis diligebat, ipse vicissim praeclaris bonitatis suae significationibus abunde rependit. Saepe etenim ipse Rex gloriae, in quem desiderant Angeli prospicere, corporali specie se illi videndum exhibuit, dulcissimosque cum illa sermones miscuit: Aliquando idem Dominus Jesus sub specie Pueruli a Matre Virgine Angelorum Regina in ipsius ulnis est reclinatus: Aliquando ejusdem Imago Cruci affixa, revulsis a trunco brachiis, mirabilibus eam beavit amplexibus. Denique ipsam in fide et charitate sibi sponsatam fulgido ornatu ac pretiosissimis monilibus de thesauris suis decoravit. Illius enim lateri ac manibus, pedibusque, sacra clavorum suorum et lanceae Stigmata sanguine rubentia insculpsit; spineum diadema capiti imposuit; humeris vero vestigia Crucis profunde impressit. Utque magis ostenderet quanta esset inter se et Catharinam spirituum et voluntatum conjunctio, illustre signum posuit in faciem ejus, ipsam aliquando in vivam sui vultus imaginem et similitudinem transformans, ut qui Catharinam vidisset ipsum Filium Dei et Filium hominis videre se existimaret.

Tantam sanctitatem tantis illustratam pro-
B digiis voluit Deus ad sui gloriam et ad posterorum fidem per omnia probationum genera in summa certitudinis luce collocari: Probata est contradictionibus obloquentium et calumniantium vituperationibus: Probata est admirantium laudibus et praedicationibus, clarissimaque fama, quae non modo per Hetruriam, sed per alias quoque Italiae Regiones, ac demum per universam Europam longe lateque diffusa incredibilem ad ipsam traxit hominum multitudinem ex omni conditione, etiam Regia, ex omni sexu atque aetate; qui ad petenda consilia, ad beneficia vel spiritualia, vel temporalia obtinenda, ad magnificandum Deum in mirabilibus ejus undique ad eam confluebant. Verum ipsa Catharinae virtus inter tam diversa hominum judicia sese luculentissime probavit, tum scilicet perpetuo atque constanti innocentiae et sanctitatis tenore, tum singulari potissimum humilitate, qua et obtrectantium malignitatem et mundanorum plausum vanitatem aeque superavit; ut toto ipsius vitae cursu per gloriam et ignominiam, per infamiam et bonam famam, ipsius securam conscientiam solidamque pietatem nec laudes inflarint, nec opprobria defatigaverint.

In omnibus enim collatis sibi muneribus C
non suam, sed Donatoris excellentiam agnoscens, seque divinorum beneficiorum indignam ex animo reputans, nihil in vulgus prodire volebat, quod aliquo modo in sui gloriam cedere posset. Quare cum cognovisset, volumen quoddam rerum a se gestarum et caelestium donorum, quibus a Deo quotidie cumulabatur, penes Moniales asservari ab aliqua ex ipsis conscriptum; cumque frustra orando et obsecrando cum iis egisset, ut hujusmodi volumen conscissum flammis traderetur, ipsa denique illud fortuito repertum statim in ignem conjecit. Quod si nihilominus ipsamet arcanas divinae bonitatis communicationes in oratione potissimum sibi impertitas cuidam ex Sororibus fideliter enarravit; id nonnisi eadem humilitate impellente et invito prorsus animo praestitit; ne scilicet imperio Confessarii, qui id ad multa expedire prudenter in Domino judicavit, ulla in re quantumvis ardua refragaretur. Cum vero ex ostensione virtutum atque signorum, quae Deus in ipsa et per ipsam operabatur, et quorum causa frequens erat hominum ad Monasterium accessus, vel religiosam sanctae societatis quietem turbari posse metueret; vel pro se ipsa formidaret, ne forte in superbiae vitium declinans, inde fieret immunda vanitate, unde videbatur virtute clarescere; non destitit Sponsum rogare atque orare, ut divinis suis muneribus modum im-

A *Caelestibus favoribus et donis locupletatur.*
B *Multimode probatur.*
C *In humilitate constans perseverat.*

ponere, vel saltem ea mortalium oculis occultare dignaretur; donec sua humilitate ac perseverantia, quod postulabat, obtinuit.

A Ex hac ipsa perseveranti humilitate, Viri pietate et doctrina praecipui veram minimeque fucatam Catharinae virtutem agnoverunt, et tanquam ad Lapidem Lydium comprobaverunt; tum scilicet ipsius Ordinis Superiores, qui non semel de illius spiritu experimenta sibi capienda esse duxerunt; tum etiam insignes Ecclesiarum Praesules, inter quos Robertus olim hujus S. R. E. Cardinalis Puccius nuncupatus, Episcopus Pistoriensis, qui de mandato felic. record. Pauli Papae III. Praedecessoris nostri cum aliis probatissimis Viris ad praefatum Monasterium se contulit, ut tam evulgatam sanctitatem ad rigidum examen revocaret; Michael item Cardinalis Alexandrinus nuncupatus, qui a sancto Pio Papa V. ipsius Avunculo, et nostro pariter Praedecessore ad gravissima hujus Apostolicae Sedis totiusque christianae Reipublicae negotia tractanda Legatus missus Catharinae monita et consilia expetenda sibi esse censuit; aliique praeterea sapientissimi Antistites, et ejusdem S. R. E. Cardinales, praesertim Marcellus Cervinius, Hyppolitus Aldobrandinus, et Julius Mediceus, quos ad hanc Petri Cathedram deinde evectos inter Venerabiles Praedecessores nostros numeramus; quique omnes illius perspectae sanctitati, quadam veluti conclamatione testimonium dederunt. Istorum gravissimis judiciis magnum auctoritatis pondus accedit ex singulari existimatione, qua S. Philippus Nerius, tunc in humanis agens, Catharinam est prosecutus, cujus etiam spiritualem amicitiam ac literarum commercium, Deo inspirante expetivit; et aliquando in ecstasim raptus, quod illi pariter familiare fuit, cum ipse Romae degeret, Catharinam in suo Monasterio Prati commorantem coram Deo, communi nimirum ipsorum amicitiae nexu, longo tempore est allocutus; quemadmodum fel. record. Urbanus Papa VIII. in suis Apostolicis literis super ejusdem sancti Philippi Canonizatione a Gregorio XV. antea facta editis, testatum reliquit.

B Denique anno ipsius aetatis sexagesimo sexto, religiosae Professionis quadragesimo octavo, cum tempus advenisset migrandi ex hac vita ad Sponsum, qui charitate perpetua dilexit eam, in extrema ipsius infirmitate, nil nisi illustre et sanctimonia plenum apparuit. Siquidem Ecclesiae Sacramenta summo pietatis et religionis sensu petiit atque suscepit; sanctissima Sororibus monita de omnibus vocationis earum officiis reliquit; morbi dolores invicta patientia toleravit; atque in Crucifixi amoris sui contemplatione usque ad extremum spiritum defixa permansit; tandemque inter Angelorum concentus, quos etiam ab adstantibus Monialibus audiri Deus voluit, purissimam animam Deo reddidit, die II. Februarii anno Domini MDLXXXIX.

C Sancta Maria Magdalena de Pazzis, tunc temporis Florentiae vivens, festivum Catharinae ingressum in caelestem Hierusalem, et exultantes de ipsius triumpho beatorum Spirituum choros in mentis excessu spectavit. Communis autem quae invaluerat de ipsius sanctitate, opinio ingentem populi frequentiam ad ejus funus celebrandum adduxit. Utque deinceps ipsius Sepulchrum magno in honore haberetur, in Causa fuerunt crebra beneficia et miracula, quae plerique a Deo per ipsius merita se obtinuisse testabantur.

Illius denique Sanctitatem extra omnem dubitationis aleam constituunt juridicae probationes, quae tam super ipsius heroicis virtutibus, quam super miraculis ad illius invocationem a Deo patratis, Episcopali primum auctoritate, mox etiam Apostolicae Sedis delegatione collectae, et apud hanc Sanctam Sedem diu et mature discussae, firmissima Nobis fundamenta suppeditarunt, ut definitive tandem super ea pronunciaremus, et Catharinae nomen atque memoriam sanctarum Virginum Catalogo solemniter adscriberemus.

D Primum judicium super praemissis omnibus ante Urbani Papae VIII. Decreta peractum fuit ab Auditoribus Causarum Palatii Aposto-

A *De Catharinae sanctitate testimonia.* B *Ejusdem pretiosa mors.*
C *Et Sanctitatis fama post obitum.* D *Actorum series in ipsius Causa.*

lici, qui et Processuum validitatem, et virtutum excellentiam, et miraculorum veritatem gravitatemque comprobarunt. Antequam vero horum cognitio a S. R. E. Cardinalibus Congregationi Sacrorum Rituum praepositis assumeretur, alterum institutum fuit judicium super hujusmodi Decretorum a praefato Urbano Praedecessore interim editorum observantia; de qua primo quidem Episcopus Pistoriensis anno MDCLXXV., mox etiam praedicta Sacrorum Rituum Congregatio anno MDCLXXIX., ac de ipsius consilio san. mem. Praedecessor noster Innocentius Papa XI. plenissime constare decreverunt.

A Instaurato demum ante hos triginta annos in praefata Congregatione Sacrorum Rituum novo Catharinae virtutum examine, Nobis tunc in minoribus Promotoris Fidei munus gerentibus, omnibusque plene ac severe discussis, tandem a piae memoriae Praedecessore quoque nostro Benedicto Papa XIII. die VII. Martii anni MDCCXXVII. de iisdem pariter constare decretum fuit. Duo vero miracula a simil. record. Decessore nostro Clemente Papa XII. die XXX. Aprilis anni

B MDCCXXXIV. de ejusdem Congregationis consilio approbata fuerunt: Instantaneae nimirum sanationes, tam Sororis Catharinae de Bonsiis in eodem Monasterio S. Vincentii Professae ab Aneurysmate; quam Sororis Elisabeth Cherubinae Cattani in Monasterio S. Clarae praefatae Civitatis Pratensis Monialis Conversae ab Ischiade. Hinc idem Clemens Praedecessor, datis Apostolicis li-

C teris in forma Brevis die 1. Octobris ejusdem anni, Beatae titulum et honores Catharinae, tribui ac deferri posse concessit.

D Cum vero deinceps accepisset nova miracula, post indultam Catharinae venerationem, ipsius intercessione a Deo edita esse; ad preces catholicorum Principum et Populorum, complurium Antistitum, et universi Ordinis Fratrum Praedicatorum, quibus omnibus ipsius Beatae Canonizatio summopere cordi erat, novos super eisdem Processus auctoritate Apostolica confici mandavit. Quorum Processuum validitate approbata, Nos denique ad Petri Cathedram inscrutabili Dei judicio interim evecti, post accuratissimum miraculorum in ipsis relatorum examen in praefata Sacrorum Rituum Congregatione de more peractum, visis ac respective auditis in Congregatione Generali coram Nobis habita die XXIV. Martii anni MDCCXLIV., tam Consultorum, quam Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium eamdem Congregationem constituentium suffragiis; totaque re privatis nostris studiis iterum discussa, atque uberioribus etiam documentis indubiam animo nostro fidem facientibus comprobata, tandem die XXVI. Maji ejusdem anni in Festivitate S. Philippi Nerii Confessoris, cui piam cum B. Catharina necessitudinem intercessisse supra narravimus, celebrata Missa ad Altare, sub quo ipsius Sancti corpus requiescit, atque implorato Spiritus sancti auxilio; infrascripta duo miracula auctoritate Apostolica approbavimus et publicavimus.

Primum est secundi generis, nimirum absoluta et perfecta sanatio Mariae Clementinae Staccioli puellae Florentinae ab inveterato et exulcerato cancro in dextra mamilla, qui septem primo valvulis, seu cavitatibus, mox duabus hians, acerbissimis doloribus et periculosis symptomatibus, octo annorum spatio eam excruciavit, nec ullis artis Medicae remediis sanari poterat, sed invocata semel et iterum B. Catharinae ope, adhibitoque oleo ex lampade ante ipsius corpus ardente penitus evanuit. Alterum tertii generis obtentum fuit a Sorore Maria Magdalena Fabris Moniali Professa Ordinis S. Dominici Augustae Vindelicorum. Ea siquidem pertinaci Arthritide in inferioribus membris diu vexata, jamque omnino gradiendi impotens, dum ob decretam ab Apostolica Sede ejusdem Catharinae Beatificationem Hymnus pro gratiarum actione a Sororibus solemniter caneretur, ipsius Beatae meritis vehementer confisa, eamque enixe precata, ad cantum Versiculi *Te ergo quaesumus*, sensit se a Deo repente sanatam, redditasque sibi vires, et liberam incedendi facultatem, qua deinceps absque imminutione perfectissime usa est. E

A *Approbatio virtutum*. B *Et miraculorum*. C *Beatificatio*.
D *Causa reassumitur*. E *Miracula pro Canonizatione approbata*.

A Post haec audito iterum praefatae Congregationis generalis consilio, exoratoque privatim Deo Patre luminum, die VI. Octobris praedicti anni decrevimus, jam nihil per consultissimas leges et regulas eidem Congregationi Apostolica auctoritate praescriptas, desiderandum superesse, quo ad solemnem ipsius B. Catharinae Canonizationem servatis servandis quandocumque procedi posset.

B Ad quam demum rite recteque juxta sacrorum Canonum normam, et venerabilia Praedecessorum nostrorum Instituta procedere volentes, universi primum Collegii Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilium exquisivimus; habito nempe Consistorio secreto die XVIII. elapsi mensis Aprilis, in quo Nos ipsi Summam virtutum et miraculorum B. Catharinae, necnon seriem Actorum in ejus causa juridice gestorum ipsis exposuimus; omnibusque adsentientibus, ut ad supremam gravissimo judicio manum imponendam progrederemur, complures Ven. Fratres Archiepiscopos et Episcopos ex universa ferme Italia in Urbem acciri mandavimus; eos quoque juxta morem Apostolicae Sedis, antequam definitivam hujusmodi sententiam proferremus, in consilium adhibituri.

C Hi omnes necessariam Causae totius cognitionem hauserunt, tum ex peroratione in Consistorio publico coram Nobis habita a dilecto Filio Paulo Francisco Antamorio nostrae Consistorialis Aulae Advocato; tum ex fideli relatione e monumentis saepedictae Congregationis Sacrorum Rituum desumpta, quae typis impressa omnibus et singulis tradita fuit.

D Quapropter coacto demum die XIV. labentis mensis Junii semipublico Consistorio, in quo praeter eosdem Fratres nostros S. R. E. Cardinales, omnes praeterea Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi qui jam tunc ad septuaginta fere hac ipsa de causa in Romana Curia praesentes aderant, sessionem habuerunt; factaque omnibus dicendae sententiae potestate, venerabilem hujusmodi Consacerdotum coronam summa consensione audivimus ad ejusdem praeclarae Virginis Canonizationem Nos adhortantem: Qua de re omnium suffragia proprio singulorum chirographo subscripta colligi jussimus, in Tabulariis Ecclesiae Romanae perpetuo asservanda, mandantes dilectis Filiis Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ibi de more adstantibus, ut in absentia Notariorum Apostolicae Sedis, qui Protonotarii de numero Participantium nuncupantur, super hujusmodi solemni actu publica Instrumenta, quotquot opus esset, conficere deberent.

Indicta itaque pro Canonizationis celebritate hodierna die beatorum Apostolorum Petri et Pauli Martyriis consecrata, non omisimus interim in humilitate et jejunio privatas nostras, et publicas Ecclesiae preces Deo Patri offerre per Filium ejus, ut Spiritus sancti virtute mentem nostram dirigere et confirmare dignaretur. Hodieque tandem de mane, congregatis in Vaticano omnibus Cleri Secularis et Regularis Ordinibus, omnibus Romanae Curiae et Aulae nostrae Proceribus et Officialibus, cunctisque Ven. Fratribus nostris Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, solemnis supplicationis ritu Divinam Majestatem venerantes, ad Basilicam Principis Apostolorum processimus. Ibi simul ac ante sacratissimam Apostoli Confessionem constitimus, dilectus Filius noster Joachimus Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter ejusdem S. R. E. Cardinalis Portocarrero nuncupatus, perorante dilecto Filio Virgilio Montecatino Consistorialis Aulae nostrae Advocato, enixa Christianorum Regum et Principum, Ecclesiarum et Religiosorum Ordinum vota pro ipsius B. Catharinae, sicut etiam pro beatorum Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, et Josephi a Leonissa solemni Canonizatione; simulque maturas deliberationes super eorum meritis et miraculis hucusque rite praehabitas, Nobis repraesentavit; Nosque semel iterum ac tertio rogavit, ut exoptatam dudum sententiam proferentes, catholici Orbis gaudium compleremus. Quare Nos implorato prius u- E

A *Decretum de tuto progressu ad Canonizationem.* B *Consistorium secretum.* C *Consistorium publicum.* D *Cardinalium et Episcoporum consilia in Consistorio semipublico.* E *Solemnia Canonizationis.*

niversae caelestis Curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic inspirante, ad honorem sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei catholicae et christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, praedictam Catharinam de Ricciis Virginem, Monialem Professam Ordinis Praedicatorum, christianarum virtutum praestantia ac caelestium donorum et miraculorum gloria illustrem, Sanctam esse definiendo pronunciavimus; et una cum praedictis Fideli Martyre, Camillo, Petro, et Josepho Confessoribus, Ecclesiasticis Sanctorum Fastis adscripsimus; decernentes ipsius S. Catharinae memoriam quotannis die secunda Februarii, aliorumque Sanctorum praedictorum, aliis respective diebus, in universa Ecclesia recolendam et venerandam esse, et concedentes omnibus Christifidelibus, qui ad eorum Sepulchra designatis diebus religiose accedent, ac Deum Optimum Maximum juxta nostram et piae Matris Ecclesiae mentem precati fuerint, Indulgentiam septem annorum, et totidem Quadragenarum in perpetuum in forma Ecclesiae consueta.

A Tunc repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, reddentesque Altissimo vota nostra, sacrosanctum Altare conscendimus, atque immaculatam humanae salutis Hostiam, juncta beatissimorum Ecclesiae Principum, et praedictorum Sanctorum commemoratione, omnipotenti Deo bonorum omnium Largitori reverenter obtulimus. Omnibus quoque Christifidelibus, qui ad tantae solemnitatis celebritatem frequentes convenerant, Plenariam peccatorum Indulgentiam misericorditer in Domino largiti fuimus.

Audiant itaque universi catholicae Ecclesiae Filii, et intelligant magnalia Dei, atque ad caelestem Hierusalem cogitationes et corda sublevantes, beatam hanc contemplentur candido eorum agmini sociatam, qui sequuntur Agnum quocumque ierit: Unde et illius validissimo patrocinio innixi, postulent a Deo pacem et gratiam, et ejusdem praeclaris exemplis excitati discant peritura Mundi bona despicere, et per innocentiae custodiam, per poenitentiae labores, per christianae virtutis studium, ad perfectae charitatis et sempiternae felicitatis Regnum, ac caelestis gloriae coronam contendere, per Christum Dominum Nostrum.

Idcirco praemissa omnia ad universalis B
Ecclesiae notitiam deduci, praesentesque nostras literas ad perpetuam rei memoriam extare voluimus, mandantes ut earum transumptis sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat pagi- C
nam hanc nostrae definitionis, Decreti, Ascriptionis, Mandati, Statuti, Relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum an- D
no Incarnationis Dominicae MDCCXLVI., III. Kalendas Julii, Pontificatus Nostri anno VI.

✠ Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ Sigilli.

† *Ego T. Episcopus Ostien. et Veliternen. Card. Rufus Decanus, et S. R. E. Vice-Cancellarius.*

† *Ego A. Episcopus Portuensis Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.*

† *Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Petra, Major Poenitentiarius.*

† *Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.*

† *Ego I. Episcopus Tusculanus Card. Accorambonus.*

† *Ego V. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.*

†

A *Decretum definitivum.* B *Praesentium transumptis auctoritas tribuitur.*
C *Sanctio.* D. *Dat. Pontific. An. 6. die 29. Junii 1746.*

†
†
†
†
† *Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.*
†
†
†
† *Ego F. Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.*
† *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presbyter Card. Gentili.*
† *Ego Fr. J. A. Tit. SS. Silvestri et Martini Presbyter Card. Guadagni.*
†
† *Ego D. Tit. Basilicae Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*
† *Ego J. B. Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Card. Spinula.*
†
†
†
†
† *Ego R. Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.*
†
†
† *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*
† *Ego S. Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.*
†
† *Ego J. F. Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.*
†
†
† *Ego C. A. Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.*
†
†
† *Ego F. Tit. S. Pancratii Presbyter Card. Lantes.*
†
†
†
†
†
† *Ego F. Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Card. de Ricciis.*

† *Ego A. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.*
†
† *Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.*
† *Ego F. Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Card. Tamburini.*
† *Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besozzi.*
†
†
†
†
†
†
†
† *Ego Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Albanus.*
† *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*
† *Ego Agapitus S. Agathae Diaconus Card. Mosca.*
†
†
† *Ego C. S. Mariae in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*
† *Ego M. SS. Cosmae et Damiani Diaconus Card. Bolognettus.*
† *Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*
† *Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.*
† *Ego A. S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. Tanari.*
† *Ego H. S. Adriani Diaconus Card. Bardi.*
† *Ego D. SS. Viti et Modesti Diaconus Card. Ursinus.*
†

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA

de Curia I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

ORNATUS
VATICANI TEMPLI

Amplissimam (a) divi Petri Basilicam omnium (b) Ecclesiarum caput, speculum et exemplar, a Magno Constantino olim aedificatam Romani Pontifices tanta cura sumptuque augere semper et ornare studuerunt, ut nihil ea magnificentius, nihil elegantius aut inveniri unquam posse, aut excogitari videatur. Quia tamen minus animum movent quae prae oculis semper sunt, Templa consuevimus, etsi arte et materia apprime nobilia, cum statae quaedam aut extra ordinem celebritates inciderint, adscito cultu et temporariis ornamentis excolere, ut novitas commendet, quod assiduitate quodammodo viluerat. Quod quidem, si Vaticanae Basilicae praecipue accidit; cum Sanctorum Fastis adscribendi in ea fuerunt, qui sanguine pro Christi fide profuso, aut vita in omni virtutum exercitatione traducta illorum gloriam promeruerunt; tanta certe cultus, et ornamentorum ad eam accessio facta est hoc tempore; cum de quinque Beatis inter Sanctos in eadem referendis actum fuit, ut secum ipsa quodammodo certaverit; nativa an adscita pulchritudine, spectabilior videretur.

De hujus igitur apparatus descriptione dicendum modo breviter erit; *Nemo quippe est, qui nesciat,* (c) *Sanctorum glorias tali celebritate frequentari in terris, ut virtute pari, devotione consimili ac fide dimicantes, hostem vincere, et de parta victoria cum ipsis triumphare, Christo praestante possimus in Caelis.*

Mediam Templi faciem supra Porticum ingens pictura decorabat, septuaginta palmorum altitudine, latitudine vero quinque supra triginta, in qua ad vivum expressae Quinque Beatorum imagines ita genibus inter nubes flexis, splendidissimum in superiori parte Trigonum quod Deificae Trinitatis est symbolum, venerabantur; ut et ab eo magna lucis immissae copia illustrarentur, et ab Apostolorum Principibus parum infra Trigonum sedentibus invitari viderentur, ut superius ascenderent. Tapete coccineum et aureis laciniis ad oras magnifice assutum infra demittebatur, quod inferiorem Procestrii partem velaret, ex quo Summi Pontifices Populo benedicunt. Medium in eo erat Gentilitium Sanctitatis Suae stemma duobus ad latera sustentatum Aligeris: Insignia Regularium Institutorum, ex quibus Beati prodierant, inferius aspiciebantur variis frondium florumque corollis interclusa.

Fastigio Ostii principis, ex quo in Porticum est aditus, ita ornato suus, et minoribus januis quae utrinque adjacent, cultus non deerat; supereminebat enim singulis aurei coloris tela praegrandis tortuosis et ipsa florum coronis, et Aligerorum interjectis capitibus interius picta, exterius vero sericis velis apte crispatis undecumque cospicua; unaquaeque latitudinis palmos habebat viginti, altitudinis quindecim, in quibus lemmata inscripta erant hoc ordine; Primum ab Janua principe dextrorsum.

IN COELESTIBUS REGNIS SANCTORUM HABITATIO EST; ET IN ÆTERNUM REQUIES EORUM.

Alterum sinistrorsum.

CORPORA SANCTORUM IN PACE SEPULTA SUNT, ET NOMEN EORUM VIVIT IN GENERATIONEM, ET GENERATIONEM. *Eccl.* XLIV. 14.

(a) *D. Aug. de Civit. Dei cap.* 7. (b) *Lucius III. in Epist. ad Corradum Imp. apud Othonem Frising. lib.* 7. *cap.* 31. (c) *S. Joannes Chrysost. Serm.* 1. *de Martyr. tom.* 3.

Tertio loco.

MIRIFICAVIT DOMINUS SANCTOS SUOS, ET EXAUDIVIT EOS, CLAMANTES AD SE. *Ex Psalmo* 4.

Quarto loco.

SANCTI TUI DOMINE MIRABILE CONSEQUUTI SUNT ITER, SERVIENTES PRÆCEPTIS TUIS.

Interiores quoque Xysti parietes a summo ad imum convestiebant egregia peripetasmata aureis argenteisque Liciis, et praeclaris operibus picta, ex ea forma quam Raphael Santius Urbinas graphide expresserat. Haec nobilibus stragulis, holosericoque damasceno auri taeniis fimbriato interpositis, ita quaqua versum omnia illustraverant, ut nihil ornatu vacuum relinquerent.

Ab ipso vero Januae limine, ubi prospectus in Basilicam erat, tam mirificum adeuntium oculis occurrebat spectaculum, ut nec expleri videndo hi possent, nec facile invenire, quid potissimum mirarentur; ab epistylio enim ad stylobatem holosericae vestes partim damascenae, partim generis varii, aureis omnes vittis distinctae, columnas, parastatas, mutulos, ingentesque arcuum fornices convestierant.

Interiorem Basilicae frontem, quae Aram principem respicit, peramplum ex damasceno rubro velum obtexerat, partim molliter defluens, partim multimodis artificiose compositum, quod aureis undique taeniolis discriminatum, pendentibusque lemniscis conspicuum Lambertinae gentis tesseram, Tiara et Clavibus Pontificiae Majestatis Insignibus gloriosiorem praeferebat in medio. Nec omissa in fenestris ornandis cura, quae praegrandes in eadem fronte tres patent, et superiori Xysto respondent; Vela enim ex eodem filo serico ab iis bifariam demissa, quae sub extremum aureis funiculis collecta aliquantulum elevabantur; ne lux nimia forinsecus immissa collucentium cereorum lumen imminueret. Fenestris subjecta spatia, inscriptosque lapides purpurea item vestis objerat, scite tamen venustequè variata fasciolis aureis, quae miro inter se nexu modo Pontificias fingerent Claves, Tiaras, et Mitras; modo in regales coronas, liliorum serta, ramosque palmarum coalescerent. Funales demum cerei septem et viginti, aequali interstitio discreti, supra trium magnarum Portarum coronidem impositi.

Sericum villosum rubrum primo adhibitum hoc tempore; ut Coronam cum Templi, tum Tholi universam ambiret, quod taeniis interceptum aureis, fimbriisque ad oras pendentibus assutum, tria ferme palmorum millia longitudine aequabat. In ipso Coronae supercilio machinae quaedam undique attollebantur, in modum calathi foliis storiatis, inversisque turbinibus, quae ab imo angustiori in latitudinem excrescerent; ut in ipso demum vertice octo librarum cereos sustinerent.

Sexdecim praeterea Tabulae aeneo colore pictae magnorum instar Numismatum, quae illustriora Quinque Beatorum miracula repraesentarent, ita mutulo singulorum arcuum in navi media innitebantur, ut coronam Templi maximam interciperent, ab eaque in hemicycli formam extarent. Harum coronides auro aliisque adjectis ornatibus nobiles in superiori hemicycli parte conchylio finiebantur, quod projecturam obtegeret, ex qua brachia oriebantur ad tres cereos sustinendos; latera vero Aligerorum capitibus varie intersecta: Encarpi etiam consertique flores tam apto inter se nexu inde demissi, ut et mutulo ipsi, et anaclyphis quae arcui insidebant, ornamento essent et elegantiae. Ab ipso demum coronidum vertice amplissimum utrimque ex damasceno rubro velum defluebat laciniis ad oras aureis magnifice circumtectum, quod Tabulam, eique adjectos ornatuum ordines convestiret; miraque ob id inter tantam colorum varietatem, albaque Anaglypha arcuum fornicibus insidentia unio pariter, et proportio commendaretur.

A summo vero arcu inter holoserica, quae ad incumbas usque tortuose decidebant taeniolis aureis concinne discriminata, et mutuo subinde nexu in rosarum formam collecta, Aliger pendebat palmorum triginta, amictu versicolori et alis ad volandum extensis, qui, cum minorem tabulam gestaret manibus auro illitam, inscriptum in ea lemma objiciebat intuentibus, quod expressum in superiori Nu-

mismate miraculum significaret. Magnus Angelo subjicebatur lychnuchus instar turbinis ornato fune suspensus, qui duos et viginti funales cereos totidem brachiolis multo splendidis auro, et in duplicem ordinem eleganter dispositis praefixos attolleret. Ima lychnuchi pars aurearum frondium manipulis ornata; suprema binis palmarum liliorumque sertis circumdata, quae profusum pro Christo sanguinem, vitaeque innocentiam significarent, praeter undecumque defluentes eidem adjectos encarpos, et lemniscorum maeandros. Ad hujus lychnuchi latera minores alii duo eadem forma et ornatu, auroque subobscure picti demittebantur per funiculos aureis circumvolutos taeniolis ab ea utrinque projectura, ubi hemicyclum arcus parastatae incumbit, qui duobus ordinibus discretos quatuordecim Cereos sustollerent. Quatuor hi erant et viginti, altitudine palmorum viginti septem, latitudine undecim; majóres vero sub arcubus positi quatuordecim, qui altitudinem habebant palmorum quadraginta, latitudinem sexdecim.

Ex Tabulis autem sexdecim, Numismatum instar, quae una cum coronide ornamentisque eidem adjunctis singulae quinquaginta septem palmos longitudine aequabant, septem et viginti latitudine; ternae unicuique Beatorum attributae erant, ex quibus singulorum miracula innotescerent: et hoc ordine dispositae.

Prima supra arcum Baptisterii praeferebat mirabilem Sanctimonialis foeminae sanationem ope sanctae Catharinae de Ricciis, cum lemmate.

Sanctimonialis ob Arterias magnae laxitatem jamjam moritura, admoto sibi Catharinae Baculo, incolumis restituitur.

Porro lemmata omnia, elogia, et epigraphae suum habent Auctorem V. C. Michaelem Angelum Giacomelli Sanctissimi Domini Nostri Papae ab intimo Sacello, et Sacrosanctae Vaticanae Basilicae perpetuum Beneficiatum.

Secunda ante proximum Sacellum Praesentationis, a sancto Jósepho a Leonissa sanie manantem fistulam curatam: Hujus lemma.

Puellae, quae macie extabuerat, sanie fluens fistula in laeva papilla insidens, Oleo lampadis ad Josephi Aram praelucentis perungitur: Extemplo inducta cicatrix: Tabes depulsa.

Tertia ad Chorum Canonicorum, sancti Petri Regalati ope redintegratam fistula mirabiliter curata valetudinem, cum lemmate.

Foemina, cujus renibus foeda haerebat fistula, Petri sepulchrum adiit, et convaluit.

Quarta supra fornicem arcus, ex quo cominus sancti Gregorii Sacellum aspicitur, hominem sancto Fidele intercedente, inveterato comitiali morbo liberatum: Istius lemma.

Comitiali morbo laboranti admota. et in Crucis modum ducta Fidelis effigies integram illico valetudinem affert.

Quinta ad sanctorum Apostolorum Simonis, et Thaddaei Sacellum prope Vaticani Sacrarii Ostium; aliud prodebat sanctae Catharinae Miraculum, cum lemmate.

Sanctimonialis articulorum doloribus diu excruciata Catharinae opem implorat; morbo statim emergit.

Sexta sub medio Absidis dicti Pronai alterum sancti Petri Regalati signum exhibebat, hoc lemmate.

Comitiali morbo correptus homo in caminum lapsus, Ollam ferventis aquae plenam evertit; amissum videndi sensum Petri Caputio ad os suum admoto recuperat.

Septima super arcum proximum Portae, qua ad divae Marthae itur, significabat impubem divi Fidelis ope gradiendi facultate donatum; cum lemmate.

Quadrimus puer pedum motu carens, in Fidelis effigiem defixis oculis intuens statim gradiendi facultatem assequitur.

Octava prodebat incendium ab eodem sancto Fidele extinctum; erat autem in arcu Sarcophago Alexandri Papae VIII. proximo, loco quidem digniore, et Martyri debito; utpote ad dexteram Pontificii Solii. Ejus lemma.

Majensfeldiae Fidelis ope implorata restinctum incendium.

Nona in sinistro Solii latere Puellam a

polypo, gangraenaque liberatam docebat, sancti Camilli ope, cum lemmate.

Puellae naribus a multo tempore polypo obstructis ac gangraena erosis Filum e Camilli indusio applicitum, morbum, morbique reliquias delet.

Inde retrocedendo ad principem Januam occurrebat.

Decima, in Navi transversa quam sanctorum Processi, et Martiniani ab eorum Altari ibi aedificato vocant. Haec aliam puellam repraesentabat, ejusdem sancti Camilli meritis a lepra mundatam; cum lemmate.

Puella ab utero Matris veluti lepra quadam contracta lethali febri implicita, Camilli imaginem sibi admovet, illico convalescit.

Undecima sub ejusdem Navis absidem, alterum a sancto Josepho editum in puero signum indicabat, cum lemmate.

Pueri coeuntes palpebrae, ne levi quidem signo discriminatae, aperiuntur et lumen in oculos admittunt.

Duodecima, non longe a divi Basilii Ara, mirabilem praeferebat Cancri sanationem divae Catharinae auxilio; eratque lemma.

Vetusti Cancri in puellae papilla haerentis hiatus duo, alter stamineo Catharinae pileo tactus, alter lampadis ad ejus Aram ardentis oleo perunctus, ad cicatricem perducti.

Decima tertia, sancti Camilli pulvere gibbosam puellam prodens erectam incumbebat arcui Sacello Gregoriano respondenti; cum lemmate.

Puella gibbo corpore ab incunabulis spirandi difficultate pressa, ac jam prope enecta, hausto Camilli pulvere recti corporis formam accipit, omni morbo convalescit.

Decima quarta super arcum Sacelli, in quo perpetuo asservatur Sanctissimum Sacramentum, beatum Regalatum monstrabat extenso pallio aquas trajicientem; cum lemmate.

Petrus nunquam aliter quam extentum super aquam pallium conscendens cum sodali suo flumen trajicit.

Decima quinta ad arcum Cappellae sancti Sebastiani, consolidatas pueri plantas ope sancti Josephi a Leonissa indicabat, hoc lemmate.

Bimum puerum cujus coxae, crura, pedes ossibus carebant, Josephus gradiendi potestate compotem facit.

Decima sexta, Ecclesiae in Sanctorum suorum gloria laetitiaque triumphantis imaginem praeferens, innitebatur superiori parti ultimi arcus, qui tamen primus ingredientibus Templum dextrorsum occurrit.

Populus meus, et haereditas mea, quos eduxisti in fortitudine tua magna, et in Brachio tuo extento. Deuteron. IX. 29.

Ad haec, quot enumerantur superne inter epistylia sedes sive loculamenta, tot singula singulis imposita conspiciebantur Virtutum simulacra, palmorum viginti, ad similitudinem aeris depicta aureisque lineis nitentia.

In supposita cuique simulacro basi, quae trium erat palmorum, singularum Virtutum nomen inscriptum legebatur. Fuerunt autem numero viginti, nimirum: Justitia, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Fides, Spes, Charitas, Abstinentia, Castitas, Pietas, Continentia, Puritas, Humilitas, Obedientia, Vigilantia, Perseverantia, Voluntaria Paupertas, Poenitentia, Innocentia, Zelus.

Quatuor ex sexdecim inferioribus Navis mediae loculamentis, quae adhuc carent Statuis valvas versus Basilicae, cum in ceteris Fundatorum Regularis alicujus Instituti Signa e Lunensi marmore constituta jam sint, exhibebant imagines albo nigroque colore subobscure pictas, dextrorsum quidem sancti Fidelis a Sigmaringa, et sancti Petri Regalati, sinistrorsum vero sancti Camilli de Lellis, et sancti Josephi a Leonissa, quamlibet suae innixam basi; quae a vero marmoris colore non abluderent. Quinta, quae supererat sanctae Catharinae effigies, Angelo eidem adstante, qui manu lilium attolleret, in eo ex duobus loculamentis sub hemicyclo Sacelli SS. Processi et Martiniani item vacuis statuta fuerat, quod Theatro propius erat; in altero quod ex adverso est, Divinae gratiae simulacrum impositum.

Ut autem unicuique Statuae, quae in Navi sunt Templi media, cerei praelucerent, binae ad singula earum loculamenta mensulae fuerunt appositae colore sub nigro, ut stereobatas Leucophaeo marmore simulacris suppositas

ad speciem aemularentur: Has interjecta grandis Pelta mire jungebat Anaglyptico Aligeri capite corona superextanti, et unius ex Religiosis Beatorum Institutis stemmate nobilis. Adjecti ad haec encarpi, et rami frondentes item ex Anaglipho; decem praeterea lychnuchi ad cereos utrimque sustinendos. Haec auro obducta omnia.

Quia vero decimum sextum loculamentum aenea Apostolorum Principis Statua tenet, quae tam solemni die Alba, Pluviali rubro, gemma pectorali et Regno pretiosis lapillis distincto ad graviorem majestatis speciem ornari consuevit; duo pro mensulis ante eam argentea statuta fuerant candelabra praegrandia, quorum ex utroque poligonius deargentatis ligneis brachiolis, lychnuchus subnascebatur, qui duo de viginti bipartito ordine cereos attolleret.

Ad transversae praeterea Navis ornatum praeter hactenus descriptas Virtutum imagines, aliae non defuerunt, adjecto enim tympano, superciliqoue instar hemicycli supra coronam utriusque lateralis absidis, sanctorum scilicet Apostolorum Simonis et Judae, ac sanctorum Martyrum Processi et Martiniani, ita tamen ut quod ad tempus additum erat, a prisca solidaque Templi forma structuraque non deflecteret; in utraque ipsius tympani ora ad columnarum perpendiculum, quatuor prospiciebantur virtutum Statuae colore marmoreo; dextrorsum quidem Constantia et Magnanimitas, sinistrorsum vero Affabilitas et Clementia, inter quas ad cereos novem sustinendos rami succrescebant aliquot concinne tortuosi et auro interliti.

Alii quoque eadem forma cultuque ramusculi, quibus quadripartito ordine affigerentur funales cerei duodetriginta, supremas ornabant loco tympani projecturas coronarum, quae sub utriusque Navis hemicyclo lateralia circumeunt Altaria.

Supra vero epistylia octo columnarum, quarum binae singulis adjacent praedictis Altaribus, octo item assurgebant e basi aureis striata foliis Aligeri aeneo colore, auro tamen subobscure, illiti, qui utraque manu palmas et lilia, flagella, cilicinasque vestes gestarent ad ostendendam Beatorum de quorum gloria agebatur, vitae sanctimoniam. Ut autem columnas ipsas stragulum holosericum rubrum, taeniis aureis nova arte discriminatum vestiebat; ita incumbas Altarium serica vela aureis fimbriata laciniis, modo leniter pendentia, modo elegante crispata et in rosas collecta exornabant.

Tantum holosericarum vestium, aurique et pictarum tabularum apparatum aequabat par luminum copia, quae licet conjici quanta fuerit ex iis possit, quae dicta sunt, tamen facilius patebit, si hoc loco recenseatur in suas veluti classes atque ordinem distributa. Primus ordo constabat iis cereis, qui et in superioribus quibusque Basilicae Aris supra grandia ex aere candelabra collucebant, et ante statuas in inferioribus loculamentis super lychnuchos; praeter eos qui arabice picti Altare et Confessionem beati Petri circumsepiebant. Secundus et tertius lychnuchos continebat, qui sub quolibet arcu pendentes, minores quidem demissius, majores vero altius duplicem diversamque lineam efficiebant. Quartus erat eorum cereorum, qui continenter ambiebant summam coronam, tam primariarum absidum, quam fornicum. Digesti demum super magni Hemisphaerii projecturam, ac quadrigemina inter ingentes illius pilas prominentia podia, quintum et ultimum luminarium ordinem complebant. Nemini igitur mirum videbitur, si tot fuerint cerei, qui intra Basilicae arderent ambitum sex aut octo librarum pondere, ut mille quingenti octoginta sex numerari potuerint; exceptis iis grandioribus, qui intra Missae solemnia oblati Pontifici sunt; iis item varii ponderis et sine numero, qui singulis in tam frequenti Supplicatione fuerant distributi.

Reliquum est, ut de nobilissimo Theatri apparatu aliquid dicatur, cum quo si cetera Templi ornamenta conferantur, non parum videri poterunt dignitatis amittere. Ab ipso Basilicae solo ante Aram principem aenea mole superimposita celeberrimam, ad Occidentalem Templi partem ita sensim attollebatur, ut in altitudinem palmorum quinque desineret, oblonga centum viginti palmorum lignea contignatio, quae nobiliorem et integram Theatri aream componeret. Quatuor ad hanc gradus ducebant, singuli unciarum octo, qui ab utroque transversae Navis spatio ubi

superiores maximi Tholi pilae obliquantur Austrum versus et Aquilonem, ita incipiebant, ut utrobique primum directi, mox sinnosi, in medio demum e regione Arae principis in ovalis hemicycli figuram dispositi, centum octoginta septem palmorum longitudinem occuparent. Hos aeque ac integram Theatri caveam stragulum laneum colore viridi obtexerat, non ad ornatum tantum, sed ut decentius supra gradus ita compositos de more assiderent eo tempore Suffragatores in Signatura Justitiae, Abbreviatores, Referendarii Signaturae utriusque, Cubicularii tam intimi quam honorarii, Advocati Consistoriales, Cappellani Sanctissimi Patris, tam qui ab intimo Sacello sunt, quam qui communes vocantur.

Ex eadem Areae planitie prope Veronicae loculamentum, triplici gradu ibatur in tabulatum palmos duodecim longum, tredecim latum, supra quod consueta eminebat Pontificis Cathedra stragulo cooperta serico rubro, et floribus aureis consperso. Dorsuale ejusdem fulcrum, forma quasi triangula, pari item vestitum texto, ad palmos tredecim ita utrinque protendebatur, uti posticam Cathedrae partem muniret pariter et ornaret. Id erat parvum Pontificis Solium, ex quo sacras idem vestes ad sacrificium acciperet; dum cantus Horae tertiae Canonicae de more absolveretur. Extra Solii gradus, quos laneus textus rubeus tegebat, mensa fuerat instructa pro septem candelabris inauratis cum candelis arabice pictis, ante Crucem ad supplicationes et ante Cardinalem Diaconum ad Evangelii cantum deferendis. In opposita vero ipsius Areae parte prope sanctae Helenae loculamentum, quinque erant mensae, in quibus singulis singulae apponerentur Oblationes pro unoquoque Sancto, Pontifici exhibendae. Caeteri Abaci ad sacra Ministerii vasa, quae cum summus Antistes celebraturus est, e Pontificali gaza ad lautiorem apparatum solent depromi, inter Aram maximam et ipsam Theatri caveam dispositi fuerant.

Non longe a gradibus parvi Solii, et a quinque Oblationum mensis scamna utrinque incipiebant ordine continuo, ubi Sacer assideret Senatus, et in cunei formam ad imam Theatri partem protendebantur. Ad haec, quae Babylonicis Aulaeis fuerant instratae, per duplicem gradum erat ascensus, in quorum altero Caudatarii eorumdem Eminentissimorum Patrum erant consessuri. Primo huic subselliorum ordini alter et tertius succedebat eadem cuneata forma, alius tamen alio altior, ut prospectus in Synedrium pateret omnibus. Sedes hae, quae sequioribus non tamen inelegantibus instratae fuerant peristromatis, tenebantur dextrorsum quidem a Praesulibus non Assistentibus, ab Abbatibus et Poenitentiariis rubra casula indutis; sinistrorsum vero a Gubernatore Urbis Vice-Camerario, ab Auditore Generali et Thesaurario Apostolicae Camerae, a Protonotariis tam Participantibus, quam supra numerum, ceterisque aliis, quos Pontificia potestas et liberalitas hac praerogativa insignire voluit, ut in eodem assiderent scamno, a Religiosorum item Mendicantium Ordinum Ministris et Procuratoribus Generalibus. His proximum consuetum pro Bononiae Oratore scamnum fuerat appositum. Pro Consultoribus autem Sacrorum Rituum, quibus interesse hujusmodi Actionibus conceditur, humiliores a tergo parvi Solii, et post Oblationum mensas fuerant sedes paratae.

Post vacuum a fronte Theatralis areae quinque et viginti palmorum interstitium, septeni assurgebant gradus singuli unciarum septem, minori longitudine ex adverso Arae principis, productiores vero qua ad Cardinalium consessum utrinque vergebant. Supra hos, qui palmos quinque et uncias decem altitudinis aequabant, suprema porrigebatur maximi Throni planities latitudine palmorum sexdecim, longitudine sex ferme supraviginti, quam una cum gradibus laneum peripetasma rubei coloris undique operuerat. In his sessuri erant Sacrae Rotae Auditores una cum Sacri Palatii Apostolici Magistro, et Clerici Camerae. Duo praeterea in hac planitie gradus erant holoserico villoso rubro contecti, quae ad Pontificiam Cathedram praeberent aditum. Eminebat haec tamquam totius corporis caput, palmos ferme duodecim in summa eademque media Theatri totius parte ut prospici facile posset ab infinita pene hominum multitudinem, quae eo confluxerat.

Ad opportunum praeterea Suae Sanctitati recessum in postica hujus Solii parte parvum fuerat asseribus exaedificatum cubiculum, cujus aditum ab hominum aspectu removebat ea vestis stragula, quae post Anaclinterium Cathedrae ligneum convestiebat parietem. Ad latera quoque, etsi extra gradus Solii nec longe ab ipsis Cardinalium subselliis, alia interna receptacula et aditus duo, quamvis ostio et sera firmati, majorem absidem versus pro temporariis sacri Senatus opportunitatibus utrinque habebantur. Porro Pontificii Solii structura varia marmorum genera ad speciem veri mirifice picta coloribus imitabatur. Suberat primae contignationi a Theatri pavimento ad graduum altitudinem Africani instar marmoris magna basis, quae palmos protensa tres et quadraginta, ut fundamento esset praegrandibus stylobatis per utramque faciem excurrentibus, palmarem alteram specie Anthracini lapidis supra se excipiebat, cui innitebantur triglyphae spirae inauratae columnarum duarum, quae utrinque Throno adjacebant.

Columnarum scapus striatus striis auro illitis, strigibus vero cyanei lapidis colore pictis, aurato epistylio ordinis Corinthii terminabatur. Ad utrumque columnae latus pilae stelaeque basibus et capitulis pariter inauratis floridum Onychem simulabant.

Quae columnis stelisque superimposita excurrebat communis corona, maculosas antiqui marmoris crocini venas referebat. Huic non absimilis colore erat alia grandior operis fastigio superinducta, cujus quidem operis pars media sursum arcuata in semicyclum desinebat. Columnarum vero stelarumque sub ea tympanum cyaneo veluti marmore constare videbatur; Zophorus pari modo pictus, qui inter utrasque procurrebat coronas Anaglyphis inauratis, et mira varietate distinctas, hanc praeferebat Epigraphem magnis literis aureis expressam.

BENEDICTA GLORIA DOMINI.

Aligeri duo colore aeneo insistebant arcuatae supercilii extremitati genibus flexis, et palmas florumque serta manibus attollentes.

Adstabant pariter ad utrumque Throni latus vestibus multo auro illustratis solida Religionis et Justitiae simulacra, quae suae singula basi insidebant ex Alabastrite caeruleis intersecto lamellis, et aureis lineis coronato, cui substrata inferius erat stereobata crocina coronide, et cymatio caelaturis aureis variato. Huic stereobatae suberat stylobata persicae arboris floribus colore non absimilis, longitudine tanta, quanta et latitudine supra basim infimam anthracinam, qua haec extra pilas protendebatur imposita, cujus a fronte magna Pelta, Pontificia Insignia sub obscuro auro picta referens, extabat inter encarpos et vittas.

Ad haec in similitudinem veri marmoris coloratae culcitae copioso aureo coccineoque serico mirifice textae, tamquam venusti postes utrumque Throni latus eique superextantem e serico villoso umbellam, sub qua Pontificia erat Cathedra, aureis taeniis fimbriarumque maeandris magnifice ornatam circumscribebant. Ultra supercilium quod totius Solii terminabat ornatum, eminebat S. Fidelis Vexillum ab Angelis inter lucidam nubeculam apparentibus elevatum. Suberat illud autem altiori splendidissimaque luce circumfuso Spiritus sancti Symbolo, unde tum radii longe lateque diffusi Vexillum ipsum, subjectumque Pontificii Throni ornatum illustrabant; tum plures Aligerorum vultus inter nubes luteo colore expressas, et auro plurimo nitentes descendere conspiciebantur. Venustatem quoque augebat labens ab utroque vexilli latere magnum serici villosi rubri paludamentum, taeniis atque laciniis aureis ad oras assutum, quod sensim diffusum ad angulos externos coronidis pilarum quae Solium intercipiebant, post concinnam alternamque flexuram iterum labens utrumque inauratum signum, Justitiae scilicet et Religionis, a tergo undecumque vestiebat: Huic alterum velut amplissimum conopeum subjectum erat et sociatum ex damasceno coloris rubri fasciolis aureis discriminato, iisdemque ac villosum rubrum laciniis, quod a gloria Domini de qua superius dictum est, incipiens demitti, paulatim ita latius discurrebat, ut laxitate sua non solum paludamentum ipsum quasi chlamydem Throni exciperet et concluderet, sed circumvelaret praeterea, quam latus erat, totum Theatri

niversae caelestis Curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic inspirante, ad honorem sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei catholicae et christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, praedictam Catharinam de Ricciis Virginem, Monialem Professam Ordinis Praedicatorum, christianarum virtutum praestantia ac caelestium donorum et miraculorum gloria illustrem, Sanctam esse definiendo pronunciavimus; et una cum praedictis Fideli Martyre, Camillo, Petro, et Josepho Confessoribus, Ecclesiasticis Sanctorum Fastis adscripsimus; decernentes ipsius S. Catharinae memoriam quotannis die secunda Februarii, aliorumque Sanctorum praedictorum, aliis respective diebus, in universa Ecclesia recolendam et venerandam esse, et concedentes omnibus Christifidelibus, qui ad eorum Sepulchra designatis diebus religiose accedent, ac Deum Optimum Maximum juxta nostram et piae Matris Ecclesiae mentem precati fuerint, Indulgentiam septem annorum, et totidem Quadragenarum in perpetuum in forma Ecclesiae consueta.

A Tunc repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, reddentesque Altissimo vota nostra, sacrosanctum Altare conscendimus, atque immaculatam humanae salutis Hostiam, juncta beatissimorum Ecclesiae Principum, et praedictorum Sanctorum commemoratione, omnipotenti Deo bonorum omnium Largitori reverenter obtulimus. Omnibus quoque Christifidelibus, qui ad tantae solemnitatis celebritatem frequentes convenerant, Plenariam peccatorum Indulgentiam misericorditer in Domino largiti fuimus.

Audiant itaque universi catholicae Ecclesiae Filii, et intelligant magnalia Dei, atque ad caelestem Hierusalem cogitationes et corda sublevantes, beatam hanc contemplentur candido eorum agmini sociatam, qui sequuntur Agnum quocumque ierit: Unde et illius validissimo patrocinio innixi, postulent a Deo pacem et gratiam, et ejusdem praeclaris exemplis excitati discant peritura Mundi bona despicere, et per innocentiae custodiam, per poenitentiae labores, per christianae virtutis studium, ad perfectae charitatis et sempiternae felicitatis Regnum, ac caelestis gloriae coronam contendere, per Christum Dominum Nostrum.

Idcirco praemissa omnia ad universalis Ecclesiae notitiam deduci, praesentesque nostras literas ad perpetuam rei memoriam extare volumus, mandantes ut earum transumptis sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. B

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae definitionis, Decreti, Adscriptionis, Mandati, Statuti, Relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. C

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI., III. Kalendas Julii, Pontificatus Nostri anno VI. D

✠ Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ Sigilli.

† *Ego T. Episcopus Ostien. et Veliternen. Card. Rufus Decanus, et S. R. E. Vice-Cancellarius.*

† *Ego A. Episcopus Portuensis Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.*

† *Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Petra, Major Poenitentiarius.*

† *Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.*

† *Ego I. Episcopus Tusculanus Card. Accorambonus.*

† *Ego V. Episcopus Sabinen. Card. Bichius.*

†

A *Decretum definitivum.* B *Praesentium transumptis auctoritas tribuitur.*
C *Sanctio.* D. *Dat. Pontific. An. 6. die 29. Junii 1746.*

†
†
†
†
† *Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.*
†
†
†
† *Ego F. Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.*
† *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presbyter Card. Gentili.*
† *Ego Fr. J. A. Tit. SS. Silvestri et Martini Presbyter Card. Guadagni.*
†
† *Ego D. Tit. Basilicae Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*
† *Ego J. B. Tit. S. Mariae Angelorum Presbyter Card. Spinula.*
†
†
†
†
† *Ego R. Tit. S. Sabinae Presbyter Cardinalis de Ilcio.*
†
†
† *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*
† *Ego S. Tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis Valenti.*
†
† *Ego J. F. Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Portocarrero.*
†
†
† *Ego C. A. Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.*
†
†
† *Ego F. Tit. S. Pancratii Presbyter Card. Lantes.*
†
†
†
†
†
† *Ego F. Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Card. de Ricciis.*

† *Ego A. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rufus.*
†
† *Ego P. M. Tit. S. Agnetis extra muros Presbyter Card. de Montibus.*
† *Ego F. Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Card. Tamburini.*
† *Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besozzi.*
†
†
†
†
†
†
†
† *Ego Alexander S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Albanus.*
† *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*
† *Ego Agapitus S. Agathae Diaconus Card. Mosca.*
†
†
† *Ego C. S. Mariae in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*
† *Ego M. SS. Cosmae et Damiani Diaconus Card. Bolognettus.*
† *Ego H. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*
† *Ego P. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna.*
† *Ego A. S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. Tanari.*
† *Ego H. S. Adriani Diaconus Card. Bardi.*
† *Ego D. SS. Viti et Modesti Diaconus Card. Ursinus.*
†

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA
de Curia I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

ORNATUS
VATICANI TEMPLI

Amplissimam (a) divi Petri Basilicam omnium (b) Ecclesiarum caput, speculum et exemplar, a Magno Constantino olim aedificatam Romani Pontifices tanta cura sumptuque augere semper et ornare studuerunt, ut nihil ea magnificentius, nihil elegantius aut inveniri unquam posse, aut excogitari videatur. Quia tamen minus animum movent quae prae oculis semper sunt, Templa consuevimus, etsi arte et materia apprime nobilia, cum statae quaedam aut extra ordinem celebritates inciderint, adscito cultu et temporariis ornamentis excolere, ut novitas commendet, quod assiduitate quodammodo viluerat. Quod quidem, si Vaticanae Basilicae praecipue accidit; cum Sanctorum Fastis adscribendi in ea fuerunt, qui sanguine pro Christi fide profuso, aut vita in omni virtutum exercitatione traducta illorum gloriam promeruerunt; tanta certe cultus, et ornamentorum ad eam accessio facta est hoc tempore; cum de quinque Beatis inter Sanctos in eadem referendis actum fuit, ut secum ipsa quodammodo certaverit; nativa an adscita pulchritudine, spectabilior videretur.

De hujus igitur apparatus descriptione dicendum modo breviter erit; *Nemo quippe est, qui nesciat,* (c) *Sanctorum glorias tali celebritate frequentari in terris, ut virtute pari, devotione consimili ac fide dimicantes, hostem vincere, et de parta victoria cum ipsis triumphare, Christo praestante possimus in Caelis.*

Mediam Templi faciem supra Porticum ingens pictura decorabat, septuaginta palmorum altitudine, latitudine vero quinque supra triginta, in qua ad vivum expressae Quinque Beatorum imagines ita genibus inter nubes flexis, splendidissimum in superiori parte Trigonum quod Deificae Trinitatis est symbolum, venerabantur; ut et ab eo magna lucis immissae copia illustrarentur, et ab Apostolorum Principibus parum infra Trigonum sedentibus invitari viderentur, ut superius ascenderent. Tapete coccineum et aureis laciniis ad oras magnifice assutum infra demittebatur, quod inferiorem Procestrii partem velaret, ex quo Summi Pontifices Populo benedicunt. Medium in eo erat Gentilitium Sanctitatis Suae stemma duobus ad latera sustentatum Aligeris: Insignia Regularium Institutorum, ex quibus Beati prodierant, inferius aspiciebantur variis frondium florumque corollis interclusa.

Fastigio Ostii principis, ex quo in Porticum est aditus, ita ornato suus, et minoribus januis quae utrinque adjacent, cultus non deerat; supereminebat enim singulis aurei coloris tela praegrandis tortuosis et ipsa florum coronis, et Aligerorum interjectis capitibus interius picta, exterius vero sericis velis apte crispatis undecumque cospicua; unaquaeque latitudinis palmos habebat viginti, altitudinis quindecim, in quibus lemmata inscripta erant hoc ordine; Primum ab Janua principe dextrorsum.

IN COELESTIBUS REGNIS SANCTORUM HABITATIO EST; ET IN ÆTERNUM REQUIES EORUM.

Alterum sinistrorsum.

CORPORA SANCTORUM IN PACE SEPULTA SUNT, ET NOMEN EORUM VIVIT IN GENERATIONEM, ET GENERATIONEM. *Eccl.* XLIV. 14.

(a) *D. Aug. de Civit. Dei cap.* 7. (b) *Lucius III. in Epist. ad Corradum Imp. apud Othonem Frising. lib.* 7. *cap.* 31. (c) *S. Joannes Chrysost. Serm.* 1. *de Martyr. tom.* 3.

Tertio loco.

MIRIFICAVIT DOMINUS SANCTOS SUOS, ET EXAUDIVIT EOS, CLAMANTES AD SE. *Ex Psalmo 4.*

Quarto loco.

SANCTI TUI DOMINE MIRABILE CONSEQUUTI SUNT ITER, SERVIENTES PRÆCEPTIS TUIS.

Interiores quoque Xysti parietes a summo ad imum convestiebant egregia peripetasmata aureis argenteisque Liciis, et praeclaris operibus picta, ex ea forma quam Raphael Santius Urbinas graphide expresserat. Haec nobilibus stragulis, holosericoque damasceno auri taeniis fimbriato interpositis, ita quaqua versum omnia illustraverant, ut nihil ornatu vacuum relinquerent.

Ab ipso vero Januae limine, ubi prospectus in Basilicam erat, tam mirificum adeuntium oculis occurrebat spectaculum, ut nec expleri videndo hi possent, nec facile invenire, quid potissimum mirarentur; ab epistylio enim ad stylobatem holosericae vestes partim damascenae, partim generis varii, aureis omnes vittis distinctae, columnas, parastatas, mutulos, ingentesque arcuum fornices convestierant.

Interiorem Basilicae frontem, quae Aram principem respicit, peramplum ex damasceno rubro velum obtexerat, partim molliter defluens, partim multimodis artificiose compositum, quod aureis undique taeniolis discriminatum, pendentibusque lemniscis conspicuum Lambertinae gentis tesseram, Tiara et Clavibus Pontificiae Majestatis Insignibus gloriosiorem praeferebat in medio. Nec omissa in fenestris ornandis cura, quae praegrandes in eadem fronte tres patent, et superiori Xysto respondent; Vela enim ex eodem filo serico ab iis bifariam demissa, quae sub extremum aureis funiculis collecta aliquantulum elevabantur; ne lux nimia forinsecus immissa collucentium cereorum lumen imminueret. Fenestris subjecta spatia, inscriptosque lapides purpurea item vestis objerat, scite tamen venustèque variata fasciolis aureis, quae miro inter se nexu modo Pontificias fingerent Claves, Tiaras, et Mitras; modo in regales coronas, liliorum serta, ramosque palmarum coalescerent. Funales demum cerei septem et viginti, aequali interstitio discreti, supra trium magnarum Portarum coronidem impositi.

Sericum villosum rubrum primo adhibitum hoc tempore; ut Coronam cum Templi, tum Tholi universam ambiret, quod taeniis interceptum aureis, fimbriisque ad oras pendentibus assutum, tria ferme palmorum millia longitudine aequabat. In ipso Coronae supercilio machinae quaedam undique attollebantur, in modum calathi foliis storiatis, inversisque turbinibus, quae ab imo angustiori in latitudinem excrescerent; ut in ipso demum vertice octo librarum cereos sustinerent.

Sexdecim praeterea Tabulae aeneo colore pictae magnorum instar Numismatum, quae illustriora Quinque Beatorum miracula repraesentarent, ita mutulo singulorum arcuum in navi media innitebantur, ut coronam Templi maximam interciperent, ab eaque in hemicycli formam extarent. Harum coronides auro aliisque adjectis ornatibus nobiles in superiori hemicycli parte conchylio finiebantur, quod projecturam obtegeret, ex qua brachia oriebantur ad tres cereos sustinendos; latera vero Aligerorum capitibus varie intersecta: Encarpi etiam consertique flores tam apto inter se nexu inde demissi, ut et mutulo ipsi, et anaclyphis quae arcui insidebant, ornamento essent et elegantiae. Ab ipso demum coronidum vertice amplissimum utrimque ex damasceno rubro velum defluebat laciniis ad oras aureis magnifice circumtectum, quod Tabulam, eique adjectos ornatuum ordines convestiret; miraque ob id inter tantam colorum varietatem, albaque Anaglypha arcuum fornicibus insidentia unio pariter, et proportio commendaretur.

A summo vero arcu inter holoserica, quae ad incumbas usque tortuose decidebant taeniolis aureis concinne discriminata, et mutuo subinde nexu in rosarum formam collecta, Aliger pendebat palmorum triginta, amictu versicolori et alis ad volandum extensis, qui, cum minorem tabulam gestaret manibus auro illitam, inscriptum in ea lemma objiciebat intuentibus, quod expressum in superiori Nu-

mismate miraculum significaret. Magnus Angelo subjicebatur lychnuchus instar turbinis ornato fune suspensus, qui duos et viginti funales cereos totidem brachiolis multo splendidis auro, et in duplicem ordinem eleganter dispositis praefixos attolleret. Ima lychnuchi pars aurearum frondium manipulis ornata; suprema binis palmarum liliorumque sertis circumdata, quae profusum pro Christo sanguinem, vitaeque innocentiam significarent, praeter undecumque defluentes eidem adjectos encarpos, et lemniscorum maeandros. Ad hujus lychnuchi latera minores alii duo eadem forma et ornatu, auroque subobscure picti demittebantur per funiculos aureis circumvolutos taeniolis ab ea utrinque projectura, ubi hemicyclum arcus parastatae incumbit, qui duobus ordinibus discretos quatuordecim Cereos sustollerent. Quatuor hi erant et viginti, altitudine palmorum viginti septem, latitudine undecim; majores vero sub arcubus positi quatuordecim, qui altitudinem habebant palmorum quadraginta, latitudinem sexdecim.

Ex Tabulis autem sexdecim, Numismatum instar, quae una cum coronide ornamentisque eidem adjunctis singulae quinquaginta septem palmos longitudine aequabant, septem et viginti latitudine; ternae unicuique Beatorum attributae erant, ex quibus singulorum miracula innotescerent: et hoc ordine dispositae.

Prima supra arcum Baptisterii praeferebat mirabilem Sanctimonialis foeminae sanationem ope sanctae Catharinae de Ricciis, cum lemmate.

> *Sanctimonialis ob Arteriae magnae laxitatem jamjam moritura, admoto sibi Catharinae Baculo, incolumis restituitur.*

Porro lemmata omnia, elogia, et epigraphae suum habent Auctorem V. C. Michaelem Angelum Giacomelli Sanctissimi Domini Nostri Papae ab intimo Sacello, et Sacrosanctae Vaticanae Basilicae perpetuum Beneficiatum.

Secunda ante proximum Sacellum Praesentationis, a sancto Josepho a Leonissa sanie manantem fistulam curatam: Hujus lemma.

> *Puellae, quae macie extabuerat, sanie fluens fistula in laeva papilla insidens, Oleo lampadis ad Josephi Aram praelucentis perungitur: Extemplo inducta cicatrix: Tabes depulsa.*

Tertia ad Chorum Canonicorum, sancti Petri Regalati ope redintegratam fistula mirabiliter curata valetudinem, cum lemmate.

> *Foemina, cujus renibus foeda haerebat fistula, Petri sepulchrum adiit, et convaluit.*

Quarta supra fornicem arcus, ex quo cominus sancti Gregorii Sacellum aspicitur, hominem sancto Fidele intercedente, inveterato comitiali morbo liberatum: Istius lemma.

> *Comitiali morbo laboranti admota, et in Crucis modum ducta Fidelis effigies integram illico valetudinem affert.*

Quinta ad sanctorum Apostolorum Simonis, et Thaddaei Sacellum prope Vaticani Sacrarii Ostium; aliud prodebat sanctae Catharinae Miraculum, cum lemmate.

> *Sanctimonialis articulorum doloribus diu excruciata Catharinae opem implorat; morbo statim emergit.*

Sexta sub medio Absidis dicti Pronai alterum sancti Petri Regalati signum exhibebat, hoc lemmate.

> *Comitiali morbo correptus homo in caminum lapsus, Ollam ferventis aquae plenam evertit; amissum videndi sensum Petri Caputio ad os suum admoto recuperat.*

Septima super arcum proximum Portae, qua ad divae Marthae itur, significabat impubem divi Fidelis ope gradiendi facultate donatum; cum lemmate.

> *Quadrimus puer pedum motu carens, in Fidelis effigiem defixis oculis intuens statim gradiendi facultatem assequitur.*

Octava prodebat incendium ab eodem sancto Fidele extinctum; erat autem in arcu Sarcophago Alexandri Papae VIII. proximo, loco quidem digniore, et Martyri debito; utpote ad dexteram Pontificii Solii. Ejus lemma.

> *Majensfeldiae Fidelis ope implorata restinctum incendium.*

Nona in sinistro Solii latere Puellam a

polypo, gangraenaque liberatam docebat, sancti Camilli ope, cum lemmate.

Puellae naribus a multo tempore polypo obstructis ac gangraena erosis Filum e Camilli indusio applicitum, morbum, morbique reliquias delet.

Inde retrocedendo ad principem Januam occurrebat.

Decima, in Navi transversa quam sanctorum Processi, et Martiniani ab eorum Altari ibi aedificato vocant. Haec aliam puellam repraesentabat, ejusdem sancti Camilli meritis a lepra mundatam; cum lemmate.

Puella ab utero Matris veluti lepra quadam contracta lethali febri implicita, Camilli imaginem sibi admovet, illico convalescit.

Undecima sub ejusdem Navis absidem, alterum a sancto Josepho editum in puero signum indicabat, cum lemmate.

Pueri coeuntes palpebrae, ne levi quidem signo discriminatae, aperiuntur et lumen in oculos admittunt.

Duodecima, non longe a divi Basilii Ara, mirabilem praeferebat Cancri sanationem divae Catharinae auxilio; eratque lemma.

Vetusti Cancri in puellae papilla haerentis hiatus duo, alter stamineo Catharinae pileo tactus, alter lampadis ad ejus Aram ardentis oleo perunctus, ad cicatricem perducti.

Decima tertia, sancti Camilli pulvere gibbosam puellam prodens erectam incumbebat arcui Sacello Gregoriano respondenti; cum lemmate.

Puella gibbo corpore ab incunabulis spirandi difficultate pressa, ac jam prope enecta, hausto Camilli pulvere recti corporis formam accipit, omni morbo convalescit.

Decima quarta super arcum Sacelli, in quo perpetuo asservatur Sanctissimum Sacramentum, beatum Regalatum monstrabat extenso pallio aquas trajicientem; cum lemmate.

Petrus nunquam aliter quam extentum super aquam pallium conscendens cum sodali suo flumen trajicit.

Decima quinta ad arcum Cappellae sancti Sebastiani, consolidatas pueri plantas ope sancti Josephi a Leonissa indicabat, hoc lemmate.

Bimum puerum cujus coxae, crura, pede ossibus carebant, Josephus gradiendi potestate compotem facit.

Decima sexta, Ecclesiae in Sanctorum suorum gloria laetitiaque triumphantis imaginem praeferens, innitebatur superiori parti ultimi arcus, qui tamen primus ingredientibus Templum dextrorsum occurrit.

Populus meus, et haereditas mea, quos eduxisti in fortitudine tua magna, et in Brachio tuo extento. Deuteron. IX. 29.

Ad haec, quot enumerantur superne inter epistylia sedes sive loculamenta, tot singula singulis imposita conspiciebantur Virtutum simulacra, palmorum viginti, ad similitudinem aeris depicta aureisque lineis nitentia.

In supposita cuique simulacro basi, quae trium erat palmorum, singularum Virtutum nomen inscriptum legebatur. Fuerunt autem numero viginti, nimirum: Justitia, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Fides, Spes, Charitas, Abstinentia, Castitas, Pietas, Continentia, Puritas, Humilitas, Obedientia, Vigilantia, Perseverantia, Voluntaria Paupertas, Poenitentia, Innocentia, Zelus.

Quatuor ex sexdecim inferioribus Navis mediae loculamentis, quae adhuc carent Statuis valvas versus Basilicae, cum in ceteris Fundatorum Regularis alicujus Instituti Signa e Lunensi marmore constituta jam sint, exhibebant imagines albo nigroque colore subobscure pictas, dextrorsum quidem sancti Fidelis a Sigmaringa, et sancti Petri Regalati, sinistrorsum vero sancti Camilli de Lellis, et sancti Josephi a Leonissa, quamlibet suae innixam basi; quae a vero marmoris colore non abluderent. Quinta, quae supererat sanctae Catharinae effigies, Angelo eidem adstante, qui manu lilium attolleret, in eo ex duobus loculamentis sub hemicyclo Sacelli SS. Processi et Martiniani item vacuis statuta fuerat, quod Theatro propius erat; in altero quod ex adverso est, Divinae gratiae simulacrum impositum.

Ut autem unicuique Statuae, quae in Navi sunt Templi media, cerei praelucerent, binae ad singula earum loculamenta mensulae fuerunt appositae colore sub nigro, ut stereobatas Leucophaeo marmore simulacris suppositas

ad speciem aemularentur: Has interjecta grandis Pelta mire jungebat Anaglyptico Aligeri capite corona superextanti, et unius ex Religiosis Beatorum Institutis stemmate nobilis. Adjecti ad haec encarpi, et rami frondentes item ex Anaglipho; decem praeterea lychnuchi ad cereos utrimque sustinendos. Haec auro obducta omnia.

Quia vero decimum sextum loculamentum aenea Apostolorum Principis Statua tenet, quae tam solemni die Alba, Pluviali rubro, gemma pectorali et Regno pretiosis lapillis distincto ad graviorem majestatis speciem ornari consuevit; duo pro mensulis ante eam argentea statuta fuerant candelabra praegrandia, quorum ex utroque poligonius deargentatis ligneis brachiolis, lychnuchus subnascebatur, qui duo de viginti bipartito ordine cereos attolleret.

Ad transversae praeterea Navis ornatum praeter hactenus descriptas Virtutum imagines, aliae non defuerunt, adjecto enim tympano, supercilioque instar hemicycli supra coronam utriusque lateralis absidis, sanctorum scilicet Apostolorum Simonis et Judae, ac sanctorum Martyrum Processi et Martiniani, ita tamen ut quod ad tempus additum erat, a prisca solidaque Templi forma structuraque non deflecteret; in utraque ipsius tympani ora ad columnarum perpendiculum, quatuor prospiciebantur virtutum Statuae colore marmoreo; dextrorsum quidem Constantia et Magnanimitas, sinistrorsum vero Affabilitas et Clementia, inter quas ad cereos novem sustinendos rami succrescebant aliquot concinne tortuosi et auro interliti.

Alii quoque eadem forma cultuque ramusculi, quibus quadripartito ordine affigerentur funales cerei duodetriginta, supremas ornabant loco tympani projecturas coronarum, quae sub utriusque Navis hemicyclo lateralia circumeunt Altaria.

Supra vero epistylia octo columnarum, quarum binae singulis adjacent praedictis Altaribus, octo item assurgebant e basi aureis striata foliis Aligeri aeneo colore, auro tamen subobscure, illiti, qui utraque manu palmas et lilia, flagella, cilicinasque vestes gestarent ad ostendendam Beatorum de quorum gloria agebatur, vitae sanctimoniam. Ut autem columnas ipsas stragulum holosericum rubrum, taeniis aureis nova arte discriminatum vestiebat; ita incumbas Altarium serica vela aureis fimbriata laciniis, modo leniter pendentia, modo elegante crispata et in rosas collecta exornabant.

Tantum holosericarum vestium, aurique et pictarum tabularum apparatum aequabat par luminum copia, quae licet conjici quanta fuerit ex iis possit, quae dicta sunt, tamen facilius patebit, si hoc loco recenseatur in suas veluti classes atque ordinem distributa. Primus ordo constabat iis cereis, qui et in superioribus quibusque Basilicae Aris supra grandia ex aere candelabra collucebant, et ante statuas in inferioribus loculamentis super lychnuchos; praeter eos qui arabice picti Altare et Confessionem beati Petri circumsepiebant. Secundus et tertius lychnuchos continebat, qui sub quolibet arcu pendentes, minores quidem demissius, majores vero altius duplicem diversamque lineam efficiebant. Quartus erat eorum cereorum, qui continenter ambiebant summam coronam, tam primariarum absidum, quam fornicum. Digesti demum super magni Hemisphaerii projecturam, ac quadrigemina inter ingentes illius pilas prominentia podia, quintum et ultimum luminarium ordinem complebant. Nemini igitur mirum videbitur, si tot fuerint cerei, qui intra Basilicae arderent ambitum sex aut octo librarum pondere, ut mille quingenti octoginta sex numerari potuerint; exceptis iis grandioribus, qui intra Missae solemnia oblati Pontifici sunt; iis item varii ponderis et sine numero, qui singulis in tam frequenti Supplicatione fuerant distributi.

Reliquum est, ut de nobilissimo Theatri apparatu aliquid dicatur, cum quo si cetera Templi ornamenta conferantur, non parum videri poterunt dignitatis amittere. Ab ipso Basilicae solo ante Aram principem aenea mole superimposita celeberrimam, ad Occidentalem Templi partem ita sensim attollebatur, ut in altitudinem palmorum quinque desineret, oblonga centum viginti palmorum lignea contignatio, quae nobiliorem et integram Theatri aream componeret. Quatuor ad hanc gradus ducebant, singuli unciarum octo, qui ab utroque transversae Navis spatio ubi

superiores maximi Tholi pilae obliquantur Austrum versus et Aquilonem, ita incipiebant, ut utrobique primum directi, mox sinuosi, in medio demum e regione Arae principis in ovalis hemicycli figuram dispositi, centum octoginta septem palmorum longitudinem occuparent. Hos aeque ac integram Theatri caveam stragulum laneum colore viridi obtexerat, non ad ornatum tantum, sed ut decentius supra gradus ita compositos de more assiderent eo tempore Suffragatores in Signatura Justitiae, Abbreviatores, Referendarii Signaturae utriusque, Cubicularii tam intimi quam honorarii, Advocati Consistoriales, Cappellani Sanctissimi Patris, tam qui ab intimo Sacello sunt, quam qui communes vocentur.

Ex eadem Areae planitie prope Veronicae loculamentum, triplici gradu ibatur in tabulatum palmos duodecim longum, tredecim latum, supra quod consueta eminebat Pontificis Cathedra stragulo cooperta serico rubro, et floribus aureis consperso. Dorsuale ejusdem fulcrum, forma quasi triangula, pari item vestitum texto, ad palmos tredecim ita utrinque protendebatur, uti posticam Cathedrae partem muniret pariter et ornaret. Id erat parvum Pontificis Solium, ex quo sacras idem vestes ad sacrificium acciperet; dum cantus Horae tertiae Canonicae de more absolveretur. Extra Solii gradus, quos laneus textus rubeus tegebat, mensa fuerat instructa pro septem candelabris inauratis cum candelis arabice pictis, ante Crucem ad supplicationes et ante Cardinalem Diaconum ad Evangelii cantum deferendis. In opposita vero ipsius Areae parte prope sanctae Helenae loculamentum, quinque erant mensae, in quibus singulis singulae apponerentur Oblationes pro unoquoque Sancto, Pontifici exhibendae. Caeteri Abaci ad sacra Ministerii vasa, quae cum summus Antistes celebraturus est, e Pontificali gaza ad lautiorem apparatum solent depromi, inter Aram maximam et ipsam Theatri caveam dispositi fuerant.

Non longe a gradibus parvi Solii, et a quinque Oblationum mensis scamna utrinque incipiebant ordine continuo, ubi Sacer assideret Senatus, et in cunei formam ad imam Theatri partem protendebantur. Ad haec, quae Babylonicis Aulaeis fuerant instratae, per duplicem gradum erat ascensus, in quorum altero Caudatarii eorumdem Eminentissimorum Patrum erant consessuri. Primo huic subselliorum ordini alter et tertius succedebat eadem cuneata forma, alius tamen alio altior, ut prospectus in Synedrium pateret omnibus. Sedes hae, quae sequioribus non tamen inelegantibus instratae fuerant peristromatis, tenebantur dextrorsum quidem a Praesulibus non Assistentibus, ab Abbatibus et Poenitentiariis rubra casula indutis; sinistrorsum vero a Gubernatore Urbis Vice-Camerario, ab Auditore Generali et Thesaurario Apostolicae Camerae, a Protonotariis tam Participantibus, quam supra numerum, ceterisque aliis, quos Pontificia potestas et liberalitas hac praerogativa insignire voluit, ut in eodem assiderent scamno, a Religiosorum item Mendicantium Ordinum Ministris et Procuratoribus Generalibus. His proximum consuetum pro Bononiae Oratore scamnum fuerat appositum. Pro Consultoribus autem Sacrorum Rituum, quibus interesse hujusmodi Actionibus conceditur, humiliores a tergo parvi Solii, et post Oblationum mensas fuerant sedes paratae.

Post vacuum a fronte Theatralis areae quinque et viginti palmorum interstitium, septeni assurgebant gradus singuli unciarum septem, minori longitudine ex adverso Arae principis, productiores vero qua ad Cardinalium consessum utrinque vergebant. Supra hos, qui palmos quinque et uncias decem altitudinis aequabant, suprema porrigebatur maximi Throni planities latitudine palmorum sexdecim, longitudine sex ferme supraviginti, quam una cum gradibus laneum peripetasma rubei coloris undique operuerat. In his sessuri erant Sacrae Rotae Auditores, una cum Sacri Palatii Apostolici Magistro, et Clerici Camerae. Duo praeterea in hac planitie gradus erant holoserico villoso rubro contecti, quae ad Pontificiam Cathedram praeberent aditum. Eminebat haec tamquam totius corporis caput, palmos ferme duodecim in summa eademque media Theatri totius parte ut prospici facile posset ab infinita pene hominum multitudinem, quae eo confluxerat.

Ad opportunum praeterea Suae Sanctitati recessum in postica hujus Solii parte parvum fi erat asseribus exaedificatum cubiculum, cujus aditum ab hominum aspectu removebat ea vestis stragula, quae post Anaclinterium Cathedrae ligneum convestiebat parietem. Ad latera quoque, etsi extra gradus Solii nec longe ab ipsis Cardinalium subselliis, alia interna receptacula et aditus duo, quamvis ostio et sera firmati, majorem absidem versus pro temporariis sacri Senatus opportunitatibus utrinque habebantur. Porro Pontificii Solii structura varia marmorum genera ad speciem veri mirifice picta coloribus imitabatur. Suberat primae contignationi a Theatri pavimento ad gradıum altitudinem Africani instar marmoris magna basis, quae palmos protensa tres et quadraginta, ut fundamento esset praegrandibus stylobatis per utramque faciem excurrentibus, palmarem alteram specie Anthracini lapidis supra se excipiebat, cui innitebantur triglyphae spirae inauratae columnarum duarum, quae utrinque Throno adjacebant.

Columnarum scapus striatus striis auro illitis, strigibus vero cyanei lapidis colore pictis, aurato epistylio ordinis Corinthii terminabatur. Ad utrumque columnae latus pilae stelaeque basibus et capitulis pariter inauratis floridum Onychem simulabant.

Quae columnis stelisque superimposita excurrebat communis corona, maculosas antiqui marmoris crocini venas referebat. Huic non absimilis colore erat alia grandior operis fastigio superinducta, cujus quidem operis pars media sursum arcuata in semicyclum desinebat. Columnarum vero stelarumque sub ea tympanum cyaneo veluti marmore constare videbatur; Zophorus pari modo pictus, qui inter utrasque procurrebat coronas Anaglyphis inauratis, et mira varietate distinctas, hanc praeferebat Epigraphem magnis literis aureis expressam.

BENEDICTA GLORIA DOMINI.

Aligeri duo colore aeneo insistebant arcuatae supercilii extremitati genibus flexis, et palmas florumque serta manibus attollentes.

Adstabant pariter ad utrumque Throni latus vestibus multo auro illustratis solida Religionis et Justitiae simulacra, quae suae singula basi insidebant ex Alabastrite caeruleis intersecto lamellis, et aureis lineis coronato, cui substrata inferius erat stereobata crocina coronide, et cymatio caelaturis aureis variato. Huic stereobatae suberat stylobata persicae arboris floribus colore non absimilis, longitudine tanta, quanta et latitudine supra basim infimam anthracinam, qua haec extra pilas protendebatur imposita, cujus a fronte magna Pelta, Pontificia Insignia sub obscuro auro picta referens, extabat inter encarpos et vittas.

Ad haec in similitudinem veri marmoris coloratae culcitae copioso aureo coccineoque serico mirifice textae, tamquam venusti postes utrumque Throni latus eique superextantem e serico villoso umbellam, sub qua Pontificia erat Cathedra, aureis taeniis fimbriarumque maeandris magnifice ornatam circumscribebant. Ultra supercilium quod totius Solii terminabat ornatum, eminebat S. Fidelis Vexillum ab Angelis inter lucidam nubeculam apparentibus elevatum. Suberat illud autem altiori splendidissimaque luce circumfuso Spiritus sancti Symbolo, unde tum radii longe lateque diffusi Vexillum ipsum, subjectumque Pontificii Throni ornatum illustrabant; tum plures Aligerorum vultus inter nubes luteo colore expressas, et auro plurimo nitentes descendere conspiciebantur. Venustatem quoque augebat labens ab utroque vexilli latere magnum serici villosi rubri paludamentum, taeniis atque laciniis aureis ad oras assutum, quod sensim diffusum ad angulos externos coronidis pilarum quae Solium intercipiebant, post concinnam alternamque flexuram iterum labens utrumque inauratum signum, Justitiae scilicet et Religionis, a tergo undecumque vestiebat: Huic alterum velut amplissimum conopeum subjectum erat et sociatum ex damasceno coloris rubri fasciolis aureis discriminato, iisdemque ac villosum rubrum laciniis, quod a gloria Domini de qua superius dictum est, incipiens demitti, paulatim ita latius discurrebat, ut laxitate sua non solum paludamentum ipsum quasi chlamydem Throni exciperet et concluderet, sed circumvelaret praeterea, quam latus erat, totum Theatri

prospectum, ita tamen ut non aequaliter ante propenderet, sed mollibus modo nexibus corrugatum allevaretur a majoribus Aligeris inter alios minores varie dispositos, polimyxum altera manu quindecim cereorum duplici ordine distributorum sustinentibus; modo inversam subsutamque sibi posteriorem partem aureis floribus conspersam detegeret; ita demum sinuatum in utrasque arcuum stelas suspensum desineret.

Tota itaque nobilissimi Throni moles, quae in lateribus debita proportione servata humilior erat, centum et decem palmorum sublimitatem aequabat in medio.

A Simulacrorum de quibus dictum est, stylobatis utrinque per latera ad finem usque primarum Tholi pilarum prope loculamenta Veronicae et divae Helenae, in ipsismet superioribus stylobatarum spatiis crates incipiebant inauratae, quae ligneam interius extructam contignationem intercluderent. Super eas parastatis concinne intercisas continua auroque illustrata ita prominebat corona, ut ex ejus projecturis fastigia quaedam instar turbinum et ornatus assurgerent, conchyliis et encarpis inter se colligati, quibus Tiara Pontificia decussataeque claves, auro item fulgentes, erant impositae. Perpetuum similiter florum ac frondium inauratarum sertum a pilarum Throni Epistyliis elabens et super ipsam continenter coronam procurrens per consertas puerorum manus speciosissimo lusu traducebatur ad coronandam praegrandem peltam cum Suae Sanctitatis Insigni in medio totius ornatus prominentem; cum enim lapideae stelae, quae ingentem hinc et inde Hemisphaerii fornicem sustinent, transennas utrinque appositas intersecarent, quarum amplitudo erat palmorum octo supra centum et quadraginta, impedirentque, ne pone contignatio cohaereret; supra crates ibi etiam procurrentes ad unitatem ornatus servandam, basis subrubro colore, in qua exaratae legebantur Epigraphae:

HONOR ET GLORIA IN SERMONE
Eccli. cap. 5. *vers.* 15.

IPSI GLORIA IN ECCLESIA
Ephes. cap. 3. *vers.* 21.

basis inquam sursum elevabatur, quae praedictam magnam peltam ipsis innixam stelis attolleret. Infra crates vero textile ex damasceno rubro taeniis aureis concinne decurrentibus per suturas dispertitum, et in summa parte serico villoso item rubro coronatum convestiebat undique ligneum contiguarum contignationum parietem.

Ut vero unaquaeque pars toti responderet, cederetque in ampliorem Theatri ornatum, et in nobilium Matronarum commodum, quae conventurae in Basilicam erant eo die; in adversis ipsi Theatro loculamentis tam divi Andreae, quam sancti Longini aliae comparatae fuerant eminentes contignationes eodem ac reliquae ornatu. Hae sicut et aliae prius commemoratae, congruis interpositis repagulis seorsim separatae, ita Sanctitatis Suae jussu fuerant distributae, ut quae proximae Solio Pontificio utrinque erant, Postulatoribus quinque Beatorum assignarentur; quae his adjacebant, dextera sinistraque Theatri parte Principum Oratoribus darentur, licet demandatum sibi munus ex benevolo Summi Pontificis permissu, nondum palam obirent; item Columnensium Familiae, ac Almae Urbis Senatori. Decreta Cantoribus Cappellanis pro Odaeo contignatio, quae in transversum Pronaum vergebat ab Helenae loculamento; quae vero ex adverso erat, Capitulum Vaticanum inter et Poli Ducem Sacri Hospitii Magistrum fuerat bipartita; ceterae urbanis et exteris Matronis erant destinatae.

E superioribus tandem lapideis Procestriis, apud quae reliquiae Sanctorum in Basilica servantur, serico stragulo varie ornatis, nec sine multis cereis, ut superius dictum est, pendebant deorsum quatuor alia Beatorum Vexilla, ex eo nimirum, quod Veronicae simulacro supereminet, Vexillum beati Camilli de Lellis, ex altero supra sanctam Helenam, beati Petri Regalati, ex tertio apud sanctum Andream, beati Josephi a Leonissa; in quarto supra Loculamentum sancti Longini, beatae Catharinae de Ricciis.

Haec et cetera quae narranda forent, melius quam sermo subjiciet oculis tabula, quae superius apposita est.

FINIS.

INDEX

RERUM NOTABILIUM.

A

C

D

E

F

G

H

I

N

O

T

V

Z

FINIS.

SERIES TOTIUS OPERIS.

IMAGINUM ELENCHUS

EARUMQUE DISTRIBUTIO.

FINIS.